HENNINGI ARNISÆI
HALBERSTADIENSIS

DE SUBIECTIONE ET EXEMTIONE CLERICORUM.

Item de

POTESTATE TEMPORALI PONTIFICIS IN PRINCIPES:

Et deniq; de

TRANSLATIONE IMPERII ROMANI.

Commentatio Politica

OPPOSITA

Scriptis eorum, qui in his controversiis contra Serenisf. Regem M. Britanniæ, & Florentisf. Rempubl. Venetorum disputarunt, potissimùm verò libris

ROBERTI BELLARMINI.



ARGENTORATI
Sumptibus Hæredum Lazari Zetzneri.
Anno M. DC. XXXV.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

Dn. GEORGIO RUDOLPHO, IN SILESIA LIGNICENSIUM ET BREGENSIUM DUCI

Domino suo Clementissimo.

SIquis olim apud Romanos precarium & vertente anno in manus populi resignandum magistratum, sive assidua circumitione eblanditus, sive vetulæ vesicâ beatæ, quam optimam processus formam vocat Juvenalis, admercatus, nonunquam etiam virtute, sine interprete, sine sequestre, sine distributore, ut de suo consulatu gloriatur Ausonius, promeritus fuisset, non solum

Tusci turba impia vici,
Ambubajarum collegia, Pharmacopolæ,
Cum scurris fartor, cum velabro omne macellum,

lecticam cum novo honore domum tendentis comitabantur, creati magistratus favorem sibi quisq; pro viribus demereri festinantes: Sed idem officii exhibere non pudebat principes civium, & qui vellent videri omnium primi, partim ut studia sua submissa salutatione testata facerent, partim, ut piis votis felicem toti Reipubl. successum exorarent. Cum Pompejo per legem Gabiniam imperium contra Piratas confirmaretur, tanto strepitu applaudentium divulsus legitur aër in ipsis comitiis, ut per eum corvi in medium theatrum proni delaberentur.

Eius consuetudinis, quam longa series annorum ad Imperato-

ratores ipsos usque traduxerat, & post liminio quasi revocavit populus Rom. cum publica voce acclamaret Carolo *Augusto, à Deo coronato, Magno & pacifico, Imperatori Rom.* His diebus admonuit me, Illustris princeps, Celsitudinis tuæ ad capessenda avita sceptra reditus, quem licet multis precibus remoratum cuperet Electoralis nostra Academia, heu tuâ & Illustrissimorum cognatorum præsentiâ nequicquam huc usque superba, invidere tamen subditis, jamdudum jure suo te reposcentibus, non debet. Ego verò etiam, ne inscitæ ingratitudinis notam contraherem, vererer, si tuæ Celsit. non aliquod tam privati, quam publici affectus monumentum ponerem, & Silesiorum tuorum vota prævenire laborarem. Caninio, Diali Consuli, gratulandum per ludibrium sibi putabat Cicero, licet properare comites juberet, ne abiret magistratu, antequam limina salutaturis liceret contingere. Magistratuum enim honor expirabat ferè cum anno, & qui surgente à Sole ad eum, quem Vespertina tepet regio, omnia armis nuper tenuerat, Regibusque ipsis juxta se sellam, non nisi magni beneficii loco, attribuerat, revoluto anno ad Idus Martias, exercitum dimittere, fasces successori tradere, & privata toga, ad rationes Domino suo reddendas, comparere cogebatur. At cui Domino? quem Atheniensis ille caupo Demostheni exprobrabat, cum is tabernam ingredi verecundaretur, *Dominus tuus*, inquiens, *quotidiè intus cœnat.* Tu vero Illustriss. princeps, hinc te recipis non ad precarium, sed avitâ lege tibi debitum imperium; Tu,

Non sumis aut pones secures
Arbitrio popularis auræ:

Nec est, quod post annum timeas tribuni alicuius arrogantem prehensionem, aut minas illas: *Privatum redditurum rationem, si princeps noluisses.* Tantò maior gratandi tibi causa nobis nascitur, quantò & principatus tuus ad regiam potestatem, unde effloruit, propiùs accedit, nullius, nisi Dei & Regis arbitrio obnoxius, & Augustæ vestræ familiæ diutius regnatus fuit. Nec verò tibi tantùm, de tanto principatu, sed & Reipubl. de tanto, tamque populi sui amante principe gratandum video. Si enim

ami-

amicitia conservat omnia, & quasi tenaci glutine adunat non tantùm dissitas universi regiones, sed & dispares hominum animos, ecquo lentiori vinculo connecti potest compages Reipub. quam mutuo amore principis & populi? Qui enim se mutuò amant, sibi mutuò benefactum cupiunt, nec vitam ipsam dubitant profundere, dummodo jactura amicus lætetur. Amorem verò in principe excitat promtitudo subditorum, in horum animis, illius benevolentia & in Republ. moderanda assiduitas, quā qui putat aliunde hauriri posse, quam ex disciplina & usu, meo quidem judicio, ab eo, quod res est, non propè abest. Experiendo quippe discimus, & post ictum fimus cautiores: Cęterum, qui sine suo periculo ex aliis exemplum capit, sibi quod ex usu fiet, is omne fert punctum, &, ut ait Diodor. διδασκαλίαν ἔχει ἄπειρον. Hūc autem fructum suis cultoribus referunt literæ, ut quæ ab aliis gesta sunt, vel cum laude vel cum probro, quasi in illustri posita monumento contuenda offerant, & exemplum indè præbeant, nunc quod imitentur, nunc quod fugiant.

Nonne vides, Albi ut vivat male filius? utq;
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit;.

Symmachus rectè, *Omnia*, inquit, *exempla, quæ mox remota didicistis, vobis vitanda sunt*: quæ verò æquo Dei arbitrio diu & feliciter floruerunt, ad imitationem promtè trahenda Tiberius, sumta boni principis persona, nihil prius habebat in votis, quam Augusti felicitatem simulata virtute mereri. Trajanus in quinquēnio Neronis perfectum principem quærebat, Alexander Severus in gestis Alexandri, nisi quod luxuriam & temeritatem iracundam in amicos unicè detestaretur. Senatus Rom. solebat Imperatoribus D. Augustum & Tiberii prima tempora obloqui: post etiam Antonini utriusq; nomen & felicitatem apprecari. Nec nunc tot passim prodigi Resp. & in alienam venundari servitutem experiremur, si principes horum vitas reipsa magis, exprimere, quam solo in ore habere, & illud Platonis, ex autoritate M. Antonini imis reponere sensibus vellent: *Tum demum felices fore Respubl. si vel principes prudentia studeant, vel prudenti-*

dentibus patientem accommodent aurem. Solis enim literatis principibus in memoriam ante se gestorum retrogredi, & illic, quasi in speculo, imitanda juxta ac fugienda, contemplari licet. Reliquos perpetuò pueros vocat Cicero, qui tantùm, quæ ante pedes sunt, vident, & eò vergunt, quò à maleferiato aliquo assentatore impelluntur. Alexander Sev. miseram dicebat esse conditionem principum, quibus cognoscendi mensura præfiniretur à stipatoribus. Altiùs sese effert literis probè excultus princeps & ex mortuis sibi ipsi occinit, quod verentur subjicere vivi. Demetrius Phaleræus Ptolomæum eo argumento induxit ad instruendam bibliothecam, quod libros diceret non erubescere, nec gratiæ aut favori quicquam dare. Idem Atheniensibus annona pressis vectigalia non prius remisit, quam sibi autographa Sophoclis, Euripidis, & Aeschyli traderent describenda, nec dubitavit XV. talenta prò iis oppignorare: Et cum sibi porrigerentur libri sacri aureis literis scripti, in lachrymas fertur prę gaudio diffluxisse. Alexander M reperta, inter impedimenta Darii, preciosa arcula, dubitantibus amicis, quid tanto receptaculo dignũ inveniri posset, Homeri Iliadem, cui & indormire solebat, illic reponi voluit, nihil eà pretiosius penes se esse indicans. Quid referam Asinii Pollionis, qui primus, si Plinio credimus, bibliothecam Romæ extruxit, quid Luculli, quid Julii Cæsaris, qui negocium conquirendorum librorum Varroni dedit. Item Octavii, qui Octavianam, Trajani, qui Ulpiam, Gordiani, qui Gordianam bibliothecam reliquit, quid denique Juliani, ab ineunte ætate librorum cupidine sese arsisse in Epist. scribentis, quid referam aliorum studia & in congerendis bibliothecis diligentiam: quorum vestigia tu quoque, Illustriss. princeps, relegere cepisti, & presso pede, si perrexeris, videris assecuturus.

Est qui *Motus doceri gaudet Ionicos,*
& lascivos amores *A tenero meditatur ungui.*
Est, cui cor subsilit, *Seu visa est catulis cerva fidelibus,*
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

Est quem commessatio in seram distendit noctem, aut seriis avertit insidiosum opus aleæ. Tu tibi à Juliano dictũ puta: *Turpe*

esse

esse sapienti, cum habeat animum, laudem captare ex corpore. Nosti principibus quædum indulgeri ad voluptatem, non aliter attingenda, quam Canem dicunt bibere è Nilo & fugere: quædam incumbere ex necessitate, nec sine summo opprobrio obmittẽda, quò cum te ducat diligens librorum relectio, quis dubitet de futuro successu? & non potius ex acclamatione Taciti Imp. de te, signa non incerta secutus, sic ominetur: *Quis melius, quam literatus imperet?* Hæc voti sit summa mei, quam ut fortunet, qui unus operatur omnia in omnibus, ego quidem, juxta cum iis, quorum interest, seriis votis contendam: Tu verò, Illustriss. princeps, reipsa efficies, *virtutem ex proavis verumq; laborem, Fortunam ex aliis capiens. Nullum* enim *numen abest, si sit prudentia*: & quem Deus dispensat eventum, nostris virtutibus, suæ quisque fortunæ faber, plerunque promereri solemus.

Simul verò cum hoc voto accipiet Tua Cels. commentarium hunc pro autoritate & jurisdictione Principum, à me quidem tanquam partem Politices, jam antè scriptum, nunc verò cum augmento disputationis contra Cardinalitia Bellarmini tonitrua, publici juris primùm factum, in eum finem, ut abituræ ex hospitio Academico Celsitud. tuæ comitem se præberet, & autori suo locum in ordine Clientum tuorum, submissa commendatione aperiret, quod si, ut spero, obtinuero, est, quod felicitati meæ gratuler, tuæ verò Celsitud. ad majora me humiliter obligatum profitear. Scriptum Francof. die 13. Febr. 1612.

T. Celsitud.

Subjectiss.

Henningus Arnisæus D. & Prof.

EPIGRAMMA.

DUm rotat ancipitem Pestis Romana machæram,
Jura Soli minitans, quâ petit atq; poli:
Ecce fugax acies, nodorum inflexa tenaci
Robore, conatûs irrita damna gemit.
At Pater Ostrinus temeratæ cuspidis acrem
Jacturam assiduâ cote polire parat,
Ne qua dein cupidos eludat opimior ictûs
Præda, jugo Ausonii subjicienda Lupi.
Angeris heu frustra miser: en Rhomphæaq; Cosq;
ARNSÆI invicto dissiliunt calamo.

Ioann. Gawron. Sil.

POntificis Sacer Ordo, manu construxerat ingens
Pyramidis, turres exsuperantis, opus;
Aurea LIBERTAS Regumq; Ducumq; catenis
Huic annexa olim mœsta gemensq; stetit;
Sed jam parte unâ resoluta, & libera facta,
Altera pars vinclis, quæ redimenda, subest;
Vt redimi possit, commonstras, Jura recludis
Pontificis, Regum regia jura doces,
Iura Ducum, Vir Clare, doces: ostendis, an æquum,
Quod Princeps Latio det sua colla jugo?
Nil quod habere datum Romanâ sede sedenti
Aufers Pontifici: sit modò jure datum;
Nil quoq; Principibus, quod jura sacrata recusant,
Attribuis, sed, quæ sunt data, jura probas.
Perge, decus Patriæ, Viadrini gemma Lycei,
ARNISAEE, tuus gloria sit stimulus;
Nil cures, Romæ quid cantet Clericus; Insta,
Et Regum & Patriæ Jura tuêre Ducum:
Dejicies doctis tumidum Pythona sagittis,
Dicere justis alter Apollo Viris.

M. Joannes Muccius Bresla. Sil:
Jatrophilus.

UTRUM

UTRUM, QUOUSQUE, ET QVO JURE CLERICI, QUOad personas & bona, ſint ſubjecti Juriſdictioni ſeculari.

CAPUT PRIMUM. DE DISTINCTIONE DUPLICIS Juriſdictionis.

SUMMARIA.

1. *Duo eſſe fora in mundo, Eccleſiaſticum & Politicum.*
2. *Vtrumq; dependere immediatè à Deo, nec unum ſubjici alteri, niſi ſecundum quid.*
3. *In quo differant duæ hæ juriſdictiones, & quo reſpectu, & quatenus altera ſubordinetur alteri.*
4. *Sacerdotium apud plurimas gentes cohæſiſſe regno.*
5. *Cauſa, cur hæc duo apud Chriſtianos conjungi nequeant.*
6. *Non licet Clericis ſe miſcere rebus bellicis, nec expeditiões iis benè cedere ſolẽt.*
7. *Non ſufficit unius hominis ingenium ad ſuſtinendum officium tam Eccleſiaſticum quàm Politicum.*
8. *Refutatur error Boëij, & explicatur officium Augurum & Pontificum apud Romanos.*

ANte omnia in hac controverſiâ admittendũ eſt, quod nec ij negare poſſunt, de quorum autoritate hîc præcipuè diſputatur, videlicet duas eſſe diſtinctas Juriſdictiones, temporalem & ſpiritualem, *gl. Abb. Dec. & Dd. ad c. novit. de judic.* ut & duæ ſunt vitæ carnalis & ſpiritualis, *c. niſi § pœn. de renunc.* duo genera militum, Eccleſiæ & ſeculi, *c. Clericum 50. diſt.* duo fora, Papæ & Imperatoris, Driedon *lib. 1. de libert. Chriſt.* quorum tanta eſt diſtinctio, ut unum non poſſit miſceri cum altero, ſicut Bernhardus *lib. 2. conſid. ad Eugen.* dicit: *Si utrumq; ſimul habere voles, perdes utrumq;* Et Henricus Imp. de Hildebrando rectè ſcripſit ad Epiſcopos: *Vnus cum utrumq; ſibi vendicavit, utrumq; diſſipavit; nec in uno profuit, qui in neutro prodeſſe voluit, nec potuit.* Abbas Urſperg. *in Chr.* Matthi. Flac. *in Catal. teſti. Veri.* Sicut enim miles prohibetur ſe ingerere in cauſas civiles, *l. militares C. de re milit. l. repetita 40. C. de Epiſc. & Cler.* ità multò probabiliori ratione miles ſpiritualis ab iiſdem abſtinere debet, *arg. l. reprehenſibile 23. qu. 8* non tantum ne juriſdictiones diſtinctæ confundantur quarum confuſione nihil datur inordinatius, aut quieti & in hac conſiſtenti ſaluti Reipubl. magis contrarium: ſed etiam ne alteru-

trum officiorum negligentius obeatur *Quod* enim *ad alia officia confertur, hoc religionis cultui divinoq; officio decerpitur*, ait Ambrosius *lib. de fug. seculi c. 2. cui portio 12. q. 1.* Hanc rationem tangit Apostolus, 2. *Tim.* 2. quando dicit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* id est, ut satisfaciat muneri suo ad beneplacitum Imperatoris. Non posset autem id facere, si operam suam rebus tam diversis addiceret, cum duobus dominis sit simul servire impossibile, & causæ seculares longè discrepent à divinis, *c. celebritatem dist. 3. de con.* maleque sonet Psalterium cum cythara, secundum Ferr. *in for. libell. resp. rei convent. gl. 18. n. 1.* opprobriumq; sit clericis, si se peritos ostendere velint rerum forensium, *l. consulta divàl. C. de testam. Maximè diversa sunt, Crucifixus & summa potestas: miles & Sacerdos: Imperator & pastor: regnum & patibulum: corporalia & spiritualia: arma & sacra: bellum & pax: Cæsar & nuncius: Princeps & minister: Dominus & servus*, ut scripsit Ludovicus Imperator in edicto publico contra Johannem 22. Avent. *lib. 2. Ann. Boi*: Unde Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem rectè scripsit: *Quoniam Christus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusq; discrevit propria, volens medicinali humilitate hominum corda sursum efferri, non humanâ superbiâ rursus in inferna demergi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus ll. uterentur, quatenus spirtualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideò militans Deo minimè se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus. In longa ista Epistola ad Michaelem, quæ incipit: Proposueramus, cuius multos paragraphos Gratianus transtulit inter Canones c. Quoniam dist. 10. c. ubinam c. deniq; c. cum ad verum dist. 96.* Idem repetit Carolus Calvus in Epistola Apologetica, quam contra Adrianum II. scripsit: § *Quod & nos juxta* 23. Haiminsfeld. *tom. 1. constit. Imper.* ità ut hæc duarum jurisdictionum distinctio etiam jure Canonico receptissima sit, *c. novit de jud. c.* Adrianus *c. Valentinianus 63. dist. c. quæsitum 23. q. 4. c. solitæ de major. & obed. c. si duobus § Deniq; de appell. c. causam 2. qui fil. sint legit. & c. per venerab. Eod. gl. in* Nov. 6. *verb. conferens generi gl. ad c. quoniam dist. 10.* Hostiens. *in sum. qui fil. sint legit. § quis & à quo* Hieron. Balb. *in lib. de coron.* Alber. *ad l. benè à Zen. C. de quadr. præscript.* Tom. Michael. *in disput. de jurisdictione Rom. Imp. in gl. th. 4.* Butri. *in c. venerabilem de electione.* Martin. Lauden. *in tr. de princip. q. 1.* & Driedo: *lib. 1. de libert. Christ.* Barcl. *de potest. Pap. c. 2. Dd. ad d. c. novit*, quam & Justinianus approbat *Novell. 6 in princip.* inquiens: *Maxima sunt in hominibus dona Dei, à superna collata clementia, Sacerdotium & Imperium.* Et paulò post: *Ex uno eodemque principio utraq; procedentia humanam exornant vitam*, ex quibus verbis aliud quoddam magni ad institutum nostrum momenti colligimus, quod scilicet

harum

batum potestatum, cum dependeant ab eodem principio, *de concept. ff.* §. 1. una ab altera non effluat, quia una determinatio respiciens duo determinabilia, æqualiter videtur determinare, *l. quamvis C. de Imp & aliis subst. l. jam hoc jure § fin. ff. de vulg. & pupill.* & in separatis, quorũ separata est ratio, non infertur de uno ad alterum. *l si maritus C. de donatione inter vir: & uxor:* Muscor. *tract. de jurisd. n.* 1. Idque non solum ex jure civili constat: sed & canonico, *c. Duo sunt dist. 96.* & divino. Ita enim sapientia loquitur, *Sap. 6. Ad vos ergò reges sunt hi sermones &c. quoniam data est vobis potestas à Domino, & virtus ab altissimo.* Et Paulus ait: *Quicunq; resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, ubi divinitus potestates constitui testatur. Nam, dicente Cunero Episc. *c. 5. de offic. princ. Si ex sola in principem consensione populus ei subesse teneretur, jam non obediendo, fœderi quidem & pacto, sed non proximè, ac directè Dei ordinationi resistere diceretur, quam Paulus in resistendo proximè & immediatè violari significat, quoniam potestas, cui resistitur, à Deo ordinata est, sic ut rebellis jam non contra hominem, sed contra Deum censeri debeat.* Covar. *part. 2. rel. c. peccat.* § 5. *n. 3. de R. I.* Unde & eis tenemur obedire *propter conscientiam*, quod in Constitutionibus merè humanis locum non habet: Sicut Bellarm. *lib. 3. de membr. Eccles. milit. c. 11. implicitè in rat. 1. & 3.* concedere cogitur, & expressè sic præsupponit. *in rat. 5. & 7.* Navarrus *in c. novit. de judic. not. 3.* ex lege naturæ, quam pro jure divino multi agnoscunt, idem probat, *quia* inquit, *Deus indidit hominibus rationem naturalem, quâ, concludunt, in hominibus debitam esse talem potestatem.* Atque hoc docuerat Irenæus *lib. 5. advers. Hæres. Valent.* his verbis: *Ad utilitatem gentilium terrenum positum est regnum à Deo. Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & reges constituuntur, apti iis, qui in illo tempore ab ipsis regnantur.* Et Tert. *in Apol. Inde est Imperator, unde & homo, antequam Imperator: inde potestas illi, unde & spiritus.* Et paulò antè: *Sciunt scilicet Imperatores, quis illis dederit Imperium, sciunt, qui homines, qui & animas. sentiunt Deum esse solum, cujus solius in potestate sunt. Et maximè necesse est, ut suspiciamus Imperatorem, ut eum, quem Dominus noster elegerit, ut meritò, dixerim, noster est magis Cæsar, ut à nostro Deo constitutus.*

Bellarm. tamen *lib. summ. Pontif. c. 7. lib de translat. Imper. c. 9. in respons. ad 8. propos. pro caus. Venet. prop. 1.* Covar. *pract. quæst. c. 1. n. 6.* negat reges immediatè à Deo suam habere potestatem, quia succedunt, aut *lege hæreditatis*, aut *electione*, aut *donationis*, aut *belli jure*, qui sunt tituli humani & non divini. Sed Marsilius *in resp ad dict.* § rectè objicit: Quandoquidem & Papa eligitur à collegio Cardinalium, an propterea ejus institutio secundum Bellarm non est immediatè à Deo? quod istamen mordicus defendit, nec adducit locum scripturæ, quo probet, Papæ, suam potestatem immediatius communicari, quàm Regibus. Nec valet, quod objecerat, quia

Neutra potestas pendet ab alia.

Potestas principum a Deo.

Et quidem immediatè.

debuisset distinguere inter potestatem, quæ concessa est principibus à Deo sine medio, & modos eam potestatem acquirendi, qui sunt humani. Ita Spiritus sanctus datur electis ad ministerium sine medio, sed impositione manuum humanarum accedente. Matthiæ Apostoli vocatio procul dubio immediatè erat à Deo: sors tamen interveniebat perinde, ut in electione Saulis, quod exemplum objicit Apologia Magni Regis, & ex ea Johan. Bed *c.1 de droict des Rou.* Proinde licet nobis concludere, rectè à Philippo Galliarum Rege dictum fuisse, & à Ludovvico Bavaro constitutum: *Iuris utriusq; testimonia manifestè declarant, Imperialem dignitatē & potestatem immediatè à Filio Dei ab antiquo processisse:* Et paulò post: *Declaramus itaq;, quod imperialis dignitas & potestas est immediatè à solo Deo. in constitut. de pot. Electi Imperato:* quod & Fridericus I. non semel ad Papas scripserat. Sigon. *lib. 9. hist. Ital.* Et Card. Cusan. *lib 3. Conc. Cath. c. 5.* affirmat, quod *Imperatoris Cels. sit independens, quoad sui naturam, primò & supremò distincta à spirituali, habens dependentiam immediatam à Deo.*

Nec puto facilè inventum iri, qui declaratam distinctionem negare velit, cum & Pontificij, Soto *de just. & jure. lib. 4. q. 4. art. 1.* Bellarm. *cont. Barcl. c. 2.* eam ultrò præsupponant, sed in ratione distinctionis & differentia membrorum difficultatis nodus maximè consistit. Generale est, quod

In quo differant hæ duæ jurisdictiones.

5. Hosius dixit Imperatori: *Tibi Deus Imperium, nobis autem ea, quæ sunt Ecclesiæ, Christus commisit, in Epist. Athan. ad eos, qui solitariam vitam agunt.* Item quod Duaren. *lib. 1. de sacris Ecclesiæ minist. c 1. Una,* ait, *potestas in corporibus: altera in spiritibus occupata est,* quam phrasin desumsit ex *c. Valentinianus. dist. 63.* ubi Imperator ait, *se lætari, quod Deus animorum curam ei viro tradidisset, cui ipse antea corpora commiserat,* loquens de Ambrosio, qui ex prætore factus erat Episcopus. Theodor. *lib. 4. c. 7.* Sic & CC. *c. te quidem 11. q. 1. c. suscipitis, dist. 10.* & gl. *in c. omnes de maj. & obed.* distinguunt has potestates per nomina, *Spiritualis, divina, terrena, & humana, & temporalis,* sed ea interpretantur ad libitum, sicut gl. *ad d. c. suscipitis* per *spiritum* interpretatur, *constitutionem Ecclesiasticam,* per *carnem, legem secularem,* ut quia ibi legitur, cedat spiritus carni, *Gratiam.* § *Ecce* indè colligat, quod constitutiones principum Ecclesiasticis legibus sint postponendæ, cùm tamen totus canon non aliter tolerari possit, nisi de potestate verè spirituali, quam mox declaraturi sumus, explicetur. Ita Bonifacius 8. *in c. unam sanctam ext. com. de major. & obed.* quando adducit dictum; *Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur,* spiritualem hominē interpretatur *unumquemq; qui servit Ecclesiæ,* indeq; evincit neminem horum posse à potestate temporali judicari, sed potius omnes reliquos ab his: quod si rectè colligeretur, non tantum sequeretur, *ut Bonifacius infert,* quod sola suprema potestas Ecclesiastica esset exempta judicio humano, sed & quod spiritualis minor,

quia

quia de omni homine ſpirituali loquitur dictum citatum. At Bonifacius dicit: *Si deviat Spiritualis minor, à ſuo ſuperiori: ſi verò ſuprema, à ſolo Deo non ab homine poterit judicari.*

Cùm igitur conceſſum ſit, juriſdictionem Eccleſiaſticorum in ſpiritualibus conſiſtere: principū in terrenis & temporalibus, ut verum diſtinctionis fundamentum pateſiat, quid per utrumque intelligere debemus, paucis videndum eſt, idq; Hugo de S. Vict. *l.2 de ſacr. fid. part.2.* nos abundè docere poteſt, qui cum *c. 3.* diſtinxiſſet duos ordines Eccleſiæ & dixiſſet: *Laicis Chriſtianis fidelibus terrena poſſidere conceditur: Clericis verò ſpiritualia tantum committuntur*, quæ ſint illa ſpiritualia, ſubjicit *cap.5.* dicens: *Omnis Eccleſiaſtica adminiſtratio in tribus conſiſtit, in Sacramentis, in ordinibus, in præceptis*, quod & Johan. Damaſc. *orat. 2. de imag.* ex parte annuit: *Regum eſt*, ait, *civilis adminiſtratio: Eccleſiaſtica verò conſtitutio, paſtorum & doctorum.* Et Cardell. *diſp.1. contra proteſt. Papæ peculiare munus eſt, à peccando homines avertere, animorum tranquillitatem procurare & conſtituere ac ſtudio pietatis homines inflammatos ad æternam vitam, ſedes mentium beatarum impellere.* Eiuſdem explicationis argumentum præbet Imperator *Novell.8* dum officium ſacerdotij deſcripturus dicit, illud *divinis miniſtrare & Deo pro Repub. ſupplicare. Officia Sacerdotis ſunt*, ait Hieron. *in Levit. c.8. aut aliquid à Deo diſcere, aut populum docere, aut orare pro populo. c. fin. diſt. 37. addictos C de Epiſc. audi:* Nam quia poteſtas utraque eſt à Deo, talis cenſeri unaquæque debet, qualis à Deo præſcripta eſt. Atqui Deus porrexit diſcipulis claves regni cœlorum, non terrarum, & poteſtatem ligandi adjunxit & ſolvendi, non pro terra, quamquam in illa, ſed pro regno cœlorum, & cùm omnem ſibi poteſtatē datam proteſtatus eſſet, ex ea jubet diſcipulos ire, docere omnes gentes & baptiſare in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti, & docere eas ſervare omnia ſua mandata. Ita ut omnis Eccleſiaſticorum poteſtas circumſcripta ſit hoc fine, quod dirigatur ad vitam æternam obtinendam, quod & Nicol. docet *in d. Epiſt.* quando Imperatores ait indigere pontificibus pro vita æterna. Quæcunque igitur in hunc finem non faciunt, ad poteſtatem Eccleſiaſticam referri non debent. Quandocunq; enim res quæpiam deſtinatur ad finem, ea, quæ ad finem non faciunt, ad illam rem eſſentialiter non pertinent, ut patet in Metaphyſicis. Econtrario cum finis poteſtatis politicæ ſit ſalus Reipub. quicquid huic fini per ſe non inſervit, nec id ad poteſtatem politicam revocari debet. Et propterea Ozias percuſſus fuit leprâ, quod niteretur adolere incenſum ſuper altare thymiamatis, nec audiret Azariæ Sacerdotis admonitionem: *Non eſt tui officij, Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum filiorum Aaron &c. 2. Paralip. c.26.* Unde Hoſius ad Conſtantium: *Tibi*, ait, *Deus imperium commiſit, nobis, quæ ſunt Eccleſiaſtica, concredidit; & quemadmodum, qui tuum imperium*

Circumſcriptio poteſtatis Eccleſiaſticæ.

malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini fias obnoxius. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt Dei, Deo. Neq; igitur fas est nobis, in terris imperium tenere: neq; tu, thymiamatum & sacrorum potestatem habes Imperator. In Epist. Athanas. ad solitar. vit. degentes. Atque hoc non tantum rectè declaratum fuit ab iis, qui in controversia Venetorum & Regis Angliæ contra Papam scripserunt, *M. P. Paulo nelle sue considerat:* Fulgent. *Bresciano nelle confirmat.* Nicol. Crass. *in Antiparan. ad Baron.* Fulgent. Thomas. *in respons. ad Philoth.* Ventura Vincent. *in consil: Antonio Quirino nelli sui avisi.* Hieron. Vendram. *in controv. Barclai: in tot. libr. de potest. Pap.* Roger. VVidrington. *in Apolog. Bellarm. Epist.* Cicestr. *in Tort. Tor. & in Apol.* Rob. Burhilli *pro tort. contra Becan.* sed & post partes, JCtorum multi ausi sunt profiteri, sicut Navarr. *in repet. cap. novit de jud. not. 3.* expresè dicit: *Pontificem nudum ab omnibus donationibus nullam habere potestatem Laicam, neq; summam, neq; mediam, neq; infimam, neq; actu, neq; habitu,* quo inclinat etiam Covar. *in tr. de restit. part. 2. § 9. n. 7.* citans Turrecrem. *lib. 2. de Eccles. cap. 113. cum seqq.* Pro eadem sententia Anton. de Rosell. *in tract. de pot. Pap. & Imp. in pr. Papam,* ait, *ex suo officio nullam Iurisdictionem temporalem habere, nec actu, nec habitu, sed eam penes Cæsarem esse à spirituali distinctam.* Sequitur Almain. *in tr. de pot. Ecclesiastica & Laica, & lib. de domin. Natur.* Ludov. Molin. *tr. 2. de Instit. disput. 29. concl. 1.* Johan. Paris. *de pot. reg. & Papal.* (*quod contra manifesta autorum verba Bellarmin. in suam citat sententiam*) *unà cum cæteris,* quos recens congessit Haiminsf. *de Monarch. &c.* Scotus *lib. 4. de just. & jur. q. 4. a. 1.* ait: *In temporalibus non habet Jurisdictionem, nisi indirectam, in ordine ad finem spiritualem;* id quod non aliter licet interpretari. Nam ut liceat repetere, quod Bonifacius dicit *d. c. unam sanctam, quæ sunt à Deo, ordinata sunt: non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in superiora.* Jam ordo est subalternatio plurimorum ad unum primum per unam regulam seu directionem. Non cadit autem in hos duos fines eadem directio, nisi secundum quid. Ideóque; nec subalternantur, nisi secundum quid, & potestas Ecclesiastica nequit dirigere secularem, nisi quatenus hæc tendit ad illius finem, qui est vita æterna, nec hæc potest immisceri illi, nisi quatenus in vita præsenti eget eius patrocinio & defensione.

Unde jam facilè deteguntur sophismata Bellarm. *in tract. de Pot. Pap. cont. Barcl. c. 2.* quàndo distincta quidem concedit esse dominia Ecclesiæ & Politiæ, & tamen illi attribuit cum majori dignitate, superius imperium. De dignitate confitemur & nos, spiritualium patrum nomen & autoritatem, Ecclesiæ pastoribus nemo mortalium detrahit: sed Sophisticè infertur à dignitate ad potestatem, *ut lib. 1. de jur Maj. c. 1. demonstravimus.* Potestates

ftates enim diftinguit Barcl. & alteri negat in alteram jus aliquod competere, quod Bellarm. ex allegatis *à Barcl.* capitulis fequi inficiatur. Cum tamen *in c. cum ad verum dift. 96.* Nicolaus apertè dicat, *Actus proprios* utriufq; ordinis diftinctos effe. Actus autem proprius principum eft, dominari, uti gladio, & audire: *Clementiffimi Domini,* quo Salvator homines de Ecclefia prorfus interdixit: *Vos autem non fic.* Hunc autem actum involat & violenter ufurpat Pontifex, quando Reges deponit, & pro clavibus Petri cum Julio II. alligat gladium Pauli. Addit idem, *Nec Imperatorem jura Pontificatus arripere, nec Pontificem nomen Imperatoris ufurpare.* Id autem qua via apertius fieri poteft, quam quando fupra Imperatorem fe conftituit Papa, imò fupra omnes Reges & Principes, ut ait Victor. *de pot. Eccleſ. rel. 1. q. 5. prop.* 8. & omnia poffe dicitur ab eodem, quæ Principes feculares poffunt. Si enim eadem poteft Papa, quæ Princeps, jam actibus propriis, ut demonftrat Ægid. *de pot. Eccleſ.* poteftates amplius non funt fecretæ. Refpectivè verò tantum fubjicit Nicol. unam poteftatem alteri, quod Gelaf. *in d. c. duo funt.* fic interpretatur, ut *autoritas facra* in facris maneat penes Pontifices: *regalis poteftas* penes Reges. Poteftas enim Pontificum in fpiritualibus confumitur, illiq; fpirituali Imperio omnino fubjiciuntur Reges & Principes, quatenus funt membra Ecclefiæ, & ad communem finem cum fidelibus tendunt: Cæterum quod inde infert Bellarm. *pag.* 39. Ergo fuperior eft Poteftas Pontificum, & per conf. poteft Reges deponere, præcipuè, quia etiam rationes reddere tenetur pro regiminibus hominum. *Si enim,* inquit, *rationes reddere debet, debet ea regimina corrigere, fi fortè deviant, & in viam reducere,* id minus rectè infertur. Nam I. Si propterea fuperiorem facere poteft Bellarm. poteftatem Ecclefiafticam, quia in Spiritualibus fuperior eft, è contrario *ex eodem c. cum ad verum.* fuperior poteft conftitui poteftas Politica, quia utrumque affirmat Nicol. *Pontifice indigere Imperatorem, pro vita æterna, & legibus imperialibus fubjici Pontificem, pro curfu rerum temporalium.* Ecclefiafticos autẽ teneri ex L. L. Imperialibus, Bellarminus non concedet, cum tamen nos concedamus Imperatorem teneri ex lege Ecclefiæ, quando pomæria fuæ jurifdictionis non tranfgreditur. Nam 2. poteftas Ecclefiæ fpiritualis eft, & huic fubjicitur tota politia: Quod fi verò ultrà progrediatur aliquis de Ecclefia, & regna vel fibi ufurpet, vel pro arbitrio aliis dividat, quod Pontifici licere tradit Victor. *d. prop.* 8. jam oritur confufio Jurifdictionum, & ultra jurifdictionem jubenti impunè non paretur. Tenetur fanè doctor Ecclefiæ rationem reddere de quibufvis actibus fuarũ ovium, fed fi *clamaverit,* & ipfæ aures perrexerint obftinatè obturare, *liberavit animam fuam*: Nec ad ferrum & ignem ipfi devenire licet, quia talia remedia Ecclefia prorfus abhorret. *c. his à quibus 23. q. 8. c. inter hæc 33 q. 2. cum fim.* Fac enim politiam fubjici abfolutè & dependere ab Eccle-

Ecclesia falsò, dixit Nicol. actibus, officiis, & dignitatibus utramque distingui, quia in subordinante semper plus est potestatis & dignitatis, quàm in subordinato, *ut rectè objicit Bozio Barclaius*, & perperàm solvit Bellarmin. *d. cap.* 2. quando duplicem distinguit subordinationem, *alteram, quando potestas subordinati derivatur à subordinante, ut in Vicario, legato. judice: alteram, quando diversa artes sibi subjiciuntur, ratione finium, quemadmodum equestri ars conficiendi frena, Politicæ artes quæcunque.* Nam, quod nunc negat, priori modo dependere potestates politicas à pontificia. ante aliquot annos plurimis argumentis non sine stomacho propugnabat, & inter hęreses Illyrici condemnabat. Binis enim integris libris demonstrare nititur, imperium ad Germanos translatum esse, Pipinum Regem Franciæ constitutum, Electores creatos, autoritate pontificia, nec nunc Imperatoré agnoscunt, nisi coronatum à Pontifice, quod potestatem Imp. à manu Pontificis profluere censeant. Repugnat etiam hac concessione, tum sui ipsius, tum eorum assertioni, quos *in* 1. *cap.* tanquam fulcra Ecclesiæ laudârat. Jure quippe divino Papæ asserunt competere tanquam Christi successori, jus in universum mundum, ut illud tradat, cui visum fuerit, quod mox sui oblitus *cap.* 3. exemplis Christi & Pauli, qui de rebus mundanis pro jure suo disposuerunt, affirmat. Quod si igitur Pontifex tradit principibus regna & potestatem, ut nominatim audet Bozius asserere, quod *ut beneficia, ita omnia regna Papæ sint manualia*, certè Reges priori modo subjiciuntur Papæ, & rectè eam assertionem ad contradictionem redegit Barcl *d. cap.* 2. Sed credamus pœnitenti Bellarmino, cui familiare est, in singulos annos mutare opiniones, quemadmodum Polypus colorem pro natura subjecti lapidis, & cogitationes posteriores præferamus prioribus, non potuisset causæ suæ jugulum vel propius petere, vel crudelius transfodere, quam hac responsione. Verum quippe est, duo hæc regimina sibi mutuò subjici, respectu finium. Finis verò Ecclesiasticæ gubernationis est vita æterna, iis mediis procuranda, quæ à Deo sunt præscripta, prædicatione & exhibitione sacramentorum &c. *Egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Nova verò atq; inaudita est illa prædicatio, quæ verberibus exigit fidem*, ut ait Gregorius *lib.* 2. *Epist. cap.* 1. *dist.* 45. Nam qui vitam æternam perjuriis & injustis lanienis, quibus fenestram aperiunt illi, qui subditos juratos præcipitant in miserrima bella contra legitimos principes, acquiri posse putant, novum oportet habere Evangelium, in quo hæc legant, unà cum donatione Constantini. Ambrosius, cùm Imperator Ecclesiam peteret, fletu & precibus se armabat: *Aliter, inquiens, nec volo, nec possum pugnare.* Spiritualibus enim armis propagatur & defenditur vita æterna, & his obediunt omnium Christianorum principum vota. Sed quando politica arma sibi deripiunt pontifices, ordinem prorsus invertunt,

vertunt, & pro ſubordinatione inducunt meram poteſtatū confuſionem, perinde ac ſi ſapientiæ, quæ ſubjicitur Ethicæ, reſpectu boni publici, *ut patet ex cap. pen. 6. Eth.* Ethica preſcribere vellet, quid docere deberet, vel non. Quoad hæc enim non exaudit imperium Ethicæ ſapientia, nec Imperatoria Eccleſiaſticæ, quando queſtio eſt de condendis legibus civilibus regendis ſubditis, conſtituendo principe vel deponendo, quia hæc merè ſunt politica, & actibus propriis à ſpiritualibus officiis diſtincta. Nil moror ſtrepitus eorum, quos agminatim, quaſi in acie pro ſe diſponit Bellarmin. *d. cap.* 1. cùm non ſint, niſi teſtes domeſtici, & unà cum Bellarm. depoſitione Regum, & abſolutione à juramentis errent poſſe procurari vitam æternam, quod non aliunde, quàm ex verbo Dei pontificio, id eſt, ex ore Pontificis didicerunt.

Quæ proximè dicta ſunt evincunt efficaciter, quod Eccleſiaſtica poteſtas in ſe nihil temporale, nec temporalis quicquam Eccleſiaſticum includat, ſed non videntur obſtare, quò minus amicè poſſint inter ſe in una perſona conſpirare.

Teſtatur enim Nicolaus Pontifex *in d. Epiſt. ad Mich. Imp.* & Iſid. *cap. Cleros diſt.* 21. *antiqua conſuetudine eundē fuiſſe & Regem & Pontificem*, quod colligitur etiam *ex c. de capitulis diſt.* 10. niſi interjiciendam putes conjunctionem; *Et*: inter hæc duo verba: *Pontificum prædeceſſorum.* Quin & Diotogenes apud Stob. dicit: *ἀνάγκα τὸν πλέον βασιλέα, στραταγόντα ἀγαθὸν ἦμεν, καὶ δικαστὰν καὶ ἱερέα.* Si velimus oculos parumper in hiſtorias conjicere, id ita apud pleraſq; gentes obſervatū fuiſſe videbimus. Ægyptiorum mos erat, Philoſophos & Sacerdotes ſuos conſtituere reges, ut ex Platone notat Marſil. Ficin. *in præf. lib. Triſm.* unde apud Tertull. *adverſ. Valent.* Hermetem legimus appellari, & *maximum ſacerdotem & maximum regem.* Nec prorſus falſus eſt Juſt. *lib.* 36. dum ſcribit: *Mos erat apud Iudæos, ut eoſdem & reges & ſacerdotes habeant.* Nam Melchiſedech talis erat. Et de tota Syria & Palæſtina refert Dion. *lib.* 37. quod Rex ſummi Pontificis nomen habeat. quo argumento utuntur tum Bellar 5. *de Pont. c.* 9. tum Haiminsf. *in præf.* 3. *tom. Conſt. Imp.* In Aritia regnum erat concretum cum ſacerdotio Dianæ, ſicut multi Poëtarum teſtantur, præter Strabon. *lib* 5. Sueto. *in Calig.* Id innuit Ovid. *lib.* 1. *art. amand.*

4. *Sacerdotiū apud Ethnicos ſæpe conjunctum fuit regno.*

Ecce ſuburbana templum nemorale Dianæ,
Partaq; per gladios regna, nocente manu.

Item Flaccus *lib.* 2. *argonaut.*

Et ſoli non mitis Aritia regi.

Et Mart. *lib.* 9.

Qua triviæ nemoroſa petit, dum regna viator,
Octavum Dominæ marmor ab urbe legit.

In Cappadocia regnum quoque adhærebat templum Bellonæ, Hirtius *in bell. Alexand.* & Mida Rex Phrygiæ inauguratus legitur sacris Orphei. Justin. *lib.* 11. In Zela penes sacerdotem erat suprema dignitas cum autoritate. Strab. *lib.* 12. Apud Malabarenses Indos, Reges gerebant simul officium Bramanum. Ferdin. Lopez *lib.* 1. *hist. Ind. cap.* 14. Æthiopes Reges suos diligebant ex numero sacerdotum. Diodor. *lib.* 3. *cap.* 1. Apud Lacedæmonios Reges præcipua sacra faciebant, Xenoph. *de Repub. Laced.* Herod. *lib.* 6. Sicut & Persarum Reges *principes ceremoniarum*, vocat Cicero *de divin.* Et Cambyses Cyri pater sacra facit, eademque filio facienda commendat. Xenoph. *lib.* 8. *Cyro*: & Alexandrum M. sæpè ipsum sacrificasse Q. Curtius testatur. Apud Athenienses quoque, qui ceremoniis præsidebat, regis titulo gaudebat, Demosth. *contr. Near.* perindè, ut Romæ post ejectos reges, *Rex sacrificulus* creabatur, ad faciendum ea sacra, quæ nisi à rege fieri non poterant; Liv. *lib.* 2. Halyc. *lib.* 5. *in princ.* Gell. 10. *cap.* 15. Cui tamen ne omnino ullam regiæ potestatis suspicionem præberet, interdictum erat, magistratum ullum subire, sive in pace, Plutarch. *probl. cap.* 63. sive in bello, Halycar. *lib.* 2. Nam, ut Luc. Fenestell. *tit. de sacerd. cap.* 5. scribit, Flaminem Dialem primus Numa Romæ instituit, divisitq; curam sacrorum cum collegiis sacerdotum à se creatorum, Halycarn. *lib.* 2. cùm antea Reges pontificum Regumq; promiscuè munia obirent: & de Priamo & Ænea (notante Serv. *lib.* 10. *Æneid super illud: vigilasne Deûm gens? Ænea, vigila*) & Anio apud Virgilium cernimus, qui ait: *Rex Anius rex idem hominumq; Deûmq; Æneid.* 3. Unde & Halycarn. *lib* 2 scribit Romulum voluisse πρωτεῖον ἱερῶν καὶ θυσιῶν ἔχειν, καὶ πάντα δι' ἐκείνου πράττεσθαι τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσια. Idque *à minoribus*, ait Fenest. *deinceps à C. Cæsare, D. Augusto, multisq; postea principibus, quos pontificatus magni titulis insignitos videmus, observatum est*, ut ex marmoreis inscriptionibus & picturis nos certos facit Barthol. Marlianus *de Antiq. urb Roman.* Augustus, ait Suet. *in Aug. cap.* 31. *Pontificatum maximum, quem nunquam, vivo Lepido, auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit.* Titus Vespasianus Pontificatum maximum ideò sese professus est accipere, ut puras servaret manus. Suet. *in Tit. cap.* 9. Trajanus, ait Plinius *in Panag. stetit ante Consulem sedentem, ipse Consul, Pontifex Maximus, princeps, &c.* Heliogabalus etiam Phœnicum Sacerdotem se tulit in longa purpura auro intertexta, coronaq; aurea gemmis interstincta, Herod. *lib.* 5.

5. Cæterum, ut hæ Ethnicorum consuetudines minimè nobis præjudicare possunt; Johan. Bed. *c.* 3. *de droit. ex Nicol. Epist.* 8. ita & dissimilis subest ratio, cum reges isti non nisi paucis certisque quibusdam sacris assisterent, quod à cura, quam Reipub debebant, eos non abstrahebat. Nam, si quis rationes in principio propositas paulò attentius velit considerare, facilè videbit, nec convenire dignitati Ecclesiasticæ, nec profuturū vel Ecclesiæ

Non convenit dignitati Ecclesiasticæ judicare terrena.

vel Reipub. si quis utrumque officium promiscuè usurpare velit. *Quidni contemnant*, ait Bernh. *lib.*1 *c.5 consid. ad Eugen. judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus & angelos judicabunt?* Et paulo post: *Quænam tibi maior videtur dignitas & potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena judices & reges & principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos; sed quia indignum vobis talibus insistere quippe potioribus occupatis.* Et flamini Diali apud Romanos religio erat classem procinctam extra pomærium, id est, exercitum armatum videre. Idcircò, ait Fabius Pictor. *l.* 1. *rarenter flamen Dialis Consul creatus, cum bella Consulibus mandabantur.* Idem locum in quo bustum erat, non ingrediebatur: Fenest. *de sacerd. c.5* mortuum nunquam tangebat: Gell. *lib.*10. *c.*15. *ex Masurio Sabino.* Imò Pontifici Max. non licebat quidem aspicere. Joseph. *antiq.*3. *c.*10. nec manus sanguine inquinare, Liv. 3 *dec. lib.*10. qua de causa Pontificatum sibi sumpsit. Suet. *in Tit. cap.*9. Idq́ ob hunc finem, ne dignitas Pontificia ulla re profana inficeretur. Unde & Gregor. Papa *lib.*7. *Epist.* 1. scribit: *si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodiè Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atq́; in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo: in morem cuiuslibet hominis me miscere formido. c. si in morte* 23. *q.*8 Et Nicolaus scribit: *Repræhensibile valdè esse, quod Episcopi sunt una in acie contra Piratas, cùm militum Christi sit Christo servire: militum verò seculi seculo c. Reprahensib. q ead.* & ex hac causa Albertus Rex Polonor. cum Creslaus Curo Zvanzius Episcopus Vladislaviensis, multa apud eum dissereret de revocanda expeditione in Turcam, jure illũ repræhendit, Episcopum jubens suarum partium meminisse, quæ consistant in sacris faciendis, non in gerendo bello. Crom. *lib.* 21. Quis enim probare possit Eusebij illius insolentiam, quem scribit Theod. *lib.*4. *cap.*13. militari ornatu & thyara capiti imposita Syriam circumeuntem presbyteros & Diaconos creasse instar Sacerdotum Pantheon, quos & judicium in controversiis civilibus tulisse & exercitus duxisse testatur Diod. Sic *lib.* 6. *c.*10. aut Valentis illius superbiam, qui in Concilio Aquiliensi sub Damaso Papa I. ab officio dejectus est, quod in exercitum torquatus, brachatusque prodiisset: *Ærod. rer. jud. lib.*1. *tit* 4. *cap* 8. cum Paulo Samosateno, vel illud vitio datum referat Tripartita; quod instar politicorum magistratuum epistolas per vias eundo legeret. Richardus Rex Angliæ, cum Philippus Episcopum Bellovacensem, qui contra exercitum suum militem duxerat acie captum detineret eumque, tanquam filium suum Pontifex dimitti juberet, Romam misit arma, quæ Episcopus in acie gestarat, petitq́; considerari: *an hæc esset tunica filij, anq́; filij Papæ talem amictum gestarent.* Unde Papa ita erubuit, ut eius gratuitam liberationem ulterius non postularet.

Prærogativa Flamini Dialis.

Pontificum Max.

B 2 Helinsh.

Helinsh. *in Chron. Richt.* I. Recordatus est enim eius, quod in Concilio Meldensi legitur: *cap.* 37. *Non possunt simul Deo & seculo militare*: Aut quod Zacharias Papa ad Episcopos Gallicanos venationibus deditos, & in militiam proficisci solitos scribit: *Sacerdoti, qui pastor est, arma non ferre, nedum quemquam bello occidere licet.* Avent. *lib.* 3. *Annal. Bojor.* Id quod utinam in memoriam etiam venisset Julio II. qui cùm exercitum Romà trans Tiberim in Gallos educeret, *Quando*, inquit, *nobis claves Petri nihil prosunt, age gladium Pauli distringamus.* Arnold. Ferron. *in Annal. Gall.* Eum enim rectè admonet Budæus *lib.* 5. *de Ass. An*, inquit, *eius temporis in mentem non venit, cum D. Petrus Paulusq; & eorum sequaces, Ecclesiæ Architecti, non armorum splendentium fiducia infecti ad prælia grassabantur, sed innocentiâ freti, cætera inermes, ad castra Christi tuenda, in tumultu flagrantissimæ caritatis classico ciebantur?* Nec id illi tum subiit, quod ex Ambrosio citat Gratianus: *Dolor, fletus, orationes, lacrumæ fuerunt mihi arma adversus milites. Talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. cap. non pila* 23. *q.* 8. *Nunquid hoc legieur* (verba sunt Petri Damian. *in Epist. ad Firm. Episc.*) *vel egisse, vel literis docuisse Gregorius, qui tot rapinas atq; violentias à Longobardorum feritate est perpessus? Num Ambrosius bellum Arrianis, se suamq; Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Nunquid in arma Sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum? Causas igitur Ecclesiastici cuiusq; negotij leges dirigant fori vel sacerdotalis gesta concilij, ne quod gerendum est in tribunalibus Iudicum, vel ex sententia prodire debet Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium, congressione bellorum.* Quod si hæc arma transcendere & Chlamyde galeaq; se induere ausi fuerint, pœna peccato comes ire solet, sicut Aventin. *Exhor. de bell. contr. Turc. suscip.* demonstravit, vix unquam Ecclesiasticis benè cessisse, qui illicita arma sumserint, à quibus omni modo reliquos avertere debebant. *Quo enim pacto*, ut scripsit Zacharias Papa ad Clerum Gallicanum, *victoriam spectare ausis, eo bello, quo Sacerdos simul & manus cruore ac cæde polluitur, & sacrosanctam hostiam impuris manibus, sceleratiore mente contrectat.* Testis est expeditio Leonis 9. Julij II. Juliani Cardinalis in Ungaria, Philippi Episcopi Bellovacensis, ArchiEpiscopi Eboracensis, qui totum exercitum perdidit, quem ex Monachis, Sacerdotibus & rusticis contra Scotos ducebat. Polyd. Avesbur. Caxton. *in hist. Angl.* Ea expeditio Anglis adhuc nota est sub nomine: the Whithebattel, propter multitudinẽ Clericorum. Adelboldus Pontifex Ultrajectinus à Diederico III. Comite Holand. cui præter æquum, bellum intulerat, bis turpiter victus, & vix sive equo, sive navi, *ut refert Ditmarus*, elapsus: *Beka*, secundo prælio vivus in hostis potestatem pervenit. Leo IX. victus & captus ab Umfredo, comite Apuliæ, quem Platina in Leon. 9. vocat Gisulfum, juxta Beneventum nuper ab Henrico II. Imp. sibi concessum. Chron. Casinens. *lib.* 2. *cap.* 88. Inno-

cen-

centius II. captus à Guilielmo, Duce Calabr. Rogerij filio cum Cardinalib. Collenutius & Blond. Agriensis & Veradiensis Episcopi, qui temeritate sua primum damnum exercitui Vladislai intulerant, primo etiam impetu cæsi: Julianus omnium malorum autor & perfidiæ suasor pugnando cecidit, nec rediit ex toto hoc exercitu tertia pars, ipso etiam Rege perfidiæ pœnam simul & impudentiæ luente. Bonfin. *Dec. 3. lib. 6.* In summa, sicut de Achæis dicebat Flaminius: *Vos experiemini fortunam Conchyliorum, quæ ut caput ex testis promunt, statim se obijciunt alicui periculo*: Sic Ecclesiastici, quando ab altari prodeunt ad bella, præ studiorum distantia, & in his rebus cæcitate, non possunt non in certum aliquod malum impingere. Plutarch. *in Flam.*

Nec satisfacit gratia: § *Ecce quod* 23. *q.* 8. dum distinguit inter Ecclesiasticos, qui nihil accipiunt præter Leviticam portionem & eos, qui præter hanc, etiam prædia, villas, & castella & civitates possident, sicut legimus Jacobum quendam eiusdem civitatis & Principem fuisse & Episcopum: apud Theod. *lib. 2. cap.* 30. & constat Paschali à Ludovico concessam Romanam civitatem cum ducatu suo, & suburbanis & viculis omnibus & territoriis, &c. quæ continentur in instrumento donationis. *c. Ego Ludo. dist. 6.* & apud Volaterr. *lib.* 4 *Geogr.* Nam cum Archiepiscopus Coloniensis irrisus à rustico, quod, cùm Petrus Apostolus in tanta inopia vixisset, eius successores regibus pares essent, respondisset, se duplicem personam sustinere, & Episcopi & Ducis, rusticus parum rusticè subsumpsit: *Quando igitur Ducem vita functum Cacodæmones ad inferos trahent, quorsum existimas iturum Episcopum?* Fulgos. *lib. 6. collect.* Duar. *lib. 1. Sacr. Eccles. minist. cap. 4.* Nicolaus *Epist.* 8. membra Diaboli vocat, qui in Ecclesia utrumq; usurpant officium & Episcopi & Principis, ut contra Papam urget Bed *ch. 5. de droict. des Roys.* Unus homo non sufficit duabus curis. Hoc enim in quæstione versatur, & Bellarmin. *contra Barcl. cap. 11.* quæstionem accipit loco probationis, quando Julij II. expeditiones excusat per aliorũ Pontificum exempla. Disputatur quippe: utrum castella & civitates cum jurisdictionibus suis Ecclesiasti gubernare possint, quod ad officium politicum pertinet, avertitq; possidentes à cura rerum cœlestium. Sicut enim Paulus ait, 1. *Corinth.* 7. *Qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, solicitus est, de iis quæ sunt mundi.* Ita qui se mancipat mundanis curis, ut iis satisfaciat, cogitur, & interim negligat, quæ sunt sui officij. Ea enim cupidinis est regnandi natura, ut non patiatur aliud cogitari ab eo, quem semel in suas redegit leges, sed instar Zelotypæ fœminæ, sibi soli operam omnem impendi deposcat. Nec verò possibile est, ut unius hominis cura & vita duobus tàm arduis officiis sufficiat sicut Romæ judicatum fuit in causa Huberti Archiepiscopi Cantuariensis, cum accu-

Objectio Gratiani.

Diluitur.

ſatus eſſet à Monachis eiuſdem Eccleſiæ, quod impeditus negotiis regni, (erat enim prorex Angliæ ſpiritualia curare non poſſet. Juſſus enim fuit ex aula ad Eccleſiam redire, quamquam Gervaſ. Dobornienſ. eum ultrò ſe abdicaſſe ſcribit iis negotiis, quibus expertus erat ſe non ſufficere. idque jam diu ante convenerat inter Epiſcopos Angliæ in Concilio, quod Anſelmus Londini celebrarat, cuius ſecundus canō eſt: *quod Eccleſiaſtici non debeant gerere ullum officium ſeculare, nec ſedere in judicio de vita & morte.* Henr. of. Hundtingdon. Eadmerus. Matth. Paris & alij *in hiſt. Angl.* Alexius quoque Imperator Conſtantinum Meſopotamitam Pontificem Theſſalonicenſem ab officio removit, quod ex templo pedem in curiam protulerat. Nicet. 2. *Annal. Alex.* & Sigiſmundus Rex Poloniæ prohibuit Eccleſiaſticos prorſus miſceri judiciis ſecularibus, niſi peculiariter à rege acquiſitos. *lib. 1. ſtat. Polon. c. 2. a. 11. lib. 5. c. 3. a. 1. lib. 19. lib. 4. a. 1. lib. 5.* Unde eſt, quod Archiepiſcopus vel Epiſcopus, quando promovetur ad officium Cancellarij, beneficium Eccleſiaſticum cogatur regnare. *Inſtatut ijſdem.* Philippus Valeſius à Parlamentis prælatos & Epiſcopos omnes arcuit, *Se enim,* dixit, *non poſſe bonâ conſcientia paſtores animarum curam gerentes avocare à tam ardua cogitatione.* Obrecht. *diſp. 1. de bell. n. 104.* quâ eadem de cauſa Fabius Maximus Æmilium Rugillum ſacerdotem Quirinalem à conſulatu removit. *Non enim,* inquit, *eum à ſacrificiis & Deorum cultu avocare licet.*

2\. *Bovij error de Pontifice Max. Romanor.*

Sed ut redeamus ad Pontifices Romanorum, & de iis adhuc verbum adjiciamus, non poſſum ſatis mirari, quomodo Bovius *in refutat. D. Pauli Venet.* tàm parum in hiſtoriis viderit, ut dicat: *Coſi era nella Repub. Romana maggiore la poteſt à dei Pontefici, nel far delle leggi, nel mouuere delle guerre & altre coſe denotanti il ſupremo dominio,* Cic. 2. *de ll. & 2. de Nat. Deorum, Come pruoua il Signor. Cardinal* Baronio *Tom. 3. Annal.* 312 & ex eo inconſultò tranſcribit Gretſer. *in Indic. Error.* Goldaſt 3 *tom. conſt. Imp. cap. 4.*

Confundit augures cum Pontificib.

Primum non diſtinguit inter Pontifices & inter Augures, quorum diſcrimen vel ex Halycar. *lib. 2.* & Feneſt. *de Sacerdot.* & Pomp. Læt. *de Sacerd. Rom.* infinitiſq; aliis diſcere potuiſſet. Cicero enim de Pontificibus non loquitur, ſed de Auguribus, *quos,* ait, *poſſe à ſummis imperiis & ſummis poteſtatibus comitatus & conſilia vel inſtituta dimittere vel habita reſcindere, poſſe decernere, ut magiſtratu ſe abdicent conſules; poſſe cum populo, cum plebe agendi, aut non agendi jus aut dare aut non dare: poſſe leges jure non rogatas tollere: nihil domi, nihil militiæ per magiſtratus geſtum ſine eorum autoritate poſſe valere;* imò & hoc addamus, diem, horam & locum pugnandi ab iiſdem poſſe præſcribi, &

Officium & neceſſitas augurum.

breviter *autoritatem rerum gerendarum augurio contineri,* ut ait idem Cicero *in orat. de Aruſp.* ſed hæc & alia obtinebant non per poteſtatē, ſed per auguria, prout ea ſuadere vel diſſuadere obſervaverant. Ita Claudius Regillenſis dictator cum Claudio Hortatore magiſtro equitum ſe magiſtratu abdica-

dicavit, quod augures vitio creatum videri dixissent, Liv. *lib.* 8 idemque quarto anno pòst fecit P. Cornelius Ruffinus dictator. *Idem ibid.* Sempronius Atratinus, L. Atilius, T. Cæcilius tribuni militum coacti sunt abire magistratu, quod tabernaculum inauspicatò captum responderetur. Liv. *lib.* 4. Pompeius, ut prohiberet, quo minus Cato præturam obtineret, mentitus se tonitru audisse, comitia dissolvit. Erat enim in consuetudine positum, ut, si de cœlo esset servatum, nihil ageretur. Plutarchus *in Cat. Utic.* Et Cato eadem fraude voluit Trebonianam legem impedire, cum per forum sonuisse vociferatur, sed vis Tribuni prævaluit contra clamorem Catonis. *Idem ibid. Nostra civitas,* ait Manlius, *omnibus rebus incipiendis Deos adhibet.* Liv. *lib* 38. Tiberius Gracchus cùm comitia consularia habuisset, dicerentque Etrusci augures rem in augurio experti vitio Coss. creatos fuisse, Gracchusque ut ineptos & insanos Etruscos incesseret, abiens in provinciam Senatui rescripsit, veridicos, non autem insanos Etruscos esse. Nam, cum se collegisset, meminisse se locum tabernaculo extra pomærium præter majorum consuetudinem delegisse. Fenest. *de Sacerdot. Rom. cap.* 4. Sic & Marcellus & Flaminius se abdicare coacti sunt, quòd vitio creati dicerentur, licet Flaminius literas prius non aperuisset, quam collata pugna, versisque in fugam Barbaris, in hostium agros excursionem fecisset. Plutarch. *in Marcell.* Atque hæc superstitio ita dilatata fuit, ut, dicente Livio & Cicerone *lib.* 1. *de Divin. Romani nihil publice, sine auspiciis, nec domi, nec militiæ gererent. Auspiciis,* ait Appius Claudius, *hanc urbem conditam esse, auspiciis bello ac pace, domi militiæque omnia geri, quis est, qui ignoret?* Liv. *lib.* 6. *in fin.* meritòque putati sunt puniti P. Claudius, L. Lunius, Flaminius, Coss. quod auspiciis non paruerint. Cic. *lib.* 2. *de Divin.* & Cic. quoque 3. *de Leg* tàm necessarium putat auspicium in magistratu, ut ad eius essentiam illud requisiverit, quod & nuptiis interponi solitum scribit Valer. *lib.* 2. *cap* 1.

Quanquam enim augures dicuntur ab una suæ professionis parte, tamen eos petitos fuisse & declarâsse tàm signa cœlestia, quàm terrestria docet Halycarn. *lib.* 2. Nec tamen cogendi aut imperandi potestatem propterea iis tribuere debemus, quia P. Claudius primo bello punico, cum prælium navale committere vellet, auspiciaq; more majore petiisset, & pullarius non exire caveâ pullos nunciasset, abjici eos in mare jussit, dicens: *Quum esse nolunt, bibant.* Polyb *lib.* 1. Cicero *lib.* 1. *de Divin.* Valer. *libr.* 1. *cap.* 4. L. Tarquinius ipsum augurem occidit, qui *inauspicato mutari* responderat, quod *Romulus auspicato constituerat.* Offensus enim Tarquinius interrogavit: *posse ne fieri, quod ipse mente conceperat*: posse fieri, dicente, jussit *novacula cotem discindi.* Cic. Valer. *dict. loc.* Liv. *lib.* 1. Fenest. *cap.* 4.

De Pon-

Officium Pontificũ apud Romanos.

De Pontificibus verò nullo argumento demonstrare poterit, quod vel leges condiderint, vel bellum moverint, vel alia jura majestatis usurpârint, vel in his agendis potestatem habuerint. Totum enim eorum officium descripserunt Halycarn *lib.2.* Fenest. *lib. de Sacerdot. cap.8.* Liv. *lib.1.* Pompon. Læt. *de Sacerdot.* Plutarch. *in Num.* Valer. *lib.1.cap.1.* & tota historia huius rei plena est, sed nullibi iis assignatum legitur, quod Bovius iis tribuit. Cognoscunt de omnibus caussis ad sacra pertinentibus & inter privatos & inter magistratus & Deorum ministros. *Religionis judices* eos vocat Lentulus, ut *senatum legum*, apud Cic. 4. *ad Attic.* id quod idem *in exord. orat. pro domo* explicat de religionum sapienti interpretatione. Item *leges ferunt de sacris, quæ non sunt scripta, aut quæ moribus non sunt recepta, & ipsimet arbitratu suo leges & consuetudines eligunt, quas omnium optimas judicarint.* Halycarn. *lib* 2. Hoc jure impeditus fuit Marcellus honori & virtuti conjunctim templum condere, quod *si quid prodigij in eo accidisset, dignosci non posset, utri rem divinam fieri oporteret, nec duobus nisi certis Diis, unâ sacrificare solere.* Plutarch. *in Marcell.* Valer. *lib.1. cap.1.* Hoc jure Augustus fatidicos libros usque ad duo millia combussit, retentis solis Sibyllinis. Suet. *aug. n.* 31. Hoc jure Tiberius externas ceremonias, Ægyptios, Judaicosq; ritus compescuit. *Id: in Tib. cap.36.* Ex hoc jure derivatum est, quod scribitur, *l. hæreditas de petit. hæredit.* Pontificiali autoritate compelli hæredes ad monumentum ædificandum, & *l. ult. de mort. infern.* Pontificem de religiosis locis consulendum esse. Porrò omnes magistratus, quorum curæ sacrificia & Deorum cultus est commissus, & omnes sacerdotes examinant. Halycarn. *lib.2.* Ita P. Licinio Pont. M. virgo vestalis, quia quadam nocte parũ diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoneretur. Val. *lib.* 1. *cap.* 1. Ita Æmilia coram sacerdotibus de non custodito igne, & coram iisdem Tucia à quodam falsò accusata fuit, Halycarn. *d. l.* & Postumius Consul vetitus trajicere in Africam à Metello Pont M. quod flamen Martialis esset, Valer. *d. l.* Flor. *Epit. lib.19.* cui per tres noctes urbe abesse non licet. Plutarch. *probl. c.39.* Ita Augus. Sacerdotum & numerum & dignitatem, sed & commoda auxit: non nulla etiam ex antiquis ceremoniis paulatim abolita restituit, ut salutis augurium, Diale flaminium, sacrum Lupercale. Suet. *Aug. cap.31.* Nec *cœlestes modo ceremonias*, ait Livius *lib.1.* & Cicero 2. *de ll. sed justa quoq; funebria, placandosq; manes iidem pontifices edocent*, quò faciunt jam dd. ll. Populo quoque, qui Deorum cultum ignorant, sunt enarratores & interpretes, & quos animadvertunt suis mandatis non parere, pro cuiusque delicti magnitudine eos mulctant. Cic. 2. *de ll* Halycarn. *d. l.* Addit Fenest. apud summum Pontificem quoque tabula esse dicitur, in qua Solis & Lunæ defectus, quoties luminum caligo fit & anni mensium, fastorumq; ratio perspicitur. Hoc

per

perſpicuè apparet in Cæſare, qui faſtos jam pridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neq; meſſium feriæ, æſtate, neq; vindemiarum autumno competerent, correxit. Suet. *Cæſ c.* 40. & Auguſtus annum à Iulio ordinatum, ſed poſtea negligentia conturbatum atq; confuſum, rurſum ad priſtinam rationem redegit. *Id. Auguſt. c.* 31. & Claudius Ecclypſeos futuræ delineationem publicis tabulis propoſuit, ne animi ſuperſtitioſorum inde perturbarentur. Dion. *lib.* Sed & ſtatuas ponere & honores bene meritis aſſignare ad hoc collegium pertinebat, ut colligere licet ex Suet. *Auguſt. c.* 31. Pontes item reficere, qui ſine ceremoniis refici non poterant. Varr. *lib.* 1. *ling. lat.* Feneſt. *d. lo.* unde pontifices eoſdem dictos volunt: Item Annales rerum maximè memorabilium conſcribere, Cic 2. *de orat.* quos *Annales Maximos* vocat Macr. *lib.* 3. *Satur. c.* 2. Et quia in tabulis albis proponebantur: *Album Pontificium* dicti ſunt. Præter hæc omnia, Pompon. *l.* 2. *de orig. juris* § 6. Primis annis apud collegium Pontificum juris interpretandi ſcientiam & actiones fuiſſe teſtatur, quod Valer. nobis explicat cum dicit: *Ius civile per multa ſecula inter ſacra ceremoniaſq; Deorum immortalium abditum ſoliſq; pontificibus notum fuit.* Zaſius *ad l.* 2. *de orig. jur.* § 6. *verb. action.* Eberlin. *ad eand. l. c.* 7. *de legis actionibus.* Atque hæc ſunt jura collegio Pontificum conceſſa, in quibus ipſi nulli judicio nulliq; mulctæ erant obnoxii, neq; ſenatui, neq; populo dictorum factorumvè rationes reddebant. Halycarn. *lib.* 2. Sed nunquam tanta iis data fuit poteſtas, quantam iis tribuit Baron. & Bovius. Id quidem concedimus, pontificem Max. potuiſſe & conſulem & prætorem & magiſtrum equitum creari, ſicut de Licinio Craſſo, Liv. 3. *decad. lib* 8. M. Marcello, Liv. 4. *Decad. lib.* 3. Flaminio, Plutar. *in Marc.* Julio Cæſare, Suet. *Cæſ.* 13. Lepido, Dion. *in trium*: aliiſq; pluribus, Aerod. *rer. jud lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 2. conſtat, nec negari poteſt, quin tum ſumma poteſtate uſi fuerint, ſed non jure Pontificatus, verum ratione officii Politici.

CAPUT II.

QUIBUS MALIS EXPONATUR RESPUBL. Quæ ſacris ſuis præfectos Româ aut aliunde expectare cogitur.

SUMMARIA.

1. *Exemti, nolint velint, ſæpe coguntur eſſe hoſtes Reſpubl.*
2. *Exemti impunè graſſantur in majeſtatem, ſi non ſint ſubditi, ſed ſuſtineantur à poteſtate peregrina.*
3. *Exemtio Clericorum replet Rempubl. peregrinis hominibus, qui Reipubl. quidem non proſunt, ſed fructus tamen civibus præripiunt.*
4. *Exemtio eripit Eccleſiis jus eligendi paſtores, quod iis jure divino & humano competit.*
5. *Ius peculiare Gallorum in eligendis Epiſcopis, quod etiam in aliis regnis &* [illegible]

Rebuff.

Rebuspubl. notatur. 6. Exemtio Clericorũ trahit homines & pecuniã Romã, lites facit immortales & c. 7. Quantum exemtio noceat Ecclesiis.

Redeamus ex digressione in viam, & repetamus, quod multis demonstratum fuit, Ecclesiasticam potestatem consistere in operibus, quæ ad vitam æternam obtinendam ordinantur, secularem v. in iis, quæ spectant salutem Reipub. addamusq; tantum distare unam ab altera, ut sine confusione altera alterius limites supergredi non possit. Restat igitur ad has regulas examinandum, utra plus de jure alterius usurpet. Nam secundum regulam, Arist. 5. *Eth. c.* 3. & 4. ab illius, qui plus habet, lucro tantum decerpendum est, quantum illi, qui minus habet, ablatum videbitur. De duplici autem re controversia est, de *personis* Clericorum & eorum *bonis*. Vtraq; enim Pontifices post longas concertationes, Reipubl. subtraxerunt, &, ut dicebat Appius ad tribunum, *peculiarem patriam, peculiarem Remp.* sibi constituerunt, ad exemplum Pharisæorum, qui cum tota gens Iudæorum fidem suam regi & Cæsari jurejurando obligassent, soli non juraverunt, Ioseph. *lib.* 17. *antiq. c.* 3. qua quidem plenaria exemtione nihil potest Rebusp. excogitari pernitiosius, nihil iniquius. Quæ enim major iniquitas, quam florem bonorum Reip. iis depascendum dari, qui non tantum onera non ferant, nec Remp. juvent ex iis bonis, unde suam salutem sperare habet, sed ne eam agnoscant quidem benefactricem, à qua omnia sua prius emendicarunt, & quæ tenetur ne mortis quidem discrimen effugere, ut ipsi tuti sint.

Lis est de Personis & bonis Clericorum.

Quæ major pestis, quam in medio sinu habere, non tantum contra quos, si omnite affecerint injuria, mutire non audeas; Sed etiam qui alienæ fidem potestati dederint, hoc est, qui teneantur ad nutum alterius arma in te sumere? nec, ut maximè velint, abnuente externa potestate, quicquam pro tua salute facere audeant? sicut, Ivo Carnotens. negat se posse obedire Philippo regi excommunicato *propter Apostolicæ sedis jussionem, cui,* inquit, *vice Christi me oportet parere. Epist.* 105. Belleforest. *lib.* 3. *c.* 25. Peregrinos repulerunt Lacedæmonii à Republic. ut dicebat Lycurgus, *ne qua bona didicissent, aliò transferrent,* Plutar. *in Lycurg.* aut ne *murum ascenderent,* id est, arcana Reipubl. divulgarent, aut ne legitimis civibus, qui onera subire coguntur, debitum lucrum præriperent. Peregrini autem propriissimè sunt, qui versantur in Repub. cui non sunt subjecti: Ità enim *peregrè esse* interpretatur, Paschal. *lib.* 1. *de leg. c.* 1. & 2. quando legatum definit, *qui peregrè mittitur.* Addit Arist 5. *poli, c.* 3. ab his maximè timendum Reipub. quod nunquam conquiescat, quamdiu abundet peregrinis, qua de causa & nomen hostis, quod olim peregrinum signabat, Fest. 8. *de verb. Sig.* in odium abiisse videtur. Si igitur Clerici nolunt subjecti esse Reipubl. non alio loco possunt haberi, quam quo sunt peregrini, nec

1. Exemti coguntur esse hostes Reipubl.

rii, nec minus ab iisdem timendum, imò tantò magis, quantò arctius suo superiori obstringuntur, & quantò intimius in arcana Reipub. penetrare possunt. Quæ enim est Respub. ubi Ecclesiastici primum non habeant locum in comitiis & publicis de salute Reipub. deliberationibus? In Germania primi sunt tres Electores spirituales, in Anglia duo Archiepiscopi, in Polonia totidem, in Galliis olim primi Parium erant tres Ecclesiastici: idque non immerito, quia æquum est, antestent in consilio, qui antestant prudentia: *nec videtur novisse res humanas, nisi qui divinas cognitas habet*, ut ait Indus ad Socratem, ap. Eus. Pamph. *lib.* 11. unde & Galli Drudum suorum fidei privata & publica maximè committere solebant, quippe quos justissimos putabant Strab. *lib.* 4. Cæs. *lib.* 6. *bell Gall.* Sed eosdem partes Reipub. esse oportet, ut id dicere possint, quod senator Polonus jurat: *pro posse meo in regis & regni commoda consulam*, id quod peregrinus, & qui alteri obligatus est, nunquam dicere potest, siquidem unusquisque cogitur omnium salutem postponere saluti eius, cui fidelitatis juramentum præstitit, *ut docent Feudistæ & Dd. ad c.* 1. *§ contra omnem de no form. fidel.* Curt. *in tr. feud.* 4 *part. n.* 8. Specul. *§ quoniam vers.* 16. *de feud.* Schrader: *tr. feud. part.* 6. *c.* 5. *n.* 1. idque efficacius procedit in juramento subditorum, quia licèt aliquis possit Vasallus esse plurimorum dominorum, *gl. & Canonistæ in c. cæterum. de jud.* Alvarot *divis.* 13. Specul. *t. de feu. § quoniam*, nisi sit ligius, *ut est gl. in Clem. pastoral. in ver. ligius de sent. & re jud.* tamen duarum majestatum subditus simul esse nequit, sicut Cic. Romano jure cautum fuisse testatur: *pro Cornel. Balb.* unde Pomponius Atticus negavit accipere jus civitatis Atheniensis, *ne*, ut inquit Cornel. Nep. *in Pomp. Attico. jus civitatis Romanæ ammitteret.* Usque adeò fortius obligatur subditus majestati, quam Vasallus Domino, qui licet fidem illi debeat, eius tamen imperio non continetur, ut subditus. Bodin. *lib.* 1. *Reipub. cap.* 6. Reperitur inter leges pragmaticas Hispaniæ una à Johanne II. lata. *lib.* 3. *ordi. t.* 1. *l.* 109. quæ *eum, qui se foro suo abdicat & clericum agit, statim privat omnibus muneribus, officiis, stipendiisq;*, cujus fortasse eadem ratio esse potest, quæ legis, *Militares de re milit.* ubi miles. civiles curas arripiendo militia statim & omnibus eius privilegiis excidit, ne scilicet fruatur privilegiis, qui seipsum privavit causa, ob quam Privilegium datum erat, aut ne virtutes eius præmio efficiantur, cujus peccata puniri non possint. *Maximè enim absurdum est & iniquum*, ait Couvarr. *pract. qq. cap.* 33. *n.* 6. *admitti ad officia publica secularia, qui non possint à judicibus secularibus puniri, si deliquerint in officio.* Et *q.* 4. *num.* 1. & 2. *Maximè contrarium est regiæ dignitati, ut sub ea sint homines, quibus non liceat regem ex causa appellationis adire.* Magis autem absurdum sit, primum in Repub. locum assignare iis, quos magis timere cogaris, quam hostes.

Ecclesiastici debetur primus locus.

Nemo potest duorum dominorum subditus esse.

Clerici an committant crimen Majestatis.

Nullus hostis, nulla arma, nullus labor corporis tam efficax in Repub. est, quàm religio. l. 16. in qualibet C. Theod. de Epis. & Cler. & plebs vana religione capta melius vatib. quam ducib. suis paret. Curt. *lib.* 4 Animum autem peccandi iis addit, si spem impunitatis sibi propositam sciant. *Nov.* 17 *c* 5 sicut apertis libris promulgare non erubescunt, Clericos nõ esse subditos, Tholosan. *de Repub lib* 3. *c.* 7. *n.* 1. *per l. cum Clerici &c. C. de Episc. & Cler. Authent. ut Cler. apud propr. Episc. conv. quæ quemadmodum huc faciant, paulò inf. à patebit*: Nec in principem committere crimen majestatis, quam communem opinionem esse testatur Card. Alex. *in c. inprimis § de perso col.* 5. *vers. non obst opin.* 2. *q.* 3. Gomez *in § rursus post. n.* 24. *Inst. de action.* Quamquam Clar. *lib.* 5. *recep. sent. § læs. maj. n.* 7. contrarium à principibus observari testetur, & sic Archiepiscopum Florenti suspensum fuisse propter majestatem violatam. Qua thesi nullum magis firmum argumentum potuisset Bucherio suggeri ad defendendum regicidium sui Monachi. Gigas *lib.* 1. *Qual. & à quibus crim. majest. comm. q.* 63. Decian. *in tr. crim. lib.* 7. *c.* 8. *n.* 6. Bocer. *c.* 3. *n.* 103. *de regal. fisci.* Tum etiam fieri potest, ut superior potestas vi debitæ fidelitatis contra Rempub. eos armet, idque eò magis obligat, quod eius jussa apud homines superstitiosos non videantur admittere exceptionem injusti mandati, cum jussit, quicquid Papa facit, nec ei liceat dicere; *Cur ita facis*? Si igitur Innoc. *in c. quod sicut de Elect. cum Abb. ibidem & in c. cum terra* & Mart. Lauden. *de dignit. q.* 4. rectè docet, principis interesse, ne aliquis prælatus eligatur suspectus, quem & propterea putant posse reprobari, imò institutum non admitti, *secundum Inno. n. c.* super his & Abb. & Feli. *ibid. de accusat*: quanto magis favori publici commodi dandum esset, ne ad illius gubernationem admitterentur, quos certum est non posse aliter, quam contra Rempub. stare, si controversia inter illam & Pontificem incidat. Timebat olim Romanus, ne si ad Pileum conclamari servi cœperint, Respub. tot habeat hostes, quot quisque domi alat servos, Liv. *lib.* 2. Macrob. *lib.* 1. *Sat.* Quis dubitet, modò Papa præcinat classicum, tot quæq; Respub. expertura sit exercitus contra se, quot aluit cœnobia monachorum, quot conventus Sacerdotum, quot capitula Canonicorum? Templarios non alia de causa videntur olim principes sustulisse, nisi quot eorum potentiam suspectam haberent: atqui omnium istorum, qui in devotionem Papæ jurârunt, multo major est potentia, quorumq; omnium talis est animus, ut istius autoritatem vel per mortes suas, si opus sit, tueri velint. Annon Fischerus Episcopo. Roffensis, Thomas Morus & infiniti alij mortem subire maluerunt, quam digitum cedere regi Angliæ de primatu in Ecclesia? Balæus *Centur.* 8. *c.* 68. 69. *de scriptor. Britan.* Nec enim de religione tùm quæstio erat, sed de jure regio, quod Rex contra Papæ imperium sibi vendicabat. Cicestr. *in tort. Tortip.* *g.* 71.

Clerici coguntur pro Papa pugnare contra Remp.

Probatur exemplis.

Cum

Cum Henricus IV. Fridericus I. Henricus VI. Otto. IV. & alii Impera. segregati essent à cœtu fidelium, quis prius in eos debacchati cœpit, quam Episcopi & clericorum juratus ordo? Cum Philippus I. ob injustum matrimonium ab Urbano II. eoque ipso Gallicæ nationis, excommunicatus esset, quis magis, ne exolveretur, restitit, quam vo Episcopus Carnotensis. *Cavete & vobis, ait, Epist. 49. & nobis, ut semper clavibus & catenis Petri fortiter teneatur.* Item *Epist.* 28. *& alib.* Nec tam cito sententia Urbani promulgata fuit, quam concilium Claromontanum in ipsa Gallia ex 300. Episcopis coactum, eam probarat. Naucler. *gen* 37. Masson. *lib.* 3. *Annal.* Aemil. *lib.* 3. Excommunicato Johanne rege Angl. vix unus & alter Episcoporum remansit in regno: reliqui in Gallias aufugerunt. *Polydor. lib.* 15. Quis gravius scripsit in Henricum IV. quàm Episcopi Germani? *Du. Henricus*, ait Stephanus Episcop. Halberst. *in append. ad Chron. Mariani Scoti, ab Apostolica sede excommunicatus nec regnum nec potestatem aliquam super nos, qui Catholici sumus, potest obtinere*, ejusq; exemplo Rossæus *in lib. de aut. Reipub. in reg. c.* 8. *nu.* 11. instruit Episcopos Galliæ, ut simili ratione deserant Henricum Navarræum legitimum successorem, regni Franciæ, quia sacris illi à Sixto V. interdictum erat. Ne de Pauli Bernritensis & Gerochi Reichersperggensis Antistitum libris pro defensione Hildebrandi contra Henricum scriptis dicam, nec Episcoporum eorum pervicaciam adducam, qui *mori se malle* dixerunt, quam *Henricum contueri vivum.* Avent 5. *Ann. Boi:* Excommunicato Ludovvico Bavaro à Clemente VI. nemo plus nocuit, quam Episcopus Trevirensis, cui antea plus, quam vivo pectori confisus fuerat. Coactus favorem suum aliò inclinare, Carolum Boemum & ad petendum imperium incitavit, & ad adipiscendum adjuvit. Cario. *lib.* 4. *Chro. in Ludovv.* Nam & hoc incommodum sentiunt Resp. ex alieno imperio, ut cogantur recipere eos, qui contrariis partibus magis, quam propriis student, sicut conqueritur Senatus Parisiens. *in eo libro quem Ludov. regi exhibuit.* In Anglia cum Thomas Becketus morte sua jurisdictionem Papæ salvasset, & postea Johannes Rex totum regnum Pontificis arbitrio subjecisset, non alii ad lautiores præbendas Romà mitti solebant, quam Itali & extranei, qui argentum à subditis severius, quam Angli fecissent, extorquebant, bona Ecclesiæ, tanquam à suis non possidenda amplius, distrahebant, & quicquid lucrati essent, vel ad Papam premittebant, vel ipsi in ejus curia dilapidatum ibant. Interim, dum aberant in patria aut curia, non erat, qui sacra faceret, imò licet præsentes essent, non poterant populum docere, quæ est præcipua pars muneris Ecclesiastici. *l. addictos de Epis. aud.* C. quia linguam ignorabant, nec plus sciebant ex Anglico, quam quibus verbis decimæ, primitiæ, & alia id genus petenda essent. Paris. Helinsh. *in Iohan. & Hen. III.* Quæ res sæpè in comitiis proposita & à populo detestata, tandem in aper- *Peregrinorum incommoda.*

tam prorupit seditionem 1232. obtentumque est, ut Itali Romani remitterentur, & redituris portus clauderentur, quod & in plerisque regnis constitutum invenimus, ut, si in totum tolli non possit potestas pontificia, illi tamen modus ponatur, nec Reipubl. obtrudantur, nisi quos amor patriæ, parentum & cognatorum, ab inceptis contra Rempubl. quodammodo retrahere possit, quamquam, ubi ad summa ventum est, religioni hæc omnia postponenda dicant. Ita Carolus VII. Gallicas Ecclesias extraneis in universum occlusit. *libr. 1. tit. 3. l. 2.* nec Lud. XII. eos admittit *sans lettres de naturalité* à rege impetrandis. Papon. *lib. 1. rhapsod. Arrest. t. 3. Arrest. 4. in proœm. pragm. sanct. Ver. exterorum.* Corras. *paraph. Sacerd. par. 3. c. 5. n. 12.* Chassan. *de cons. Burg. rubr. 2. §. 1. nu. 58.* Montfortius Dux Britanniæ addebat pulcram rationem, quare extraneis à Papa Clemente data beneficia denegaverit: *Ils veulent*, dit il, *porter la graisse hors de mon pais, sans desservir les benefices. C'est contre droit, raison, & conscience.* Fossar. *lib. 4. cap 33.* Ludovicus 1374 & Jagello 1433. Polonicas Ecclesias exteris obserarunt, quod Casimirus, Alexander & Sigismundi non semel repetierunt, idemq; ab Hispanis observari testatur Couvar. *pract. qq. c. 35. n. 5.* Etjam in imperio Romano statutum erat ab Arcadio & Honorio, *ut clerici non ex alia possessione vel vico, sed ex eo, ubi Ecclesiam esse constiterit, ordinaientur, l. in Ecclesiis C. de Episcop. & Cler.* cujus ratio assignatur, *ut propriæ capitationis onus ac sarcinam recognoscerent.* Tum enim id officium pro onere reputabatur, quòd quia nunc mutatum fuit in lucrum, dicendum potius erit, ut cives ex patria potius commoda sentiant, quàm extranei. Quod enim olim in Conciliis, & antiquis canonibus *ministerium* vocabatur, postquam possessiones accesserũt, ad imitationem phrasium in feudis usitatarum, vocari cœpit *beneficium.* Duar. *lib. 2. de minist. & benef. Eccl. c. 3.*

Peregrini Ecclesiastici domũ remissi.

Sed pergamus ulterius & ostendamus incommoda, quæ sequuntur, si soli pontifici relinquatur jus eligendi, præsentandi, constituendi, gubernandi & disponendi officia, beneficia & dignitates Ecclesiasticas majores. Nam minorum officiorum distributio Episcopis & aliis superioribus relicta est: *c. regenda c. quacunq; c. noverint 10. q. 1. & tot t. de offic. ordin.* Sed in majoribus Papa plenam & liberam sibi tribuit potestatem: *Clem. 3 in fi. ut lite pend. c. cuncta per mundum 9. q. 3. c. proposuit de Conceß prabend. c. ad honorem de auth. & usu. pal. c. 2. c. dudum de præbend. in 6.* Zas. *Cons. 16. n. 1.* Felin. *in c. quæ in Eccles. Col. 15. Vers. recepit modo de const. & Dd. paßim.* Corras. *part. 2. sacerd. c. 1.* Et omnia beneficia mundi, quoad papam, censentur esse manualia, secundum Bald. *in l. rescripta c. de precib. Imp. offer.* & Alex. *cons. 74. nu. 23. Vol. 4.* Barcla. *libr. 4. cont. Monarch. c. 24.* Francis. Viv. *in com. Opin. Verb. Pontifex qui plures allegat.* Unde colligit Abb. *in c. quia diversitat. nu. 5. de conceß. præb.* papam etiam cessante negligentia prælatorum, posse conferre beneficia totius

Majora beneficia omnia sũt papa manualia.

orbis,

orbis, & sic concurrere cum quovis ordinario, quia est ordinarius totius mundi; imò & Laici electioni vetantur interesse, *c. Messana & ibi gl. Abb. & Dd de Elect. c. Laicis c. non placuit* 16. *q.* 7. cujus contrarium ab Apostolis & primitiva Ecclesia observatum reperimus, nec ante tempora Ludovici 8. ulli in Galliis Ecclesiæ à papa provisum demonstrari potest. Matthias & Barnabas ab universa turba fidelium, qui erant usque centum viginti, ad sortem proponuntur. *Act* 1. Diaconos jubent Apostoli eligi à tota multitudine discipulorum *Actor.* 6. quem locum allegat Chrysost in 2. *ad Corinth. homil.* 18. inde probans, quod etiam Laicis, Conciliis interesse liceat. Imperatores *puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia, sincero omnium judicio*, Episcopos jubent proferri. *l. si quenquam in pr. C. de Episcop. & Cler.* & ad eam rem ex primis Doctoribus & antiquis canonibus infinita documenta desumi possunt. Verum est, quod Concilium Laodicenum *cap.* 13. constituat, ne multitudini relinquatur electio, *c. non est dist.* 63. quæ, *ut ait Origenes, sæpè clamoribus aut gratia aut pretio excitata moveri solet*, *c. si ergo* 8. *quæst* 1. unde *docenda* potius, quàm *sequenda* est *c. docendus distinct.* 62. Sed & id constat, ex ratione Canonis, quod doctiores, senioresque ex populo non excludat, quorum cum reliquo clero in eligengo potissimæ partes sunt, notante Molin. *in cons. de non rec. Concil. Trident.* §. 28. Brent. *in Confess. VVittenberg. c. de Concil.* Herman. Hamelman *libr.* 3. *prolegom. cap.* 6. ita tamen, ut Consensus universorum non prævertatur, prout Cusanus *de concord. cath. libr.* 2. *cap.* 16. ad Concilia & publicas disceptationes nec Laicos nec Clericos indifferenter admittendos censet, sed electos, & doctos viros Ecclesiasticos. Nam, ut Leo *scribit ad Anastasium Episc. Laodien. Nullus invitis dandus est Episcopus, ille omnibus præponendus, quem Cleri, plebisque consensus, concorditer elegerint. In Cod. Rom. V. &c.* Non enim fructuosa est futura doctrina ejus, quem populus invitus audit, nec perficient monita illius, cui obedientiam, nisi coactus, non præstat. Atque ità Concilia senserunt, Antiochen. *cap* 23 *c. Episcopo* 8. *quæst.* 1. Toletanum 4 *cap.* 18. *c. Qui in aliquo.* §. *sed distinct.* 51. Lateranense, *c. quia propter de Elect. & Elect. pot.* Ita Leo scribit, *c. Nulla. distinct* 62 & Lucius constituit: *cap.* 1. *de Elect.* Et populus Rom. eligebat Papam, *c. Ego Ludovicus dist.* 36. sicut Clerus, præcedente consensu populi, in aliis quoque civitatibus Episcopos nominare solebat, 62. 63. 64. 66. *distinct.* quam consuetudinem Carolus Magnus *libr.* 1. *Capitular.* confirmat, dum ait: *Assensum ordini Ecclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi per Electionem Cleri & populi secundum statuta Cananum de propria diœcesi ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant. c. sacrorum distinct.* 63. Atque hanc libertatem Galli præ cæteris nationibus mordicus retinuerunt, In pragm. Sanct. *tit. de Annatis*, §. *Item quod dicta* tum in hac, tum in aliis controversiis, usq; ad tempora Leonis X. & Fran.

4. Electio Episcoporũ pertinet ad Ecclesiam.

Prærogativa Gallorũ in eligendis Episcopis.

& Francis. I. Extat enim Philippi Deodati ante profectionem ultramanam statutum, ut Canonici Ecclesiarum Cathedralium & Monachi Cœnobiorum eligendi facultatem habeant. Extat & statutum Ludovici V sub cujus regno Pontifices incipiebant isti libertati insidiari 1268. cujus hæc sunt verba: *Ordinamus, ut prælati patroniq; beneficiorum collatores jus suũ plenarium habeant, & unicuiq; sua jurisdictio servetur, insuper Ecclesiæ Cathedrales, & aliæ regni nostri liberas electiones habeant, promotiones, collationes, provisiones & dispositiones prælaturarum.* Id confirmavit Hutinus 1315. Johan. 1351. & expressius contra Papam direxit Carolus VI. 1418. Ex cujus verbis colligitur, Ecclesiam Romanam iterum conatam fuisse pedem in Gallias inferre, & jus præsentandi ad se trahere. Ita enim ait: *Ne aliquis beneficia Ecclesiastica vacantia seu vacatura, quæcunq; & cujuscunque conditionis sunt, quorum electiones, confirmationes, præsentationes, collationes, ac dispositiones ad prælatos. Capitula ac ordinarios collatores & patronos spectare dignoscitur, bullas aut provisiones seu gratias expectativas à Papa seu aliis, quam prædictis capitulis & ordinariis collatoribus & patronis in posterum impetrare præsumant, nec impetratis utantur. lib. 1. corp. Gall. t 2. l. 9.* Has contentiones terminavit concilium Basiliense, cujus acta nemo citius recepit, quam Gallus & inde Carolus VII. in Biturigum civitate formavit *pragmaticam sanctionem*, quam & *Carolinam* vocant, & quidam non abs re nominabat *Palladium Franciæ*, id quod Æneas Sylvius, qui se Pium. II. vocabat, satis intelligebat, qui propterea Ludovvico XI. edictum expressit, quo tolleretur, sed curia intercessit, ne edictum promulgaretur, & extat de ea re libellus senatus Paris. *de libert. Gall. Eccles.* Sixtus IV. nitebatur mitiori via, ejusdem abrogationem eblandiri, sed & ipse repulsam tulit, donec Francisco I. necessitas expressit, quod Academia Parisiensis sine magno regni damno concedi non posse clamabat. Duaren. *lib. 5. de Eccl. minist. & benef. c. 11.* Obrogavit enim Carolinæ constitutioni in quibusdam, ut Papam in fide sua retineret, id est, ut ait Bellai: *in comment:* concessit aliquid Papæ, ut plus ab eo reciperet, ne tamen id cederet in præjudicium libertatis Ecclesiæ, in quam quantum juris Rex etiamnum sibi vendicet, passim legere est apud Boeri. Guidonem Pap. Molinæum, Lancelot. Grassaliam & imprimis Ferald. *in lib. de hac re.* Cervin. *in libr: vindic. secund. libert. Eccl. Gall.* Igne: *in Rep. l. necessar. §. non alias n. 331. & seq. ad Sylla:* Guil. Benedic: *in c. Reynut. in Ver. Et uxorem nomine Adelas. n. 367. de test:* Chassan: *in catal: gl. mun. part. 5. cons. 24.* Joh. Bed. *c. 4. de jur. reg.* Imprimis retinuit sibi jus sistendi & nominandi prælatos, de quo nobis impræsentiarum sermo est, quod practici inter regalia numerant. ajuntq;, licet non alio titulo id probari possit, quod tamen immemorialis præscriptio sufficiat. *c. 1. de præscript: in 6.* Archidiac. *in c. imperium dist. 1.* consuetudinem vocat injustam, eò quod Laico electioni Clerici interesse

non

non licet. *c. Messana de Elect.* sed JCti Gallici eam variis rationibus suffulcire nituntur, & Duare *lib.3. Eccl. minist. c. ult.* quia *Rex*, ait, *caput est populi, & ad populum pertinet electio, quâ injuria esset, caput inde excludi ad quod reliquum corpus admittitur.* Quæ ratio non sufficit, quia admissio capitis non debebat toti corpori præjudicare, nec jus universorum ad se solum trahere. Tum etiam diceret Archidia. *cum Gratiano §. Elect. dist. 63 Populus jubetur quidem electioni interesse, non præcipitur advocari ad Electionem faciendam, sed consensum electioni adhibendum. Religiosissimi viri sint præduces, reliqui sequaces*, ait Nicolaus *c. in nomine Domini dist. 23. Sacerdotum* enim, inquit Stephanus *c. Nosse dist. 63. est electio & fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus & non sequendus. & c. vota dist. ead.* dicitur: *vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum, in ordinationibus sacerdotum expectantur.* Proindè distinguendum est ministerium à beneficio, spirituale à carnali. Ecclesiasticum à seculari. Et ad ministerium quidem eligi Clericos à Doctoribus & tota Ecclesia, sacris literis & consuetudini antiquæ consentaneum est, ut probavimus: sed beneficia conferre ad jura majestatis pertinet, ut alibi declaravimus, jamque olim eorum distributionem ad temporalem jurisdictionem pertinere Marsilius Patavin. ad Ludovvicum IV. Imper. scripsit, *lib. de transl. & mutat. Imp.* quem licèt in nonnullis aliis propositionibus damnatum scribat Cardinal. *à Turre Cremat*: perinde ut Coigneti oratio à prælatis Gallicis suppressa est: tamen quoad hoc thema non videtur abs re dixisse. Unde & practici in Galliis hoc jus regalibus asscribunt, & Imperatores, quam diu eodem usi sunt, se eo uti, *tanquam jure regio*, protestati sunt, ut notat Æmil. *lib. 5.* & Guagn. *lib. 7. cap. 3.* Nec non Philippus Rex *in Epist. ad Bonifacium. 8.* ait: *aliquarum Ecclesiarum & præbendarum vacantium collationem ad nos jure regio pertinere, & percipere fructus earum contra omnes possessores utiliter tuemur, Chronic. Britan.* Armori. *lib. 4. cap. 14.* Atque inter jura regia hæc reponunt Gallici, Moline. *ad consuet.* Paris. *de feud. t. 1. §. 27. nu. 1. 10. 11.* Tholos. *in Syntag. jur. lib. 12. part. 2. cap. 7. & 8.* Boer. *dec. 32. num. 8.* ubi eadem regalia ab ipso jure Pontificio *in c. generali de Elect. in 6. c. præterea quoniam de jure patronat*: appellari notat, idemque in Anglia receptum esse testatur cum Tholosa. *dict. loc. num. 19.* Six. *de regali. cap. 2. num. 36.* Sed quia ministerium feudo adhærebat. & hoc potius spectari solebat, quam illud, hinc factum est, ut cui feudum dederant principes, eidem ministerium unà dedisse viderentur, & sic nominatio ministri cum collatione feudi confundi cœpit. Apud Hispanos mansit libertas eligendi Episcopos Regi, jam inde à Concilio Toletano 12. *c. cum longe. distinct. 63.* ex quo jure inferri posse notat Lancelot. *lib. 2. cap. 1. de Pontif. Max. § vers. Quartò num. 9.* regibus Hispaniarum competere jus patronatus in suis Ecclesiis, quod à præscriptione derivat

Ius idem notatur in aliis regnis.

D Covar.

Covar. *in relect. c. possess. malæ fid.* §.10. *num.* 6. Cantones Helvetiorum præter statutum *Anni* 1370. Genandt der Pfaffen brieff, etiam decreverunt: *ann.* 1520. ut qui bullas Pontificias secuti, ad earum præscriptum beneficia conferre niterentur, in carceres conjicerentur, & si bullis suis renunciare negarent, in aquis suffocarentur. Simle. *lib.* 2. *de Republ. Helvet.* VVilhelmus Conquæstor occupata Anglia, eam quoq; potestatem sibi retinuit, quam tamen successores diu illæsam non possederunt. Nam statim Anshelmus Archiepis. Cantuariensis sui ordinis homines regiæ potestati subtrahere nisus est, cui Guilielmus Rufus obstinatè restitit, nec unquam voluit concedere, ut Pallium Roma peteret, aut jurisdictionem Papæ agnosceret. *Nam*, inquit, *nolo habere ullum æqualem in regno.* Paris & Eadm. in Guiliel. Nec successor ejus Thomas Becketus id obtinere potuisset, quanquam diu in exilio abesset, & nihil non eo nomine tàm Papa quàm Rex Franciæ ageret, nisi infortunatum ejus intervenisset in templo homicidium, quod ità Regis animum perterruit, ut aliquantulum de jure suo recedere non dubitârit, dummodo in gratiam Christianorũ se reponeret. Roger. Hoveden. Joh. Pike. Paris. Dorobernens. *in Henr. II.* Quanquam & post ea tempora sæpius vetitum est, ne causæ quæcunque, ut fieri solebat, Romam evocarentur. Et nota est lex, qua incidit in pœnam, quam vocant *præmunire*, inductam ut quidam volunt, à Richardo II. si quis actionem fori temporalis transferat id spirituale. Smith. *libr.* 3. *Reipubl. Angl. cap. ult.* Matthias Rex Ungariæ Romanorum forum regnicolis omnibus, item, optimatibus Pontificibus præpositisque interdixit: decimarum judicium soli regiæ majestati reservavit. Bonfin. *dec.* 4 *lib.* 7. Senatus Parisiensis majestatis damnandum censuit, qui à lege lata Papam appellare velit. Petrus Costalius *ad l. de quibus ff. de leg.*

6. *Interest Reip. ne cives ad exterũ forum litiũ gratia evocentur.*

Ea enim litium ad alienum forum deductio, mirum, quot mala in Remp. inferat, id quod Patres Africani Pontifici Romano rescripserunt, cum à concilio Africano Romam appellari peteret, falsò adducto canone ex Synodo Nicæna, quem Magdeburgenses Centuriatores ibi non inveniri rectè notarunt. Inter cætera enim, postquam nulli loco Spiritus Sancti gratiam defore ostenderunt, addunt: *Quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessaria persona vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis alijs intervenientibus impedimentis adduci non poterunt.* Poloni longo tempore jus suum è Saxonibus Magdeburgo petitum veniebant: sed Casimirus M. difficultatibus propositis & multis aliis motus, vetuit quemquam consulendi gratia extra limites imperii proficisci. Crom. *in Casim.* Nam senatores Parisienses & hoc incommodum Ludovico XI. proponunt, quod talis appellatio ad curiam Romanam, & provisio officiorum exhauriat non tantum argentum, sed & subditos

ditos Reipublicæ quorum utrumque tendit ad illius interitum, *In multitudine enim populi, dignitas regis, & in paucitate plebis, ignominia principis*: *Proverb.* 14. & quod in homine nervi sunt in Republica pecuniæ. Compertum autem est eò sequi homines, unde expectant commoda, ex quo factum est, cum Pontificum autoritas maximè valeret in Anglia, ut tam avidè Romam tenderent Angli, ut Richardus II. peculiari edicto cogeretur eos revocare. 1391. Helinshod. Rich. 2. In Galliis cum mentio tantum fieret de abrogatione Carolinæ, jam plurimi Gallorum Romam visi sunt præcurrisse, partim ut aliquid plumbi pro suo auro admercarentur, partim ut lites secuturas expectarent. Quod si edictum Ludovvici locum invenisset, & eos sequi oportuisset, qui lites intendissent, aut quibus intentæ fuissent, sicut de Philippi Imperat. tempore scripsit Ursperg. *Vix remansit aliquis Episcopus vel dignitas Ecclesiastica vel etiam parrochialis Ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & Romam deduceretur.* Et paulò post: *ad te trahit homines non ipsorum devotio aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio & litium decisio precio comparata.* Jam & hoc constat, lites sine argento ad finem perduci non posse, imprimis in Curia Romana, ad quam *manu vacua* veniendum non est, ut ait Urspergens. *in Philip. Imp.* quæque inter canones suos transtulit illud *Exod.* 24. *Non apparebis in conspectu meo vacuus. c. omnis Christianus. de consecrat. distinct.* 1.7. De eandem majori jure hodiè dici posset, quod olim de antiqua Roma Jugurtha dicebat, *omnia ibi esse venalia. etiam urbem ipsam, modò emptorem maturè inveniat.* Sallust. *bell. Iugu. Venalia Romæ Templa, sacerdotes, altaria sacra, coronæ, Ignis, thura, preces, cœlum est venale Deusque* ait Mantuan. & Alberic. Rosat. *in Ver. Roma: Curia Romana non petit ovem sine lana: Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit.* & alius *Curia vult marcas, bursas exhaurit & arcas, Si bursæ parcas, fuge Papas & patriarchas.* Id verò parum est, si conferatur ad id, quod pontifici debetur ex annatis, pro gratiis expectativis, pro dispensationibus, pro omnis generis diplomatis enumeratis in lib. Taxæ cancellariæ Apost. *cum notabil. ad stylum curiæ Roman.* & quod illi in curiam transvehunt, qui cum ibi sedem figant, tamen alibi beneficia possident. Auditum esse scribit Duarenus *lib. 1. sacr. Eccles. minist.* annis singulis variorum diplomatum à pontifice obtentorum nomine ad *septingenta, aut eo amplius aureorum millia* Romam ex Gallis exportari solere: Johannis Bedæ: ait *thes. 6. de droict: des Rois: Il fut trouvé, que le Pape tiroit de France un million d'or par an.* Senatores Parisienses æstimant, quod si Pius Secundus edictum Ludovvici obtinere potuisset, lucratus esset *vicies quinquies centena millia aureorum* pro diplomatis & annatis tantum, cum tamen Cæsar ex tota Gallia stipendii nomine non imperaverit, nisi *quadringenties sestertium,*

Homines seqvuntur quæstum.

Omnia Romæ venalia.

tium, Suet. *in Cæs.* hoc est, ut Budæus computat, *decies centena coronatorum aureorum millia*. In diœcesi enim Andegavensi uno tempore numeratæ sunt sexcentæ gratiæ expectativæ: quod si contigisset novum pontificem succedere, qui nonnunquam eas revocare solet, *c. fin. de concess. preb. in 6. in regulis cancellariæ Innocent. IIX. reg. 10. ubi interpres & Pauli III. reg. 31.* jam hic periissent duodecim millia aureorum, si in singula diplomata tantum 20. aureos computes; ità ut non immeritò in proverbium abierit *Romana permutatio plumbi cum auro*, non minus, quam illa Glauci & Diomedis: nec aberravit à scopo Chymicus ille, qui dicebat, se nosse tantum unum artificem, cui transmutatio metallorum nota esset. *C' est, dit il, le Sainct Pere, qui tous les ans seulement en France, transmute & multiplie Quarante livres de plomb, qu' il y envoye (qui peuuent valoir deux escus) en quatre mille livres d' or (qui valent six cens mille escus) puis en faict une attraction jusques à Rome.* Le Sieur de la Nove *disc. 23.* Computat enim Boter. *2. part. Cosmogr. cap. ult.* & Blondus. *lib. 3. Rom. instaur.* docet, majora vel certè paria piscorum temporum vectigalibus Europam penè omnem tributa Romam mittere, dum singulæ civitates à Romano pontifice beneficia sacerdotalia accipiunt. *Camera Apostolica*, ait Theodorus Nihemius *tractat. 6. cap. 37. assimilatur mari, in quod intrant omnia flumina & non exundat. Sic in istam portantur ex diversis mundi partibus auri pondo millia: attamen non impletur, in qua est generatio, quæ pro dentibus gladios commutat, ut comedat inopes de terra & pauperes ex hominibus, in qua sunt multæ sanguisugæ, dicentes: Affer, Affer, quæ gentes cameræ nuncupantur.* Cynus Pistor. *in l. eos. §. ne temere. Cod. de appellat. Curia Papæ*, inquit: *summopere vellet quod totus mundus in eam influeret. Tanta est in ea argenti & auri sacra fames.* Hinc sequitur aliud non negligendum incommodum, videl. ruina templorum, neglectus cultus divini, quando argentum, quod hîc impendendum esset, Romam transmittitur, aut quando Romanæ curiæ præsides opimiores prædas possident, & divinas ceremonias per vicarium administrant.

Novum lapis Philosophicus.

Aliud incommodū ex alio.

7\. *Quantum noceat Ecclesiæ potestas pontificis in cōstituendis Episcopis.*

Hæc sunt incommoda, quæ inde Resp. patitur, si beneficiorum collatio, aut Ecclesiastica jurisdictio externæ potestati concedatur: nec minus Ecclesia ipsa in eo læditur. Nam præter superius dicta oriretur Ecclesiarum summa Confusio, dum singulis sua jurisdictio non servatur. *Si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur*, ait Gregorius *libro 9. Epistola 32. quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur? cap. pervenit. 11. quæstione 1.* Constitutum autem fuit Synodo Nic. ut Socrates testatur libr. 3. *histori. Cavendum esse, ne Ecclesiæ confundantur*, ubi per Confusionem nihil intelligitur, quam si una Ecclesia se immisceat negotiis alterius. Præterea interest Ecclesiæ, ut præ-

ut præſidem habeat loco & officio dignum. At hunc facilius inveniet ipſa Eccleſia, cui doctrina & vita notior eſſe præſumitur, quam Papæ, meliusque judicabit, quis ſuis conveniat moribus. Quin & licet in electione aberrarint, defectus corrigi poteſt ope ſuperiorum. *c. grave de prabend.* Sed Papæ etiam viliſſimum proponenti, quis dicere audeat, Papa, quid agis? Deniq; ſi leges æquum cenſuerunt, ut nequiret ſponſæ aſſignari ſponſus contra voluntatem, idem quoq; in Eccleſia obſervari debet, cujus Epiſcopus quaſi ſponſus eſt & inter quem & Eccleſiam ſpirituale intercedit matrimonium.

CAPUT III.

CLERICOS, QUOAD PERSONAS, NON eſſe Exemtos à Jurisdictione ſeculari, ex jure divino, vel praxi primitivæ Eccleſiæ, ſed ſecundum quid ex privilegiis principum.

SUMMARIA.

1. *Eccleſiaſticos eſſe partes Reipubl:*
2. *SubjectioClericorum probatur ex jure divino novi teſtamenti.*
3. *Item ex teſtamento veteri.*
4. *Pontificij perperam accipiunt nomen & definitionem juris divini.*
5. *Refutantur loca ſcriptura, ex quibus pontifici exemtionem ſuorum ordinum deducere laborant.*
6. *Varia viciſſitudines & mutationes libertatis. quam vocant Eccleſiaſtica.*
7. *Demonſtratur, non fuiſſe utile Eccleſia, ut Clerici ſubtraherentur Majeſtati.*
8. *Pontifex non potuit principibus jus ſuum auferre, & ſubditos ijs ſubtrahere, quatenus ſunt terreni.*
9. *Principes non poterunt, ſalva conſcientia, jus ſuum deſerere aut Papa cedere.*
10. *Primitiva Eccleſia paſtores ſubjecti erant Imperatoribus.*
11. *Conſtantinus & qui ipſi ſucceſſerunt, Imperatores ceperunt privilegia certa & limitatam libertatem Clericis indulgere.*
12. *In Galliis, Anglia, Polonia, Neapol. & Venet. ditione nec non aliis Rebuſp. initium ſumſit libertas Eccleſiaſtica ab indulgentia & liberalitate principum.*
13. *Cauſa, ob quas aquum fuit prarogativam aliquam concedi Eccleſiaſticis ſupra vulgus Laicorum.*
14. *Poteſtas & diſciplina Eccleſiaſtica quibus cancellis includatur, & quouſq; progrediatur.*
15. *Omnia hac probantur ex autoritate Conciliorum, & rejiciuntur, qua Bellarminus inde adducit in contrarium.*

TOtus hic diſcurſus eò redit, ut oſtendat, quàm ſit periculoſum, & contra utilitatem publicam, ſi Eccleſiaſtici agnoſcant alium ſuperiorem extra Rempub. à quo donentur civitate, cui fidem dent, & cujus majeſtatem comiter obſervent: ſequitur igitur, ut oſtendamus, eos eſſe partes Reipub ſicut Optatus ait: *Eccleſia eſt pars Reipub. & religio debet eſſe in Rep. non contra*, quod & Soto probat, 4. *diſt.* 25. *q.* 2. *a.* 2. Clericos ſcilicet, quamvis ſint ſacrorum miniſterio addicti, nihilominus tamen veros cives eſſe,

1. Eccleſiaſtici ſunt partes Reipub.

esse, & Molina. *tr. 2. disp. 32. in fi*: eos nominat partes Reipub. quibus sit idem Rex & Rector cum Laicis. Quod si sunt partes: ut confitetur Bellar. *libr. de Cleric. c. 28. & c. 35. contr. Barcl.* oportet quoque legibus obediant, & fidem dent Reipub. quia *non decet membra a capite discrepent, nec contraria gerant*, ait, Victor. *c. celebritatem dist. 3. de consecr: & turpis omnis pars toti suo non congruens. c. quæ contra dist*: 8. Omne *membrum debet subjectum esse suo capiti*. ait idem Bellar, *lib. de Monach. c. 19.* Vnde Valentinianus *in Epist. ad Episc: Asiæ* apud Theodore: *lib. 4. hist. c. 7.* scribit: *Probos Episcopos non solum Deo, sed & Regum legibus debere obtemperare*, & Gregorius *Epist. lib. 2. Epist. 65.* confitetur *principi datam potestatem, non tantum super milites, sed & sacerdotes.*

2. *Probatio subjectionis Clericorum ex jure divino.* Hujus rei non est efficatior probatio, quàm ex præceptis Apostolorum, Petri & Pauli, Petr. Matt. *class. 13. locor: comm:* quorum ille scribens electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, *subjecti*, ait, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi q. præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malè factorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei.* 1 *Petr. 2.* Hic verò *ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est etenim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, quo dicto securus Bernhard. *Epist. 170. etiamsi*, inquit, *totus terrarum orbis adversum me conjuraret, ut aliquid moliar adversus regiam Majestatem, Ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab ipso Regem offendere temere non auderem, memor eius: Qui potestati &c.* Scribit a. hæc Paul. ad omnes dilectos Dei vocatos sanctos Romæ. in quorum numero procul dubio & illi erant, qui Evangelium Christi prædicabant, quos etiam sub nomine electorum, ad quos scribit, contentos fuisse dubium non est : Ideoque universaliter ait : *Omnis anima*, de quo Bernhard. *in Epist. ad Archiepiscopum quendam: Si omnis, est & vestra: Quis vos excipit ab universitate? si quis tentat excipere, conatur decipere.* Et notanter Chrysost. *in c. 13. Rom.* accommodat ad Clerum: *Omnibus*, inquit, *hæc præcipit sacerdotibus. non autem in solu, qui hujus vitæ negotiis occupantur, statim in ipso proœmio declarat Apostolus, cum sic ait: omnis anima, q. dicat: etiamsi Apostolus, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta, vel alius quivis fuerit. Subjectio enim ista non evertit pietatem.* Ita & Thomas interpretatur *lect. 1. ad 13. cap. Rom.* & Iren. *lib. 1. c. 24.* August. *in Explic. quarundam proposit. Epist. ad Rom.* Tertull. *de Idol. c. 25.* ut mirum sit, qua audacia Bellarm. *in respons. ad 8. propos. in caus Venet. c. 3. contr. Barcl.* Tholosan. *in Syntag: jur:* audeant explicare de utraq; potestate & seculari & Ecclesiastica, cum intentio Pauli sit redarguere eos, qui per prætextum libertatis homines abducebant ab obedientia magistratuum secularium, ut pa-

Explicatio præcepti Paulini ad Rom. 13

Refutatur explicatio falsa.

ut patet ex objectionibus, quas solvit: Tum etiam potestatem ita descibit, ut Ecclesiasticam nullo modo comprehendere possit, ut cum dicit: *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est vindex in iram.* Item illi potestati subjectos esse jubet, *cui tributa præstantur.* At hæc Christus præstabat Cæsari. Denique frustra monuisset Paulus, ut superiori potestati obedirent, quia tum inter fideles nulla potestas erat. *Nondum enim erat sublimatum cornu Christi*, id est, nondum imperabat Ecclesia Imperatoribus, ut ait Petrus Iacob. *in Appen. ad praxin Papien. rubr. 23. num. 19.* Bellarm *cap. 3. contr. Barcl.* hanc postremam responsionem, quam & Barcl. dederat, indignam vocat homine docto & ICto, cum jam tum inter Christianos fuerit potestas maritalis, patria, herilis, magistri in discipulos, Ecclesiastica, de qua 2. *Corin.* 10. & 13. *Hebr. cap.* 13. Demonstrare debebat Bellarm. fuisse tum temporis potestatem Politicam Christianam. Is verò aliò effugit, & alias potestates nobis affert, quarum apud Paulum nulla mentio, cujus verba, licet ad alias quoque potestates privatas accommodentur: tamen præcisè loquuntur de potestate politica, cum Ecclesiastica gladium non portet, nec tributa accipiat. Qui igitur aliis potestatibus obedire tenentur, huic quoque obedire debent, quippe, cui omnis anima subjecta est.

Et quod hîc docuit Apostolus, etiam reipsa præstitit, quando appellans ad Cæsarem, ab eo se dicit oportere judicari, *Actor. 25.* in quo graviter peccasset, si Cæsarem pro legitimo non agnovisset, quia secundum Canonistas immaniter peccat, qui se potestati seculari subijcit. *c. significasti c. si diligenti, de for. compet. cum simm:* Imò gravius peccâsset ipse Christus, qui non tantum passus est se judicari à Pilato, sed & illi potestatem illam datam cœlitus confitetur, secundum quod Apostolus dixit: omnis potestas est à Deo. Vnde Bernhard. scribit *ad Archiepis. Senon. quid secularitatem contemnitis? Nemo secularior Pilato, cui dominus astitit judicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper: jam tunc pro se loquebatur, & in se experiebatur, quod post per Apostolos clamavit in Ecclesiis: Non est potestas nisi per à Deo.* Bellarm. *c. 3. contr. Barcl.* exemplum Pauli interpretatur de facto, non de jure, cujus contrarium docueras ante *lib. 2. de Rom. Pontif. c. 29. ad ag. 2.* quia quæstio, de qua accusabatur Paulus, non pertinebat ad magistratus & Cæsarem, quasi ob controversias Theologicas tantum accusatus esset Paulus & non potius ob multa alia crimina, quorum ille se reum negabat inquiens: *Neq; in legem, neq; in templum, neq; in Cæsarem peccavi,* cur igitur accusor? *Act. 25.* Præterea an ad magistratū nō pertinet hæreticos condemnare, si fuerint convicti. Convinci autē nō possunt, nisi prius causa disputetur coram judice damnaturo. Deniq; à mortali peccato excusari

Paulus facto suo complevit preceptū.

non

non posset Paulus, *secundum Bellarm.* si se submisisset potestati Tyrannicæ, cui de jure non subesset. Quid verò an Christus Cæsarem agnoscit de facto tantum, quando illi jubet tributum dari?

3. Si fas est oculos reflectere ad acta veteris testamenti, ipsi summi Pontifices, erant sub manu & potestate regia, cujus exemplum capit Barclai. *c. 15. de pot: Pap:* ex eo, quod Salomon Abjatharum pontif: non tantum sacerdotio exuit, sed & morte condemnat, licet gratiam ipsi faciat propter merita, quibus parenti devincierat. 3. *Reg.* 2. Mirificè se torquet Bellarm: *lib. 2. de Pontif. c. 29. arg. 4. c. 15. contr: Barcl:* dum factum hoc eludere nititur, sed & sibi contradicit, & conspicuis scripturæ verbis adversatur. Nam *c. 15. contr. Barcl.* cum frustrà tentasset plurimas responsiones, tandem ait, factum Salomonis narrari tantum, sed non probari, sicut ne fratricidium Adoniæ, quem ait occisum à Salomone, quod Abisag. Sunamitidem sibi poposcisset in uxorem, cum tamen *ex vers. 15. & vers. 22.* conjurationis eius manifesta signa colligantur. In *c. 29.* verò *lib. 2. de Pontif.* ait: Salomonem, non ut regem, sed ut Prophetam & executorem divinæ justiciæ deposuisse Abjathar, substituto Sadoch. Posterior igitur responsio arguit priorem, & accusat Deum iniquitatis, quasi per Prophetam aliquid executus sit, quod Bellarm. probari posse negat, imò quod secundum Canonistas in se grande contineat peccatum. Vtraq; verò responsio falsa est & inanis, quia jus regium fuit perpetuum, ut Pontificem instituere Regibus fas esset, quo usi sunt David 1. *Paral:* 23. 24. 25. Josaphat 2. *paral. c.* 17. 19. Ezechias 2. *paral.* 29. 30. 4. *Reg.* 18. Josias 2. *paral.* 34. 35. 4. *Reg.* 22. 23. imò ipse Judas Maccabæus, 1. *Maccaba.* 4. ne obijciat nobis Bellarm: Salomonem excessisse limites potestatis suæ, irrogando pænam spiritualem pontifici, & proinde videri potius ipsum id fecisse, ut Prophetam, quam, ut Regem. Abdicatio enim propter crimen, & condemnatio ad mortem, pœnæ spirituales non sunt, sed civiles, quibus sacratissimos Imperatores etiam in ipsos Pontifices Romanos usos fuisse, alibi demonstravimus. *libr. 2. de Iur. maj. c. 6. n. 9.* Nec ullum in scriptura verbum extat, de speciali mandato, quo jussus fuerit Salomon Prophetæ officio fungi in hac causa: nec mandato opus erat, cum ordinaria potestas sufficeret. Nam, quod nodum in scirpo quærat Bellarm: & ex his verbis: *Vt impleretur sermo DEI,* exprimere nescio quam formulam commissionis laboret, satis responsum fuit à Barcl: ea verba etiam sine peculiari jussu sæpissimè apponi. *ut Matt. 27. Ioh. 19.* Nec quicquam in contrarium facit, quo affert Bellarm. ex Hebræa phrasi, quasi ipse Salomon dicatur illic implere sermonem DEI, quia etiam per potestatem ordinariam potuit implere. Non enim ad implenda vaticinia DEUS excitat semper Prophetas extra ordinem, sed ordinaria potestate, ut plurimum, utitur. Exod: 21. dicit Dominus, de homicidio

fortui-

fortuito, quod ipse siverit interficiendum cadere in manus occisoris: nec tamen inusitata via ad cædem properabat homicida.

Evidentia sunt hæc præcepta & exempla imitationum producta etiam à Carolo Calvo *in Epist. Apolog. contra Adrianum II. § incip: Vnde sicut vobis.* Matth. Flac: Illyr: *in catal: test. Verit.* 4

Ex quibus sole clarius liquet, tantum abesse, ut Clerici sint exemti jure divino à potestate seculari, ut eodem potius subjiciantur, quod in priori librorum suorum Editione *libr. de Cleric. c.* 28. confessus erat Bellar: & tanquam veritati magis consonum defendit VVidringt: *in Apoll: Bellarm: n* 71. Et tamen Bonifacius VIII. *jure divino* tenet Clericos exemptos à potestate seculari *c. quamquam de Cens:* idque jam implicitè asserverat Johan. Papa *c. si imper: dist.* 69. ubi gl. *in verb: discuti* inde elicit, & probat *in d. cap. quamquam.* Eamque communem sententiam vocat Felin. *in c.* 2. *Col.* 1. *de major. & obedi:* cum Rebuff. *in concordatu rubr: de protect:* Eandem tenent Abb. Dec: *in c. Ecclesia S. Mariæ de constit:* Cardin: *in repet: c. perpendimus 7. oppo: desent: excom: & infiniti alii,* quos refert & sequitur Thom: Gramm. *decis: Neap.* Bellarm. *c.* 34. §. 1. *contr: Barclaj.*

Quid vocent pontificij jus divinum.

Qui rem rectius paulò perpendunt, & ex sacris literis jus illud probari non posse vident, ut Didacus Conuar: *lib.* 1. *Var: resol: c.* 17. *n.* 2. *& pract: qq: c.* 31. *num.* 2. phrasin Bonifacij excusant, quod ex jure Divino defluxisse dicatur omne id, *quod à veteri lege divina, ab aliqua veteris testamenti autoritate originem duxit.* Atqui hoc est, in quo prædictos autores meritò accusandos putamus, qui pro jure divino venditant, quod non est. *Ius divinum in scripturis est:* ait August: *c. quo jure dist.* 8. Et hi tamen jus illud fictum ejusdem autoritatis esse contendunt, ac si verè ex divino aliquo præcepto derivatum sit. Ita decimas & primitias jure divino sibi deberi contendunt æquè, atque ministerium sacramentorum, & perinde Execrationem incurris decimas impediendo, atque si cultum divinum impedias, cum tamen hunc Deus præceperit, id non nisi proportionaliter ex sacris literis demonstrari possit, ut infra demonstrabo.

Cardinalatus probatio ex jure divino.

Ita Barbat: *in tr. de præst. Card. in* 1. *q.* 1. *partis, n.* 20. Cardinalatum *essentialiter & formaliter* à jure divino sumpsisse initium probat, quia successit ordini Levitarum, simulque nomen eorum ex V.T. derivat *ex cap.* 2. *lib.* 1. *Reg.* ubi dicitur: *Domini sunt cardines terræ & posuit eos orbem*, quod convenit in Cardinales, quorum consilio regitur Ecclesia ut ostium Cardine. Idem probat Petrus à Biax: *in tr: direct: Elect: c.* 32. 2. *part:* Quod si jus est, ità ex jure divino aliquid derivare, nullum erit officium, quod non jus divinum approbet, quia nullum est, cujus nomen vel cujus conjugatū aliquod in sacris literis non inveniatur. Quod ad gradum Levitarum attinet, non est hujus loci demonstrare, quantum distent à Cardinalibus, id

 certum

certum est, quod Vasquius exponit, *lib. 2. Contror: Illust. c. 89.* instituta in lege veteri, non obligare in nova, subaudi, quoad ceremonialia & forensia, nec si à Levitis argumentandum sit ad Cardinales, id fieri potest, nisi proportionaliter, vel ut loquitur Abb. *in c. ex gestis. de Cleri: non residen: figurativè.* Sed ut ad juris divini explicationem redeamus, licet concedamus, jure divino introductum dici posse, quod quocunque levi argumento inde deducitur, constat tamen exemptionem Clericorum nullo modo ex sacris literis deduci posse, quia expressis textibus probatum fuit, quod subjecti esse debeant. Textus a. dubius cedit certo, & obscurus claro, nec ulla valet interpretatio, quæ opponitur textui aperto.

5. Argum: ex Ps. 104. Allegant autem prædicti autores & Bald. *in c. Clericus. de pac: tenen:* Thom: Gramm: *decis. 61. num. 12.* illud *Psalmi 104. Nolite tangere Christos meos*, quod ità interpretantur: *potestates Laicæ, nolite homines Consecratos ullo modo vobis subjicere.* Atqui non vident prophetam loqui de injuria,

Diluitur. quæ inferebatur semini Abraham, ut verba præcedentia & consequentia testantur. Quando enim dixerat punisse DEUM reges, qui illi nocumentum intulerant, subjungit: *nolite tangere Christos meos*, & id explicat per verba sequentia, *& in Prophetis meis nolite malignari.* Ordinatum autem judicium cum injuria confundi non debet *Quis est homo tanta confidentia, ut sacerdotem violare audeat?* ait Plautus *in Trinum*; Atqui an propterea ne in judicium quidem vocari poterat? Notandum præterea est, psalmistam non loqui ad magistratus ordinarios Judæorum, sed ad reges & prin-

Moses & David habuerunt sibi subjectos sacerdotes. cipes externos, qui populum oppressum veniebant. Nam Moisi in Levitas & Sacerdotes potestas data fuit. & ipse Gratianus confitetur *§ Item cum Balaam. 2. q. 7.* Davidem ex regali unctione sacerdotibus & Prophetis præfuisse in causis seculi, quos constat ea potestate uti non potuisse, si prædictum locum de magistratu accipi concedamus. Et quis crederet, per Christos hic intelligi homines maleficos, quibus magistratus manus injicere solet? An putamus sub prætextu immunitatis Ecclesiasticæ impunitatem scelerum hic præcipi? Indignum est ijs ab Ecclesia subveniri, per quos constat scandalum in Ecclesia generari, *c. Sacerdotibus ne Cler: vel Mon:* & consentaneum juri est, privilegium perdat, qui eo abutitur. *c. privilegium 11. q. 3.* Castrens: *in l. si servum. num. 2. de acquir: hæred*: Rauchbar. *q. 11. num. 80. lib. 2. qq. Iur. civ. & Sax*: Reatus enim honorem excludit. *per l. 1. C. de Senatus Cons: in fin:*

Argum. ex Matth. 17. solvitur. Afferunt præterea *ex Matth. 17.* quod Christus filios Regum liberos pronunciat à tributo: Verum, nec ibi de totali exemtione sermo est, sed tantum de solutione didrachmi: nec de aliis intelligi potest, quam, qui exprimuntur in textu, scilicet *de filiis Regum.* Ita enim argumentatur Christus de filiis regum terrenorum ad se, ut explicat August: *lib. 1. qq. Evang.*

q. 23.

q. 23. *Quod dixit*, inquit, *liberi sunt filij, in omni regno intelligendum est, liberos esse regis filios, non vectigales: multo ergò magis liberi esse debent in regno terreno filij illius regis, sub quo sunt omnia regna terræ*, Jam Clerici de se hoc argumento, credo, non utentur, nisi se filios Dei naturales efficere velint. Adoptio enim in gratiam per Jesum Christum, quamquam ad spirituale tantum regnum pertinet, nec privilegia ulla importat in terreno: tamen etiam Clericis solis non competit, sed omnibus Ecclesiæ membris, quæ idcircò eodem argumento ab imperio mundano libera fieri oporteret.

Bellarmin. *c.* 3. *contr. Barcl.* affert vaticinium *Psalmi* 44. *principes terrarum constituam eos loco patrum*, id est, Apostolos. Statim autem errorem deprehendens, *quamvis*, inquit, *principatus ille spiritualis esset, tamen verus principatus erat, & temporali principatu longè nobilior.* Amphora cæpit institui, currente rota vix urceus exit. Superiorem potestatem debebat probare; is probat majorem dignitatem, ac si nihil interesset inter dignitatem & potentiam. Demus Cardinali honorem supra principem: an qui primo loco sedet, statim quoque primo loco imperat. Absurdum autem non esse, ut qui uno loco supremus est, altero subijciatur, servato suo cuiq; honore, jam supra diximus: Alias nec Rex aut Imperator Episcopo, dum sacris operatur, obediens esse debet, quia princeps constitutus est in tota sua Republica. *Argum: ex Psal. 44.*

Nec obstant Constantini M. verba: *c. futuram*, 12. *q.* 1. *c. continuam* 11. *q.* 1. *Vos à nemine judicari potestis, quia ad Dei solius judicium reservamini.* Nam si quis Sozome: *lib.* 1. *cap.* 17. & latinam Epiphanii versionem diligentius paulò velit considerare, videbit, quo sensu id à Constantino dictum sit. & Ludovicus Molina interpretatur omnia de rebus merè spiritualibus, quia addidit: *Petitu à me judicium, cum ipse ego Christum judicem expectem*, & hæc verba, *ad Dei solius judicium reservamini*, manifestè indicant, quod non loquatur de judicio humano, sed conscientiæ, quod soli Deo competit. Alioquin & jurisdictione Papæ eximeret Episcopos, quia dicit: *à nemine judicari potestis.* Sunt qui putant ea verba excidisse Constantino, ut majorem suam erga Episcopos observantiam & humilitatem declararet. Ventur. Vincent: *in consil: Venet:* c. 8. Quod autem alicui gratiosè conceditur, non debet trahi in exemplum. *c. quod alicui de R. I. in 6.* Alioquin quo jure Constantinus usus fuerit in Clericos, satis & ex historiis & legibus constat, & infra declarabitur, ita ut frustra vocem Constantini urgeat Bellarm. *c.* 35. *contr. Barcl:* quasi ea eximat Clericos à potestate Imperatoria. Quicquid sit, unicum verbum totum hoc argumentum diruit: Constantini vocem non haberi pro Evangelio, nec posse jus divinum facere. *Argum: ex verbis Constantini.*

Cum igitur planum sit, nullum adduci ex sacris literis locum pro exemtione Clericorum, argumentemur, cum Medina *de restit.q.15*.Covar: *practic.qq.c.31.n.2*.Molinæ: *in addit*: *ad consi*: *Alex*.8.*lib*.1.Ferrat. *in pract*: Alciat: *in c. cum non ab homine, col.2.de jud*. cum nulla lex divina proferri possit, quæ Clericos à potestate seculari liberet: eos autem illi ex præcepto divino subjectos esse probatum sit, immunitas, Ecclesiastica jure divino instituta dici non potest, id quod probatur ulterius. Lex divina est immutabilis, præcipuè apud eos, qui eam rectè intelligunt. At immunitas Ecclesiastica tot diversis temporibus, mutationes subiit, ut nec ipsi Canonistæ regulas certas dare potuerint, ex quibus, quid contra immunitatem Ecclesiasticam factum sit, decidi possit.

6. *Quid sit immunitas Ecclesiastica.* In genere describitur immunitas à Sylvestro, *in verb. immunitas*: *privilegium Ecclesiasticæ libertatis, vel personarum aut rerum ad eam pertinentium*, ubi fortasse loca sacra omisit, quibus & varia privilegia indulta fuisse patet, *ex tit. C. de sacros. Eccl. & de his, qui ad Eccl: confug*. Dependet autem à tribus principiis: *Deo*, *Imperatoribus* vel *Regibus & Papa* Sebastian: *Tres species immunitatis Eccles.* Med: *tr. de ll. & stat. part*. 4.*q*.6. Prima Spiritualis est in administrandis sacramentis, ligandis vel solvendis peccatoribus consistens, sicut probatum est, sacras literas nullam aliam agnoscere exemtionem. Secunda pro Zelo & pietate principum nunc latior est, nunc strictior. Tertia totalis, *ut patet cap*. 1.& 2. 11.*p*.1.*c*. *Clerici de jud*. sive agatur criminaliter, *text. in c. at si Cler.ext. de jud*. sive civiliter, *c*. 2. *de for. com*. *Facit text.in c. si diligenti de for. comp. & in c. si judex Laicus de sent. excomm. in 6. facit tex. in c. unic. de Cleri. conjug in 6. c. decima. 96. dist. c. decernimus c. quanto de judic. c. cum Ecclesia ext. de Const*. Nec excipiunt, nisi certos aliquos casus, in quibus Papa locum fecit potentiæ seculari, quos refert Chassan. *ad consuet. Burgund. rubr*. 1. § 5. *versic*. Archidiac. *a. n*. 47. *usq. ad n*. 93. Guilelm. Benedicti *in rep. c. Rainutius in verb. & uxorem de testam*. Sebast. Medices *de leg. tr. part*. 4. *q*. 6. *n*. 5. Covarr. *pract. qq. c*. 32. *n*. 2. quorum postremus cum Aufrerio *in Clem*. 1. *de offic. ordina*: ex Innoc. *in c*. 2. *de major: & obed*. Sot. 4. *sent. dist*. 25. *q*. 2. *art*. 2. *concl*. 6. Bellarm. *c*.34.*cont. Barclai* § 1. jus pontificis esse disputat, ut Clericos pro suo beneplacito eximere possit, *quia eius est disponere de rebus Ecclesiæ, prout utile videtur. Utile autem erit, Ecclesiasticos non misceri rebus secularibus, ne ab officio suo avocarentur*. 2. *Timoth*: 2. Addit deinde Imperatores hoc jus cessisse Papæ, quod fundetur etiam sacris literis & testimoniis patrum, & denique quasi hæc omnia non sufficerent, adjungit tacitum regum & principum consensum.

Quare Pontifex voluerit Clericos eximere.

Delicta civilia & Ecclesiastica. Ut concedamus in rebus spiritualibus Ecclesiasticorum constitutiones valere: tamen negamus judicia & delicta inprimis atrociora, rebus spiritualibus posse accenseri. Distinguit Impera. *Nov*. 83. § *sive cum sequ.*

quam

quam Nov. Gratianus inseruit in 11.q.1.c.si quis. Item. l. θεσπίζομεν μηδένα C. de Episcop. audient. inter delicta civilia & Ecclesiastica: *quæ distinctio reperitur etiam in Can. 6. concilij Constantin. & in c.si quis 11.q.1.l.3 lib.12.c.* Theod.3. *de Ep. jud.* Et illa tantum apud judicem civilem vult disputari, nisi partes in Episcopum consentire malint, idque ea de causa, ne Clerici litium disputationibus à sacris officiis avertantur, qua de causa & judices jubet causas Clericorum intra duos menses post litis contestationem terminari, ne, *ut ait §. iv. propter d. Nov. 83 in pr. propter hujusmodi causas sacris amoveantur obsequiis, & cum oporteat Deum placari & decentia Sacerdotibus agi, auditoriis detineantur.* Sed quod Aufrerius illos à sacris officiis non impediri supponit, si coram Episcopo litigent, non video, quomodo minus impediantur, quàm si litigarent coram seculari judice, inprimis in tali ordinatione Ecclesiæ, qua Romam in externas regiones evocantur, cum domi & litem finire & simul officium facere possint. Accedit, quod non tantum, qui litigat, sed & illi, qui litigantibus judices sedent, à sacris servitiis abstrahantur, si judicia Ecclesiasticis tradantur, cum in judicio seculari non absit ab officio, nisi is tantum, qui litigat; ita ut multò rectius ad judices Ecclesiasticos accommodare possimus illud Pauli 2. *Tim. 2. Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus*, quia judicare munus publicum est & civile, quam sententiam probabilem dicit Almain. *de pot. Eccles. & Laic. q.3.c.2. in fi.* VVidringt. *in Apol. pro jur. princip. n.113.* ex professo autem probat & recipit Johan. Parisiens (quem pro sua opinione incautè laudat Bellar. *libr.5. Rom. Pontif. c* 1.) *in tract. de pot. Regia & Papali c.14.* Is autem non potest dici se implicare negotiis civilibus, quem judex cogit ad judicium, quia is ultrò se non implicat, nec impeditur à sacris officiis, si sit reus criminis atrocioris, quia talem etiam ipsæ leges repellunt, *c. sancimus, Nov. 83*, tanquam indignum, qui sacra tangat. Quod ad fundamentum sacrarum literarum & testimonia Patrum attinet, ea quàm sint ficulnea & nihil probent, supra demonstratum fuit. *Lex enim divina, ait Barcl. c.34. de pot. Pap. neminem privat jure & dominio suo, privaret autem, si per eam jus temporale, quod principes, antequam fierent Christiani, in Clericos habebant, invitis auferretur.* Cui respondens Bellarm. *c. 34. contr. Barcl.* primum excipit, *nisi aliquis sua culpa privari mereatur.* Cum verò principes, dum Christiani fiunt, culpam nullam committere videret, quam propter jure suo excidere deberent, aliam rimam quærit, per quam dilabatur, sc. *sicut rex subtrahit comiti subditum, eumq; constituens principem jurisdictione Comitis eximit: Ita Papa ad altiorem gradum evehendo Laicos, potest eos eximere jurisdictione temporali.* Idque pergit multis exemplis falsis & commentitiis demonstrare, quod mulier conversa liberetur ab imperio mariti infidelis: quod votum solvat promissa matrimonialia quod filius Episcopus exeat potestate patria &c. Rectè autem intellecta hæc exempla

8.

manifestò adversantur Bellarmino, quia mulier fidelis nequit descîscere à marito infideli, 1. *Cor.* 7 nec ejus imperio adversari, nisi in causa religionis: Ita nec Clericus, gradu Ecclesiastico insignitus, immunis est à foro Regio, nisi quoad officium suum, quod consistit in prædicatione Verbi, & administratione Sacramentorum &c.

Cætera manet in pristina, & ex jure divino competente subjectione. Nam 1. Gradus Clerici neminem eximit à potestate peculiari, ut in responsione præsupponit Bellarm. & inter nos in utramque partem adhuc disputatur. 2. Papa non est Dominus regum, sicut rex est Dominus Comitis, & ratione universalis jurisdictionis pro salute totius Reipubl. potest immunitatem præstare etiam inferiorum principum subditis. Constat enim, quod ex aliena Republ. subditi sine injuria subtrahi non possint, quia *quod meum est, sine mea culpa à me auferri nequit*, ut habet vetus regula. *l.11. de R.I.* Leo Imp. revocat servos, qui invitis Dominis, Monasterio se mancipant, *Const.* 10. id quod ipsis quoque CC. consonat. *cap.1.c.2. de serv. Ord.* Adrianus servum dominio restituit, quem clamor populi extorserat: Tiberius ne histrionem quidem manu misit, nisi de pretio prius Domino satisfecisset. Quod si principes non dederunt sibi hanc licentiam in suis Rebusp: quo jure eam sibi arrogabit Pontifex in aliena?

Ne enim ulterius evagemur, sufficiat hîc proponi discrimen, quod maximè ad institutum facit & declaratur ab Augustino *in explic. quarund. propos. Epist. ad Rom. Cum anima*, inquit, *constemus & corpore, quam diu in hac vita temporali sumus, & rebus temporalibus ad subsidium degendæ hujus vitæ utimur, oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo ordine administrantibus*, id quod & Thomas *lect. in c.13. ad Rom.* breviusità enunciat: *Interim dum corruptibilem carnem gerimus, oportet nos Dominis carnalibus subjacere, unde dicitur ad Eph. 6. Obedite Dominis Carnalibus.* Conspicuè enim docent, Clericos, quamdiu sint homines, humanum debere agnoscere magistratum. Id quod ex quadam Bellarmini responsione evidenter colligitur. *cap. 35. contr. Barcl.* Cum enim Barclajus *c. 32. de pot. Pap.* objecisset autoritatem Caroli V. qui, teste Surio *in comm. Ann.* 1545. Hermannum Coloniensem Archiepiscopum ad tribunal suum evocaverat, distinguit Bellar. principatum ab Archiepiscopatu, Hermannumque in jus vocatum scribit, quatenus erat princeps Imperii, mansisse autem sub jurisdictione Papæ, quatenus Archiepiscopus. Si enim propter diversos respectus una & eadem persona ad diversa pertinet fora, & omnis principatus imperii subjacet legibus imperii: Ex eâdem causa, omne quod terrenum est in Clericis, terreno judicio relinquendum, & ad spirituale forum, remittenda tantum, quæ sunt merè Spiritualia.

Quan-

Quando porrò taciti consensus & concessionis imperatoriæ mentionem facit Covaruv. fatetur ipsemet, Pontifici non aliud jus competere in hac causa, nisi quantum imperatores concesserint, aut tacito consensu admiserint. Quamquam & hoc extra controversiam est, Edictum Friderico & aliis Imperatoribus invitis expressum fuisse, nec tacitus consensus appellari debet, qui tot protestationibus, usq; ad seditiones & integra bella interpellatus fuit. Teneamus igitur de hac totali exemtione pontificum, quod non obliget, nisi eam agnoscere volentes, cum extra jurisdictionem jubenti impunè non pareatur, *l. ultim. de jurisdict.* & redeamus ad immunitatis Ecclesiasticæ examen, cui certam regulam Canonistæ non præfinierunt, propter varias mutationes, quas diversis temporibus subiit. Qui latè eam interpretatur, Felin. *in c. novit. de judic.* definit, contra libertatem Ecclesiæ esse *omnia illa statuta, quibus Ecclesiasticis personis aliquid prohibetur, quod nec divino nec humano jure illu prohibitum est.* Latissimè, idque ex mente juris Pontificii describit eam Johan. Anton. Bovius *in refutat. P. Pauli Veneti cap. 2. La libertà Ecclesiastica consiste in essere gli Ecclesiastici, nelle loro persone, beni, & cause, essenti & non soggetti alle leggi, potestà, & giurisdittione de' prencipi secolari, in quel modo che soggetti vi sono i Laici.* Hæc est illa libertas, de qua dixit Petrus: *1. Petr. 2* quod sit *velamen malitiæ*, quo sua maleficia tegunt Clerici contra severitatem Legum. *Quid sit libertas Ecclesiastica.*

Sed quia Reipublicæ interest, ne crimina maneant impunita, & quia, qui *crimina, cum potest emendare, non corrigit, ipse committit, c. præterea 23. quæst. 8.* magistratus non debet sibi pati cohercitionem facinorosorum eripi, quam Petr. *1. Epist. cap. 2.* divino jure illi tributam docet, sed potius cogitet, quod *gladium non sine causa portet*, ut ait Paul. 13. *Roman.* & sit *DEI minister*, cui non liceat injusso de Domini jure cedere. Disputat Barclajus *cap 33 de potest. Pap.* rectè, non potuisse totaliter Principes liberare Clericos à potestate seculari, quod frustrà exagitat Bellarminus *cap 33.* & affert concilia pontificum recentia, exemptionem totalem inducentia. Non autem quæritur, quid statuerint concilia, sed quid statuere potuerint. Nam Ecclesia, utpote, quæ cum alieno damno ditescere nequit, jus suum quod principibus jure divino competit, quodque principes Ethnici de jure usurparunt in Christianos, deterius facere non potest, nec professio Christiana cuiquam fraudi esse debet, nec prætexu libertatis Ecclesiasticæ pax Reipublicæ turbari, aut ipsa à facinorosis hominibus oppleri. 9. *Princeps nequit abdicare jus in Clericos.*

His enim, qui sacramenta Domini tractant, judicium sanguinis agitare non licet, *c. his à quibus 23 quæst. 8. c. prælatus. de homi. in 6. & in c. Clemunæ c. sententiam, ne Cler. vel mona. secul.* Bald. *in Auth. Clericus num. 3. Cod. de Episc.* *Ecclesia non utitur nisi gladio Spirituali.*

de Episc. & Cler. Jul. Clarus § *fin. quæst. 36. vers. quæro nunc & vers. scias cum seqq.* Et Ecclesia gladium non habet nisi spiritualem, quo non occidit, sed vivificat, *c. inter hæc 33. q. 2.* nec alias pœnas Anciranum Concilium *c. 15. & 16.* delictis publicis imponit, quam salutares. Unde & hodiè in Ecclesia Romana nec accusator, nec judex, nec pœna in publicis delictis invenitur, ut demonstrat Stephan. Rauchin. *libr. 3, concl. 190.* & Doctor ille Parisiensis, *qui consuluit in causa Papæ & Venetor:* Nam & olim Pontifex Romanorum non poterat interesse judicio sanguinis, *Suet. in Tit.* & Judæi nolebant introire prætorium, ne contaminarentur & impedirentur manducare pascha: *Iohan.* 18. nec Davidi permittebatur ædificare templum, quia *vir* erat *Sanguinis, 2. Reg. 7.* Sed id reservabatur Salomoni, cujus nomen designat *Pacificum.* An vero his pœnis magistratuum juri præjudicabitur, nec gladio peribit, qui gladium sumpsit? Certè sicut pœna pœnitentialis confessoris, *c. in perfectiores 33. q. 2.* non liberat à supplicio corporali: *l. 1. C. de sum. Trin. in fin. l. placet C. de Sacros. Eccl.* Itâ nec salutares pœnæ Ecclesiæ, legum rigorem impedire debent. Unde Randolphus Prorex Scotiæ, cum quidam latro à Papa admercatus esset literas impunitatis, *ad Papam*, dixit, *pertinere quidem condonationem culpæ, sed pœnam corporis ad Regem.* Buchan. *lib. 9.* Nam qui finem procreare debet, illum oportet etiam in manu habere, quæ requiruntur ad finem, ut argumentatur ipse Bellarm. *libr. 5. de Rom Pontif. cap. 7. arg. 2.* Finis Reipub. est, ut ait August. *5. civit. DEI c. 21. Hæc illis vita, hoc studium, ut tu quoquo modo pace fruaris.* Ergo oportet, magistratui concedatur potestas coercendi & in ordinem redigendi, quicunque pacem suis facinoribus perturbant.

Limitatio libertatis Ecclesiasticæ. Nequaquam igitur per immunitatem Ecclesiasticam accipere debemus omnimodam à jure humano exemptionem, quæ humano & divino juri repugnat. Sed post libertatem spiritualem, certa quædam privilegia Ecclesiis benignitate principum concessa, id quod Thomas *in c. 13. ad Rom.* expressè docet, *sequentibus* Victor. *relect. 1. de potest. Eccles. q. penult. nu. 3.* Driedo. *2. de libert. Christ. c. 2.* Navar. *in Manuali. cap. 27. num. 119.* Ludovv. Molin. *tract. 2. de just. disput. 31. con. 3.* & historias intuenti primo statim intuitu apparet.

10. *Probatur ex praxi primitivæ Ecclesiæ.* Si enim rem paulò altius repetere velimus, in initio nascentis Ecclesiæ, Christus confitebatur, Pilato esse desuper in se datam potestatē, & Paulus appellabat ad Cæsarem, tanquam competentem judicem. Nec dubium est, quin sub Ethnicis Imperatoribus Christiani coacti fuerint, causas suas in foro agere, quà Laici, quà Clerici, memores præcepti Apostolici: *Subditi estote Dominis non tantum modestis, sed & δυσκόλοις. 1. Petr. 2.* Sed D. Paulus *1. Corinth. 6.* reprehendit Christianos, qui malebant apud paganos judicari, quam inter fratres, q. indignum quid Christiana professione facerent.

Anne-

An nescitis, ait, *quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam angelos judicabimus, quantò magis secularia. Secularia igitur judicia si habueritis, contemtibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui jussit judicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre contendit, judicio & hoc apud infideles?* Morem hunc componendi controversias Christianorum in Ecclesia post Apostolorum tempora mansisse testantur Epistolæ, quæ circumferuntur, modo iis quis præbere velit fidem. Ita enim Clemens ad Jacobum, quem certum facit de morte Petri, cum constet & Eusebius testetur. *lib. 2. cap. 22. 24.* illum aliquot annis ante Petrum periisse. Quicquid sit, in illa Epistola legitur: *si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores seculi non judicentur, sed apud presbyteros Ecclesiæ, quicquid illud est, dirimatur, & omni modo obediatur statutis eorum.* Non loquitur, ut quidam putant, de Clericis, sed de tota Ecclesia, quod presbyterorum judicia subire debeant. Nam quia judices & magistratus nulli erant Christiani, & indignum putabant coram infidelibus contendere, res eorum vult coram Ecclesiæ principibus componi debere. Ita legitur: *in Epist. 2. Marcellini. Quacunque contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris determinentur.* Et paulo post: *Clericus verò cujuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu nullum præsumat ad judicium seculare attrahere, nec Laico quemlibet Clericum accusare,* ubi præsupponendum est, judices non fuisse, nisi Paganos, ideoque absolutè vetat ad judicium seculare ire, sive Laicus sive Clericus fuerit accusandus, quod nullus dicere debuisset, si magistratum cognovisset Christianum. Postquam magistratus cœperunt præfici Christiani, *l. 2. l. 18. de hæret. & Manich.* honorarium judicium Ecclesiæ ulterius locum non habuit, ideoque hoc potissimum in loco oportet incipere quærere primordia privilegiorum, idque tum in legibus, tum in conciliis, tum in historiis.

II. *Auspicia libertatis Ecclesiasticæ.*

Reperio autem Sozomenum, *lib. 1. cap. 9.* cum vellet, recensere maximum beneficium, quo Constantinus Ecclesiam affecit, hæc reportare. *Illud*, inquit, *planè maximum reverentiæ imperatoris erga religionem argumentum, quod Clericis ubique per legem ob eam rem conditam, immunitatem donari voluit, quodque illis, qui erant in judicium vocati, dedit potestatem, si modo animum inducerent magistratus civiles rejicere, ad Episcoporum judicium provocandi.* Item repetit Niceph. *lib. 7. Eccl. hist. c. 46. Permisit*, ait, *Clericos immunes & liberos lata lege, Episcopis dedit jurisdictionem, & super Clericos & super Laicos, tanquam delegatis suis, siquidem civilium judicum cognitionem declinare voluissent, & libertatem Ecclesiæ lege lata concessit:* & notanter addit Nicephorus, hæc ità obtinuisse usque ad suam, id est, Andronici Imperatoris tempora,

pora, quod nobis argumentum præbebit, de libertate Ecclesiæ Græcæ, quanta scil fuerit, modo declaraverimus, num per immunitates Ecclesiæ à Constantino concessas Clerici separati fuerint, ab obedientia legum civilium. Vetat eos noviscollationibus obligari, concedit liberos esseab Hospitibus excipiendis, *l. juxta C. de Episcop. & Cler.* removet ab iis indebitæ conventionis injuriam, & iniquæ exactionis improbitatem, extraordinariorum munerum necessitatem, parangariarum præstationem, *L. omnis. Cod. eod.* nisi habeant possessiones, *l. de his C. eod.* & quæ sunt similia *in Cod. Theod.* Sed de exemtione eorum nullum verbum, quin potius *in Epist. ad Celsum Vicarium Africæ* scribit: *Scias, quod tàm super plebe, quam super Clericis his, qui primi sunt, sum diligentissimè quæsiturus, idq; judicaturus, quod veriß. & religiosiß. esse manifestum est,* & Sozome. & Nicephor. expresè addunt, non exemtos fuisse Clericos à judicio magistratuum, *nisi maluissent judici ordinario præferre Episcopum,* & Athanasio de morte Arsenii accusato Constantius ipse judices dedit, Socrates *lib. 1. c. 20. 21.* sicut & Paulum Samosatenum Aurelianus Imperator removit. Stephanus Antiochenus Episcopus sub Constante & Constantio à Legatis, quos ad fratrem Constans miserat, de vi publica & l. Cornelia de sicariis reus actus, & in palatio, non in templo damnatus fuit, Theodor. *li. 2. c. 11. 12.* Athanas. *in longa ista Epist. ad solita. vit. agentes,* præterea testatur etiam à Constante & Constantio convocatum fuisse concilium Sardicense: Item eorundem jussu Episcoporum quemq; rediisse ad suam Ecclesiam, & ipse dicit se non intercedere, quò minus accusatores sui se sistant coram Imperat. cui de factis suis paratus sit rationē reddere. quæ omnia indicant jurisdictionem Imperat. super Episcopos. De Constantio etiam nihil habemus, nisi, quod immunitates à Constantino concessas cōfirmârit, *ad Severianum Achaiæ proconsulem.* Et alibi scribit: *Clericis ac juvenibus præbeatur immunitas: repellaturq; ab his exactio onerum sordidorum Dat. 7 Kal. Ian. Constantin. Constantio VI & Constante AA. Coß.* A Valēte Gratiano, Valentiniano. A A A invenimus scriptum ad Artemium, Euridicum, Appium &c. Episcopos: *Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis Ecclesiasticis obtinendus est, ut si qua sunt ex quibusdam dissensionibus levibusq; delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à sua diœcesis Synodis audiantur, Exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariisq; judicibus aut illustribus potestatibus audienda constituit. Dat. 16. Kal. Iun. Valente V. & Valentini AA. Coß.* cum quibus omnibus consentiunt Novellæ Justiniani, qui licet Episcopis audientiam in causis Ecclesiasticis *Nov. 82. §. si vero.* concesserit: supremum tamen jus & cognitionem sibi reservavit. *Ita enim Episcoporum sententiam executioni tradi jubet, si utraq; pars ijs, quæ judicata sunt, acquieverit,* id est, nisi pars damnata appellarit. *Novell. 123. c. 21.* Similiter *cap. 8.* scribit, *Nullus Episcopus invitus trahatur ad secularem, nisi princeps jusserit,* quæ verba

Continuatio ejusdē.

verba posteriora sicut & verbum *invitus*, quia supremam potestatem Imperatori reservant, Gratianus studiosè omisit. *in c. nullus 11. q. 1.* Porro in Zenone Evagrius autor est, ab eo adversus Alexandrinum & Antiochenum Episcopos latam fuisse sententiam ob hoc solum, quod alter coram ipso principe mentitus esset, alter Basilisci partes foveret. Pelagius ipse Aquileensem & Mediolanensem Episcopos ad Clementissimum principem dirigi jubet, ut secundum Canones puniantur. *c. istud causa. 2. q. 1.* An hic respondebit Bellarm. *c. 34. contr. Barcl. Pijs principibus nondum satis notam & explicatam fuisse exemtionem, quam jure divino Clerici habebant: Sanctos autem patres paulatim eam explicare atq; introducere nisos.* Væ inscitiam omnium Regum & principum ante Hildebrandi adventum: Væ impudentiam Regum Galliæ, qui cum jam id discere potuissent, à Romanensibus, in ignorantia sua triumphare maluerunt, quam cum scientia succumbere. Et licet principes ignari juris fuerint: tamen Christus ipse & Apostoli, quomodo excusari poterunt, qui passi sunt sibi laudem à patribus Bellarmini præripi, nec ausi fuerunt jus divinum explicare, sed in hujus ignominiam juri Tyrannico se ultro subjecerunt. Sed ut ad rem redeamus. Heraclii constitutio legitur *inter Imperat. constit. ne Episcopus vel Clericus vel Monachus, ob pecuniariam criminalemve causam apud civilem militaremvè cōveniatur magistratum, sed apud suos Episcopos duntaxat aut metropolitanos, aut patriarchas.* Eadem etiam statuit aurea bulla Alexii Comneni. Sed quia omnis enunciatio interpretanda est, secundum subjectam materiam, per pecuniarias & criminales causas, oportet intelligere eas, quæ possunt cadere in Episcopi judicium: Et in omnibus privilegiis præsupponitur princeps summum jus sibi reservâsse, quippe quod in alium conferre non potest. Constitutio Friderici II. quamquam ab Honorio expressa. Duare. *ad t. C. si advers. vendit. in fi.* tamen quicquid concedit secundum constitutiones Imperiales & Canonicas sanctiones concedit, ità ut ad dictas leges recurrendum sit, quãdo de ejus interpretatione agitur. §. *Nos Fridericus* §. *Item statuimus Const. Frider.* Ex quibus omnibus patet, privilegia & immunitates, quibus in rebus sua natura temporalibus gaudent Ecclesiastici, ab Imperato. primum inductas, & de tempore in tempus mutatas fuisse, ita tamen ut principes jure suo, quod ipsis naturali & divino atq; etiam humano jure competebat, se nunquam spoliâsse intelligantur, ne cum Petro Ferrar. *prax. Pap t. 2. gl. 9. nu. 56.* dicere cogamur: *privilegia à stultis Imperatoribus Clericis concessa, consumunt, statum Laicorum & Imperij:* quod & Otto Frisingens. testatur *in præfat. 7. Chron. Imperium scilicet ob amorem sacerdotij evisceratum & viribus exhaustum fuisse.* Cusan. *lib. 3. Concor. Cathol.* Sicut enim quod favore alicujus inductum, non debet in ejus odium verti: ità nec in dantis damnum debet retorqueri, *l. si judex circũv.* ubi Bart. & Bald. *ff. de minor. l. amicissimos, de admin.*

tutor. præsertim cum in generali locutione persona loquentis videatur excepta, *ut ICti docent, c. quuqun, de præbend. & sim.* unde patet responsio ad leges à Bellarm. *cap.35. contr. Barcl.* adductas, quibus Imperatores seculari potestati eximunt Clericos & per conseq. ut ipse infert, etiam Imperatoriæ, quanquam præterea errorem suum nimis quàm pueriliter prodit, quando, quid per curiam intelligatur *in l.7. Cod. Theod. de Episcop. & Cler.* se prorsus nescire declarat. Nullibi enim reperiri Clericos exemtos à potestate suprema principum rectè observat Barcl. *cap.33. de pot. Papæ.* licet à judicum & magistratuum judiciis ex illorum indulgentia absoluti inveniantur.

Sed extendamus propositam materiam aliquantulum latius, ut appareat in reliquis quoque regnis humano jure immunitatem inductam, idquod nullibi manifestius apparet, quàm in regno Galliæ, ubi cum reges jus suum integrè relinquere noluerint, nec solida sua immunitate Clerici unquam uti potuerunt, imò eò res progressa est, ut profani proceres bona Cœnobiorum possederint, à tempore Caroli Simplicis usque ad Robertum & Henricum I. indeque præbuerint Monachis, quantum eorum sustentationi sufficere putabatur. Æmil. *lib.3. & 5.* Sed quantum ad jus, Clerici conveniuntur coram judicibus secularibus in actionibus realibus, Tiraq. *lib.1. retract.* §.32 *gl.1. nu.* Si Boer. *decis.69. nu.20.* nonnunquam etiam in personalibus, de multis criminibus, quæ *privilegiata* vocant. Barcl. *c.33. pot. Papæ.* Julius Clar. *libr.5 q.36. vers. ulterius quæro.* Boer. *decis.297. n* 1 Aufrer. *in rep. Clem. in 4. reg. fall.2. de off. ordin.* Bened. *in c. Raynut. verb. uxorem. n.445. de testam.* Bellar. *c.8. contr. Barcl.* cum Childericus rex Episc. Rothomagensem, majestatis reum egisset, & pro eo verba faceret Gregor. Turon. *libr.5. c.18.* dicens: *Regi id jus quidem competere, nec posse à quoquam vocari in judicium* &c. explicat sententiam Gregorii, quod locutus fuerit *de facto*, & *non de jure*: atque ea explicatione ex Episcopo facit adulatorem aulicum, ex veridico historico, mendacem deceptorem, præterquam quod Rex Galliæ ex infinita memoria potestatem in Ecclesiasticos sibi vendicaverit, optimo Jure Regio, idq; autoritate ipsius Pontificis *in c. meruit. Extr. com. de privileg.* Juris quoq; est apud Gallos, ut judex secularis cognoscat de possessorio cujuslibet causæ principalis, ut tradit Guid. Papa *q.1.71.85.* Carolus de Grassal. *lib.2. Regal. Franc. jur.5.* & Joh. Gallus *q.155.* ait, *judicem secularem apud Gallos inhibere & prohibere judicium petitorium, donec fuerit lis finita super possessorio, quod habeat multum facti.* Thom. Grammat *decis.78.* Sic & communi usu constat à bullis Pontificum, seu, quod eodem redit, ab earum executione appellari. Duar. *lib.1. Eccl. minist. cap.5.*

Consuetudo Gallicana

In Anglia, licet jam Pontificum Canones de immunitate & exemtione Ecclesiasticorum promulgati essent, admissi tamen nunquã fuerunt, donec

donec precio à Stephano obtinerent Ecclesiastici, ut in usum ponerentur. Pro argento enim, quod ab iis mutuo sumserat ad sustinendum bellum contra filiam Henrici I. legitimam regni hæredem, immunitatem iis vendidit: Rogerius Hoved: Helinshod. *& alij in Steph*: nec tamen omne jus suum iis cessit, quia & sæpè decimas & tributa ab Ecclesiis exegerunt reges, & Rota *in decision. antiq. decis.* 140. *incipiente*: *utrum valeat consuetudo Anglica*, damnat consuetudinem Anglicam, quam ibi receptam testatur, ut Clerici quicunq; super actionibus mixtis realibus litigare cogantur coram seculari. De delictis atrocioribus præstat ipsius Richardi Archiepiscopi Cantuariensis sententiam ascribere, qui ad Richardū Vinctoniensem. Gaufridum Eliensem & Johannem Norwicensem, Episcopos scribit in hunc sensum in Epist. Petri Blesens. *Ep. 75. Clerici vel Episcopi occisores, Romam mittuntur, euntesq; in delitiis cum plenitudine Apostolicæ gratiæ & majore delinquendi audacia revertuntur. Talium vindictam excessuum Dominus Rex sibi vendicat: sed nos eam damnabiliter nobis reservamus, atq; liberam præsentis immunitatis materiam, in fauces nostras Laicorum gladios provocamus. Ignominiosum est, quod pro capra vel ovicula gravior, pro sacerdote occiso pœna remissior irrogatur. Sed his & durioribus digni sumus, qui jurisdictionem alienam, & nobis omninò indebitam ambitione temeraria usurpamus. Nam in corpore decretorum & in Epist. ad Romanos hæc verba legisse meminimus. Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi judices, quam per Rectores & judices Ecclesiasticos vindicantur, sicut est, cum quis interfecit Pontificem, Apostolicum presbyterum, sive Diaconum, hujus criminis reos, Reges & principes mundi damnant. Omnis equidem justitia ideò exercetur, ut debita quiete gaudeant innocentes, & malignantium temeritas refrenetur, veruntamen in hac jurisdictione maledicta, quam ambitiosè & superbè præsumimus, Deum offendimus & dominum Regem, viamq; Clericis malignandi tutissimam aperimus.* Concludit denique: *Reddentes igitur Deo, quæ sunt Dei, Cæsari, quæ sunt Cæsaris, juxta petitionem Domini regis, & tantorum vindictam excessuum relinquamus.* Atq; ita Henricus IIII. VValterum Baldoke, Priorem Landensem condemnavit, quod conscius conjurationis eam non detexisset. Helinsh. *in Hen. IIII.* Item octo fratres seditiosos misit in carcerem: Polyd. Virgil. & Archiepiscopum Eboracensem eadem de causa capite mulctavit. VValsingham. *in Hen IIII.* Henricus VII. tam cognovit de Clericis quam Laicis, qui Varbecium secuti erant. Henricus VIII. cum adhuc sequeretur partes Papæ, Vicarium Episcopi Londinensis cum suis officialibus damnavit ad torturam. Stow. *in Henr. VIII.* Hodie constat, quod Henricus VIII. cum se caput & principem Ecclesiæ proclamari fecisset, tàm in temporalibus, quam spiritualibus, omnem jurisdictionem, omnia jura ad se revocaverit,

Consuetudo Anglicana.

relicta Episcoporum consistoriis illarum rerum tantum cognitione, quæ ex sacris literis potissimum deciduntur & spectant conscientias, Smith. *in the common VVealth of England in the 3. booke c ult.* id quod ferè per omnes reformatas Ecclesias observatur in Germania, Gallia, Dania, Suecia, salvo semper jure superioris, ut videre est in August. Confess. *t. de potest. Eccles.* & in Apolog. Melanth. *in fin.* Johan. Calvini. *Inst.* & Flac. Illyr. *Clav.*

Consuetudo in regnis aliis. In Polonia post longas concertationes Ivo Episcopus Cracoviensis obtinuit, 1217. ut Clerici à potestate seculari liberi pronunciarētur. Crom. *lib.* 7. Andreas Isernia *in constit. de personis sub rubr. ubi Clerici in malef. conven: deb. in regno Neapol.* dicit *conventum inter Romanam Ecclesiam & regem Regni in investitura, quod Rex nullam aliquo casu habeat jurisdictionem in Clericos, nisi ratione feudi.* Si ex conventione. Ergo non ex jure divino.

Veneti pluribus probant, antiqua consuetudine Reipub. jus competiisse in facinorosos Clericos, quo jure Brandolinum Valdemarinum Abbatem, & Scipionem Saracinum, Canonicum Vicentinum contra Pauli V. censuram captivos detinuerunt, idque pluribus argumentis juste factum demonstrant Anton. Quiri: *nelli avisi* M. Paulo da Venetia *nelle sue considerationi* & Fulgentio Bresciano *nelle confirmationi d' istesse*, Giovan. Marsilio *nella difesa dell' otte propositioni.* Nicola. Crassus *in Antipar. ad Baron.* Hieron. Vendramenus *in disquis. controversiar.* Ventura Vincent: *in conf. ad Venet:* Judicatum etiam fuit in Camera, Clericum posse trahi ad secularem judicem, quando quis adversus eum experitur actione reali. Mynsing. *cent.* 1 *obs.* 22. Gail. *de pignor. obser.* 7. *num.* 2.

Ex quibus omnibus abundè constat, non alio nisi humano jure immunitatem Ecclesiasticorum, ex æquitate & benignitate Christianorum principum inductam, ideoque nunc pluribus, nunc paucioribus titulis, prout principibus placuerit, compræhensam fuisse. Quod innuere volebat Fridericus I. ad Adrianum IV. scribens: *Cum quid Regale Papatus vester habere dignoscitur, largitione principum obtinet.* Balæus *in Adr.* 4. Vrstisi: *collect. hist: Germ.*

13. *Causa ob quas à foro vulgi eximi merebantur Clerici.* *Ex æquitate* dixi, quia dignitas officii & personarum requirebat quandam à vulgo separationem, præsertim, cum non tantum honori personarum, sed & majestati Dei, cujus sacris Sacerdotes vocare oportet, id indulgeatur, *ut ait Paulus l. non distinguemus.* §. 3. *ff. de recept arbitr.* Determinat enim Ictus, *l. generaliter.* 13. *de in jus vocan.* in jus sine venia vocari non posse eos, quibus reverentia debetur: inter illos autem, quibus reverentia debetur, primum locum tenent parentes. *l.* 2. *lib.* 3. § 1. *ff. Eod.* Ecclesiastici verò sunt animarum parentes, *c. in scripturis, dist:* 96. regum, principum, omniumq; fidelium patres ac magistri, *c. quis dubitet dist.* 96.

Clem.

Clem. 1. §. *Nec super hac de pœni.* lumina mundi, *c. Sacerdotes dist:* 93. quo argumento usus vel potius abusus est Thomas Archiepisc. Cantuariensis, quoties à rege juberetur obedire legibus regni: *Quia ego*, inquit, *sum pater vester spiritualis, & pater non debet respondere in judicio filii.* Roger: Hoveden Joh. Pike, Matth. Paris, Gervasius Dorobern: *in Hen:* II. idemq; argumentum urgetur iisdem penè verbis. *c. quis sacerdotes dist.* 96. *c. cum infer. de major. & obedi:* Sed paternitas, quæ spiritualis est, in foro temporali allegari non potest, nisi quatenus pater alterius judicii patitur eius autoritati locum concedi, sicut nec Rex allegare potest in foro spirituali, quod sit Pater populorum, ut eum apellat Homerus. Nihil enim impedit, quin diversò respectu aliquis possit esse modò pater: modò filius. Gregor. M. *lib.* 2. *Ep.* 31. *ad Maurit.* ait: *Sacerdotes honore & reverentia ab Imperatoribus prosequendos esse.* Nec tamen secum pugnat, quando *eodem lib. Ep.* 62. se vocat, *Imperatoris famulum*, & *debere se*, ait, *obedientiam Imperatori, cui potestas concessa sit super omnes homines*, & nominatim etiam, *in sacerdotes*, ut ait idem *lib. eod. Epist.* 65. quia fieri posse, ut qui Rex est in suo regno, in alio fiat subditus, *in lib.* 3. *de jur. Majest.* c. 6. *n.* 12. demonstravimus, exemplis Conradini, Mariæ Scot. & Legatorum. Nam & Gelasius Papa *in Epist. ad Anastas. Imper.* imperatorem, quem vocarat *filium* & *præsulibus rerum divinarum subditum*, mox dicit *humano generi præsidere.*

Præterea Episcopus non debet eligi, nisi vitæ probatissimæ, *c. in Sacerdotibus dist.* 61. *c. oportet.* 8. *q.* 1. qui sit nullius criminis reus, *c. primum dist.* 25. *c.* 1. 6. *q.* 1. *c. priusquam dist.* 28. *c. de Petro.* 46. *dist. c. ult. dist.* 60. *c.* 1. *dist.* 61. & ætate gravis, *Novell.* 123. *c.* 1. *per totam dist.* 78. & doctrina præstans, *ibidem*, quæ omnia non possunt non facere hominem venerabilem, adeò ut Host. & Johan. Andr. *in c. Eò libentius in verbo militia, de serv. non ordin.* Clericos velint reputare inter nobiles, quod quanquam de toto genere Clericorum probari non potest, tamen sacerdotium dignitatibus accensetur: *in l. atrocem & ibi gl: C. de injur: c. deniq; in pr. dist.* 4. Et talis quidem dignitas putatur Bartolo *cons:* 180. *si aliqua Col.* 2. quæ major est omni honore seculari, Vnde non conveniebat eos in judicium rapi, instar vulgi, servilique pœnæ subjici, *l. Ne quis C. ut nemo privat.* Anton: Faber. *in ration: ad l.* 2. *de in jus voc. l.* 2. & ibi Castrens. *de in jus voc: l. omnes in pr. C. de Episc & Cler:* Corras: *lib.* 1. *Miscell: cap.* 10. *n.* 1. sed ut verba eorum in Ecclesia plus autoritatis haberent, æquum erat, ut eorum dignitati parceretur, Ludovv: Molin: *tr.* 2. *de just. disp:* 31. *concl.* 4.

Quantus honor olim exhibitus Sacerdotibus apud Ethnicos.

In quantum honorem Romani olim Pontifices habuerint, *ex pictore, Gellio, Fenestella, Pompeio*, & aliis patet. Pontifex Max. nullius erat obnoxius judicio, de iis, quæ in Pontificatu suo, id est, per totâ vitâ ageret, Halycar: *l.* 2. vehebatur Sella curuli, Liv. *dec.* 3. *l.* 5. lictore præcedēte, Plut. *probl. c.* 113.

cap. 113. portas suas ornabat lauru, Plin. *lib.* 15. *c.* 30. & Forus testatum reliquit: *Ep.* 47. Cn. Trebelium tribunum plebis fuisse mulctatum, quod inciviliter locutus esset M. Æmilio Lepido, cum summum pontificatum gereret. De sacerdotibus Cumæ Ponti refert Strab: *lib.* 12. quod bis in anno gestent diadema: de sacerdote Herculis Tyrii narrant Diodorus Siculus *lib.* 17. *cap.* 4. Pausan: *in Boæt*: Orosius *lib.* 4. *c.* 6. quod amiciatur purpura, & caput Diademate cinctus in publicum prodeat. De Trallianis Vitruvius, *lib.* 2. *c.* 8. quod summus Pontifex inter eos regale habitet palatium, & ne cumulem plura exempla, Sacerdotium inter summas dignitates ubique gentium semper fuit repositum, Hurault: *lib.* 1. *de Offic. l'estac c.* 14. sicut & de germanis scribit Tacitus, *de moribus German*: *Sacerdotibus juxta ac regibus & principibus honor habitus fuit*, adeò ut illud cum regia majestate multi conjungendum putârint, sicut retrò diximus, & Bartolus putet, Pontificatum q. fratrem esse: principatum sororis locum tenere. Theseus vetuit sacra tangi, nisi à principibus urbis, Plut. *in Thes.* quod Arist. 7. *Polit.* *c.* 10. in omni Repub. observandum putat, *ut* videlicet *sacra à dignissimis tractentur*, & observatum fuit apud Athenienses, ex instituto Thesei, Plut. *in Thes*: & in reliqua Græcia, prout ex Halycar. *libr.* 2. discimus, dum scribit: *πρυτανεῖα apud Græcos vocantur loca publica sacra, quorum cura pertinet ad eos, qui summum magistratum in Repub. gerunt.* Apud Persas, quo loco fuerint sacerdotes ex magorum autoritate constat, Philostr: *lib.* 1. *de vit. Apoll*: & hodiè idem princeps est & caliphus in Persia. Apud Tartaros hodiè, qui Mahometis somnia non sequuntur, ipsi Reges summum Sacerdotem, quem Seidum vocant, tanto honore prosequuntur, ut advenienti inclinati obviam procedant. Sigismun. *in Tartar.* sicut olim Iulianus philosopho, quem summo honore afficere volebat. Marcel.

14. Quæ omnia demonstrant, communi gentium opinione summam sacerdotibus solitam deferri dignitatem, modò eam in potestatem non vertant, sicut Bonifac. IIX. quod Gelasius *c. duo sunt 96. dist.* rectè dixerat, *autoritatem sacram* pontificibus, *regalem potestatem* principibus tribuens, prorsus invertit, & potestatem dixit pontificum esse, autoritatem regum, cum pontifices sola dignitate contentos esse oporteret, nec aliam sibi potestatem tribuere, quam spiritualem, quam Gerson. *in resol*: *circa excommunic*: *consid*: 1. maximè fundari ait in illa lege Evangelica: *Matth.* 18 *Si peccaverit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Quibus verbis præcipitur primùm crebra admonitio, tùm excommunicatio eorum, qui prorsus obstinatè improbi manent. Et de hac potestate Constantinus loquitur, quando ad Episcopos Concilii Nicæni dicit: *DEUS vos constituit sacerdotes & potestatem vobis dedit de nobis quoq; judicandi. Hist. Eccl. lib.* 10. Et Valentinianus: *Talem in pontifical*

Potestas Ecclesiæ consistit in excommunicatione.

ficali constitutæ sede, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincerè capita nostra summittamus, & cujus monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessario veluti curantis medicamenta suscipimus. Duare. *lib. 1. sacr. Eccles. minist. cap. 2.* Quod si hæc monita nihil profecerint, ad extremum licet devenire remedium, *c. quoniam. dist. 18. c. quis dubitet. dist. 96.* & sic Innocentius à communione summovit Arcadium, quod Chrysostomum à sede sua pelli consensisset, *d. cap duo sunt*, & Ambrosius negavit Valentiniano Ecclesiam, quam Arrianis destinarat, concedere, nec Theodosium in Ecclesiam voluit intromittere Theodoret; *lib. 5. c. cum apud 11. q. 3.* Hæc res revocat mihi in memoriam similem potestatem, quam Druydibus Gallorum asscribit Cæsar. *6. bell. Gall. Si quis*, ait, *aut publicus aut privatus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus enim interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur, ab iis omnes discedunt, aditum sermonemq; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neq; iis petentibus jus redditur, neq; honos ullus communicatur.* Quod si qui callum etiam contra hanc disciplinam obduxerint, hi metu suppliciorum à maleficiis abstinere per magistratum cogendi sunt. *c. non frustra. 23. q. 5. l. 1. de just. & ju.* Nam disciplina Ecclesiastica ulterius non progreditur. Sed hæc non est illa potestas, quam Ecclesia, principum privilegiis acceptam referre habet, cum institutione divina illi tradita sit: Verum altera consistit in judicio temporali, quod Leo Papa Ep. 96. Ecclesiæ ab Imperatoribus concessum testatur; *Tanta* ait, *seculi potestates circa sacerdotalem ordinem reverentia prævaluere, ut etiam hi, quos sub imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit jus distinguendorum negotiorum Episcopis Sanctis, juxta Divalia constituta, permiserint.*

Hoc jus, quia Ecclesia, dicente Valentiniano, nec forum legibus habet, nec apparitionem, nec executionem, *Audientiam* leges peculiari nomine vocant, ut notat Cujac. *in paratit. C. de Episc. audientia.* nec rectè Azo *in sum: t. de Episc. aud. in pr.* & Accurs. *ad rubr. d. t.* interpretantur per jurisdictionem, cum Niceph. *lib. 7. c. 46.* eam assimilet judicio delegatorum, quos constat notionem tantum habuisse, qua nec Episcopis plus tributum fuit. *l. cum Clericis C. de Episc. & Cler. l. Episcopale. C. de Episco. aud. Novell. 123. c. 21.* Eodem jure usi sunt olim pontifices Romani. Quod enim Lentulus Pontifex in senatu dicit. *Pontifices religionis judices fuisse, legis senatum, Cic: ad Att. lib. 4.* ita accipimus, quod de religione cognoverint. Cic. *in orat. pro domo.* Nam cum quæstio esset de Clodio ob violatam religionem puniendo, Cicero eum non coram Pontificum Collegio, sed coram Senatu accusavit. Plutar. *in Cæs.* & Cicer. & Minutiam vestalem insimulatam apud Pontifices ab indice servo, Pontifices tantum jusserunt sacris abstinere familiamq; in potestate habere. Sed post, facto judicio, viva *Episcopalis audientia.*

ſub terram ad portam collinam dextra via ſtratam defoſſa eſt, ſcelerato campo. Liv. *lib.* 8.

Quibus jus dicant Epiſcopi. Jus autem dicunt Epiſcopi Clericis, Monachis, œconomis. *lib.* 1. *l.* 7. *l.* 14. *C. de Epiſc. aud.* pauperibus, *l.* 1. *C. eod.* aliiſq; miſerabilibus. *l. nemini.* 19. *cum ſeq. C. eod.* & iis, qui eos ultro judices optaverint. *l. Epiſcopale l. ſi qui ex conſenſu C. eod.* Azo *in ſum. hoc t. n.* 1. VVeſenbec. *in paratit: C. hoc t. n.* 2. Quia enim jam honoraria presbyterorum in Eccleſia judicia longo uſu recepta erant, ut ſupradiximus, imperatores integritati Epiſcoporum tantum tribuerunt, ut liceret, qui vellet, eorum æquitatem potius experiri, quam rigorem legum. Sic olim Germani cum in aciem prodiiſſent, *nemini nec animadvertere neq; vincire, nec verberare, niſi ſacerdotibus, permittebant, velut Deo imperante, quem adeſſe bellantib. credebant.* Tacitus *de morib. Germ.* Tantum tribuebant ſanctitati & integritati eorum, qua de cauſa & Romani olim legum cuſtodiam & interpretationem & actiones ſecundum eas, pontificibus relinquebant, *l.* 2. § 6. *de orig. jur.* ut ibi notat Zaſius *in verb: actiones & in ver: Pontificum.* rati eas nunquam ſanctius cuſtodium iri, quam ab illis, quibus religio omnem fraudem exemerit.

Quouſq; ſe extendat juriſdictio Eccleſiaſtica. Quia vero notio ſola eluſoria eſt, niſi facultas coërcendi conjungatur, *lib.* 2. *de jurid.* conceſſum ſimul eſt, ut leviores pœnas Eccleſia potuerit infligere, ſicut & pontifices Romanorum peccantes mulctabant. Halycar. *lib.* 2. Ità removet ab officio, *c. presbyter.* 2. *q:* 5. *c. ſi quis viduam diſt.* 50. *c. presbyter. diſt.* 28. conjicit in monaſterium, *c. ſi Epiſcopus diſt.* 50. tradit curiæ, *c. Clericus.* 3. *q.* 4. *c. ſi quis Sacerdot. c. ſtatuimus* 11. *q.* 1. & progrediente tempore, progreſſa eſt ad carceres, *c. quamvis de pœna: in* 6. quos pro pœna Eugenius II. primus putatur inſtituiſſe. Scip. Gent. *lib. de jurisd.* Item ad exilia, *c.* 1. *de calum.* & uſque ad ſupplicia corporis, *c. ante omnia diſt.* 35. *c. conſpirat.* 11. *q.* 1. *c.* 1. 23. *q.* 5. quæ tamen, quia auſus fuit irrogare Archiepiſcopus Bituricenſis in mulctam damnatus eſt à curia, ut teſtatur Duar. *lib.* 1. *ſacr: Eccleſ. miniſt. cap.* 3.

15. Ex dictis patet, quouſq; ſe extendant privilegia, quæ Imperatores Eccleſiæ jure communicarant, unicum adhuc reſtat ſubjungendum, quod iis, quæ hactenus ex conſtitutionibus principum deduximus, univerſalia concilia non contradixerint, ut objicit Bellarm. *c.* 34. *contr. Barcl.* in primis antiquiora. Eorum enim ſententia prævalet, quotieſcunq; diſcors ſententia incidit, *c.* 28. *diſt.* 50. *c. hoc ipſum* 33. *q.* 2. Sciendum igitur quod concilia ſecuta conſilium Pauli, 1. *Corinth.* 6. ut patet expreſsè *ex can.* 9. *concilij Carthag* 3. (quanquam ibi à magiſtratu Ethnico, coram quo noluit cauſas diſputari Paulus, ad magiſtratum Chriſtianum argumentum transferatur) ad dignitatem Eccleſiaſticorum ſervandam, voluerint eorum lites prius in Eccleſia audiri, quàm ad Imperatorium tribunal provocaretur, quo-

Sententia conciliorum.

quod & constituit Justinianus, ne ante latam ab Episcopo sententiam ad judicem recurratur. Sed nunquam ab antiquis Canonibus legimus prohibitam fuisse Ecclesiis provocationem ad potestatẽ secularem, licet prohibitum sit, ne regiæ aures obtundantur, antequam causa audita sit in Ecclesia, ne videlicet Ecclesia videatur sperni, & ne injuria inferatur Canonibus aut ordo Ecclesiasticus perturbetur, ut dicit concilium Constantinop. *Can.* 6. & clarius d. Carthag *c. 9. si quidem* ait, *cui ad eligendos judices undiq; patet autoritas, vile Ecclesiæ consortium judicat, qui de universa Ecclesia malè sentiendo de judicio seculari poscit auxilium* Est enim, ut scribit Cyrillus Alexandrinus *ad Ioh. Antioch: & Synodum ibidem congregatam: multò melius ac justius, ut Ecclesiastica quæstiones in Ecclesiis agitentur ac formentur, & non apud alios, quibus sanè prorsus inconveniens est hujusmodi causarum Diæta.* Igitur in Chalcedonensi Synodo *Can. 9.* decernitur non simpliciter, ne quis Clericus adversus Clericum habens actionem, deserat proprium Episcopum & ad secularia convolet judicia: sed additur: *Prius actio ventiletur apud Episcopum proprium*, id est, priusquam secularia adeat judicia. In Constantinopolitano: *Can. 6. si quis spretis Episcopis Provinciæ & majore Synodo, ausus fuerit regias aures obtundere, & judicia principum secularium vel Synodum œcumenicam turbare, contumeliosè contemnens omnes eius Diœceseos Episcopos, hic omnino ad accusandum non suscipiatur.* In Antiocheno similiter: *c. 11. ne quis præter concilium vel literas eorum Episcoporum, qui sunt intra provinciam, maximè Metropolitani, ad Imperatorem pergat*, aut ut concilium Veneticum dicit, *Can: 9.* ne id faciat, *nisi ex permissu Episcopi sui*, hoc est, ne Ecclesiam prætereat. Cartaginense 3. c. 9. expressè dicit: *si quis derelicto Ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit &c.* id quod Leo *Ep. 96.* paulo aliis verbis dicit: *prætermisso Sacerdotali judicio ad examen seculare transire.* Et hi sunt ipsi Canones, quos exemtioni suæ maximè favere putant Ecclesiastici, quorumq; quosdam legibus Imperatoriis, tanquam contrarios, committit & opponit Bellarm. *c. 34.* § 1. *contr: Barcl:* mirificè se torquens *in eod. cap.* ut ex his Canonibus exemtiionem sui ordinis deducat. Nam *in c. 9. conc. Cartag:* 3. apertè dicitur, *autoritatem eligendi judices undecunq; patere etiam Clericis:* Item constringitur Canon ad hunc casum; *Si crimen fuerit intentatum Clerico in Ecclesia, vel civilis causa fuerit commota.* Exceptio autem in uno, firmat regulam in reliquo: *l. si qui certa in pr. de jur: immun: l. cum ita 63.* § *videamus de cond. & demonstr. l. quæsitum 12.* § *Idem respondit de instruct. & instrum:* Cæterum hæc dissimulans Bellarmin. *apertè, ait, damnat Canon recursum ad judicia secularium magistratuum, quod facere non posset, si magistratus legitimi dices essent.*

Carth. 3. *Chalced.* *Constant.* *Antioch.* *Venet.*

Apertè verò corrumpit Bellarm. verba Canonis, qui non absolutè damnat recurrentes ad judicia secularia, sed qui *relicto Judicio Ecclesiastico*, post intentatam in Ecclesia litem, recurrunt. Interpretatio verò, ex alieno concilio, contra manifesta verba, ab ipsa verborum declaratione facilè meritoque rejicitur. Sed *nec rescindere sententiam judicis secularis posset Concilium*, inquit, Bellarm. *nisi exemtos putaret Clericos*. An verò ullum in verbis apparet vestigium, quod ad rescindendam sententiam trahi posset. Multatur, qui temerè prorupit extra forum Episcopi, fructu sententiæ in alieno foro latæ, propterea quia contemsit Ecclesiam: sententia ipsa non rescinditur: quin potius, si litigator locum suum in Ecclesia recuperare non curet, ne coërceri quidem hac pœna potest, quæ infligitur ob hanc causam, quod indignum se fraterno consortio judicet, qui eius judicium contemnit, ad secularia se proripiendo. Idem prorsus sensus est, *canonis 9. concil. Chalced: Ne Clericus adversus Clericum habens actionem, derelinquat proprium Episcopum, & ad secularia percurrat judicia, sed prius actionem ventilet apud proprium Episcopum, vel certè consilio eiusdem Episcopi, apud quos utraq; pars voluerint*. Bellarm. quasi frontem prorsus exuisset, Nusquam, ait, in toto Canone, vel apertè, vel obscurè, fit mentio judicij secularis, & expressè in hoc Canone dicitur, *ut Clerici ad secularia judicia non recurrant*. Imò expressè contrarium dicitur: *ut Clerici ad secularia judicia non percurrant*, (Nam de recursu verbum nullum) *derelicto proprio Episcopo: nisi ventilata prius actione apud Episcopum*: Unde sequitur, sublata conditione, cujus respectu litis intentatio prohibebatur, quod omnia recidant ad jus commune, quia etiam de Canonistarum sententia, Jus civile observatur, quantum à Canonibus non obrogatur: Propterea meritò Barcl. *c. 32. de pot. Pap.* Canonem hunc explicare debuit, per Novell. 83. Justiniani, & non per canones longè posteriores, quia jure communi statur, quam diu ipsi non obrogatur, posito tamen, quod Canones ipsi obrogare queant. Qua fronte igitur audet Bellarm. negare, mentionem hîc fieri judicij secularis, cum totidem verbis *in ipso can:* exprimatur. Nam, si vocabulum *Prius*, respicit proprium Episcopum, quatenus subjacet ejus sententia Metropolitano, & non seculari judicio, totus Canonis sensus invertitur, & absurditatibus quamplurimis implicatur. Prohibetur enim Clericus procurrere ad secularia judicia, non aliter, quàm si præterierit propriũ Episcopũ, id est, si prius actionem apud eum non intentarit, atq; ita sine ulla circuitione, vocabulum prius, subjicit Episcopi judicium, judicio magistratum, & non Metropolitani. Alias enim consequens non responderet Antecedenti, quasi dicatur: Nemo Clericorũ &c. deserat proprium Episcopum, & percurrat ad judicia secularia: sed prius actionem instituat apud Episcopum. Quo facto,

facto, colligit Bellarm. percurrendum esse ad Metropolitanum, cum tamen adversativa de iisdem terminis præmissis & non de novis intelligenda sit. Nec enim eadem pœnâ comprehendi debuit, qui Clericum trahit ad seculare judicium, & qui ad judicium Ecclesiasticum superius, præterito proximo inferiore. Denique universus Canon loquitur de uno tantùm casu, quando scil. Clericus negotium habet adversus Clericum: Nullum verò præjudicium creat Laico, si causam habeat contra Clericum, adeò, ut exemtio Universalis Clericorum, hinc nullo modo probari queat, quemadmodum & in cæteris Canonibus, non subtrahuntur potestati seculari, sed obligantur primùm subire arbitrium Ecclesiæ, prout verba Canonis 13. se habent in concil. Tol. 3. *Diuturna indisciplinatio & licentia inolita præsumptio, usq; adeò illicitis ausibus aditum patefecit, ut Clerici Conclericos suos, relicto Pontifice suo ad judicia publica pertrahant.* Convenit inter status Imperii Germanici, *part. 2. Ord. Cam. tit. 5.* ut, priusquam lis inter principes enata devolvatur ad Cameram, coram Electis ad eam audiendam principibus intimetur & ventiletur, quod vocant *privilegium primæ instantiæ*, Germani, die Außträge: Receptum quoq; est in multis ditionibus, ne causæ ad processum ordinarium admittantur, nisi prius tentata sit compositio per amicos: Interim tamen nec illo privilegio principes Imperio, aut jurisdictione Cameræ eximuntur, nec hac consuetudine subditi avelluntur à judiciis publicis, sed omnia prius bona cum pace experiri jubentur, quam ad lites devenniant, quod Clerici eò diligentius observare debent, quo probro majori iis vertitur in vulgus, si causas & vitam suam exponere cogantur coram judice seculari. Si enim his privilegiis prorsus eximerentur, nunquam licuisset Imperatoribus leges ferre, de rebus & personis Ecclesiasticis, quarum tamen plenus est *liber 1. C. & lib. τῶν νεαρῶν & capitulares Caroli M.* & Isidorus ait: *principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant*, de quo addit, eos rationem reddituros non Ecclesiæ, sed Deo. Nec obstat, quod Symmachus in concilio 3. irritum pronunciat statutum Basilii Cecinæ Patricii & præfecti Odoacri regis. *c. bene quidem dist. 96. c. Ecclesia S. Mariæ de consti.* eò quod Laurentius Episcopus Mediolanen. dicebat: *Non licuisse Laico statuere in Ecclesia* &c. Nam quia statuto adjectum erat Anathema & propositum tanquam Ecclesiasticum, quod Laico in Ecclesia non licebat, idcircò judicatum fuit, ait concilium, *non posse ullo modo inter statuta Ecclesiastica censeri*, & Maximus rogatus respondit: *Non potuisse Laicum sacerdoti anathema dicere.* Alioquin debuisset Papa eadem autoritate abrogare vim omnibus legibus Imperatoriis, quæ diriguntur vel ad res, vel ad personas Ecclesiasticas, *in C. Theod. tit. de Epis. & Cler. vel in Edicto Theodorici regis Gothorum*, quam tamen potestatem Symmachum eo tempore nec sibi sumere

ausum fuisse ex historiarum serie constat, nec vero potuisse, paulò post demonstrabitur.

CAPUT IV.

UTRUM BONA ECCLESIARUM ET CLERI TRANSEANT EXTRA JURISDICTIONEM REIpubl. & quantum ad intributiones obligentur.

SUMMARIA.

1. *Decimas non deberi Clero ex jure divino.*
2. *Deberi tamen sustentationem vitæ iis, qui sacris operantur, quod etiam Ethnici sciverunt.*
3. *Non esse cœnobia, & Ecclesias nimiū bonis mundanis onerandas.*
4. *Argenti & auri copiam corrumpere animos hominum.*
5. *Origo offerendi bona in Ecclesiam deducitur ex primitiva Ecclesia, & cui usui ea primitus deputata fuerint.*
6. *Politico magistratui semper liberum est disponere de rebus & bonis terrenis.*
7. *Cœnobia & Ecclesiæ nequeunt ditari in fraudem Respubl.*
8. *Idem probatur inductione plurimarum Rerumpubl.*
9. *Res, & bona, antequam transferantur ad Ecclesias, subjiciuntur legibus Respubl. quæ de iis pro utilitate publica disponit.*
10. *Ecclesiasticos sacris operantes excusatos esse à muneribus personalibus.*
11. *Sed nō à patrimonialibus ordinariis.*
12. *Solvuntur, quæ contra objici solent.*
13. *In quantum obligentur Ecclesiarum bona ad cōtributiones extraordinarias.*

Duplicia bona Clericorum.

OStendimus huc usq; personas Ecclesiasticorum subjectas esse jurisdictioni seculari, nisi in quantum benignitas Principum eas eximit: sequitur de bonis eorundem videamus, an in ea etiam magistratui jus competat. Duplicia autem ea sunt: *Temporalia & spiritualia*. Spiritualia interpretantur Canonistæ, quæ Clero dicunt deberi jure divino, in quorū numero ponunt *decimas, primitias, oblationes, &c. t. de decim.* Sed si velimus rem considerare paulò altius, videbimus, non posse magis hoc loco jus divinum probari, quàm probatum fuit supra de exemtione, id quod Theologorū nonnulli etiam viderunt, *ut Thomas* 2. 2 *q.* 87. *a.* 1. *q.* 1. *n.* 3. *quodl.* 2. *a.* 8. Alex. ab Ales. 3. *par. sum. q.* 51. *membr.* 6. *a.* 1. Soto *li.* 9. *de iust. & iur. q.* 4. *a* 1. quibus ex JCtis accedunt Vasq. *lib.* 2. *contr. Illust. c.* 89. Covarr. *lib.* 1. *var. resol c.* 17. Alex. Moneta *tr. de decimis c.* 1. *n.* 16. qui negant jure divino decimarū oblationem expressam aut præceptam esse. Nam, quod de veteri ceremoniali lege adducunt, qua decimæ imperabantur, & primitiæ omnium rerum usq; ad primogenitum hominis, *Levit.* 27. *Num.* 18. *Deut.* 14. in novo T. non obligat, nisi & decimas decimarum velimus summo sacerdoti dandas, ut eadem lege præcipitur: *Nū.* 18. Et si velimus eadem vi argumentandi uti, dicemus, Levitis non licebat possidere ullam possessionem, dictis locis, E. nec sacerdotibus licebit. Quem tamen errorem inter dogmata VVicleffi condemnant. Item ex decimis edebant & festum celebrabant Judæi, & quod su-

Decima nō debentur Clero ex jure divino.

pera-

peraret, Levitis relinquebatur. *Deut.* 17. Ergò qui unam partem legis vult servandam, eum etiam alteram servare oportet. Item Sacerdotibus in V.T. licebat ducere uxores. E. idem licet in novo. Non video quid possint ad hoc argumentum respondere Tyndar. *in tr. de decim.* & Rebuff. *in tr. de decim. quæst.*1. Quanquam omni conatu nitantur argumenta Theologorum solvere.

Itaq; pro probatione nihil iis restat, nisi nuda verba juris Canonici, quæ quam parum sint efficacia ad jus divinum efficiendum, supra tetigimus: *Vide c. paroch. c. cum non sit c. tua c. in aliquib. §. ult. de decimis. c.1 de decim. in 6. c. omnes decimæ.* 16 *q.*7. & alia loca, ex quibus id deducunt Archid. Anchar. Joh. Andr. Cardin. Francus *ad c.1. de decim. in 6. qui eam opinionem communem dicit,* & Innoc. *in c. ult. de paroch. contrarium sentientes pro hæreticis reputat.* Nihilominus ex causis, propter quas decimas Deus voluit dari, hoc elicimus, quod qui reb. suis operam dare nequeunt, dum sacris serviunt, ab iis sustentari debeant, quibus serviunt. Ità enim dicitur: *Lev.* 27. & *Deut.* 14. *Non enim aliam habent partem, nec possessionem tecum* &c. *Num.* 18. *Preciū erit pro ministerio, quo serviunt in domo Domini:* 1. *Cor.* 9. *c. exteris.* 12. *q.* 1. *c. cum secundum Apost. de preb. c. decimas. c. revertimini.* 16. *q.* 1. *c. nemo de consecr.* Thol. *in tr. de benef. c.* 3. & 4. id quod etiam naturali legi consentaneū est, quatenus certa mensura non præscribitur vel decimarum vel duodecimarum vel octavarum. Id enim nec ex rationibus legis divinæ, nec ex jure naturali sequitur, sed tantum, quod ministri Ecclesiæ sint honorificè sustentandi, quoniam operantes mercede sua digni sunt. *Matth.* 10. *Luc.* 10. 1. *Timoth.* 5. 1. *ad Corinth.* 9. *c. cum secundum de prabend. c.* 1. §. *his itaq;.* 13. *q.* 1 *c. ex his* 12. *q.* 1.

2. Merces debetur sacerdotibus.

Itaq; Ægyptii sacerdotibus cibaria ministrabant ex publicis horreis: *Gen.* 47. Apud Arabes Sabis Deus erat, cui decimas thuris, mensura, non pondere sacerdotes accipiebant. Plin. *lib.* 12. *c.* 14. Herculi quoq; datam decimam Varro autor est 5. *ling. Lat.* Plutarch. *in probl. Rom. c.* 17. Primitias frugum Cereri consecrare solebant tum Græci, ut Theocrit. *Idyll.* 7. tùm Romani, ut Ovid. *testatur* 10. *Metamorph.*

Ethnici obtulerūt primitias.

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa, quibus nivea velata corpora Vesta
Primitias frugum dant

Imò Romani nullas omnino novas fruges, aut vina degustabant, antequā sacerdotes primitias libassent, *ut scribit Plin. lib.* 18. *c.* 2. Unde Apul. *Apol.* 2. Æmilianum impietatis accusans, hoc inter cætera illi objecit, quod segetis aut vitis, aut gregis nullas Diis primitias impartiret: & Julianus Apostata voluit primitias in Galatia offerri: nam & Homerum probavisse Eumenium, hæc ipsa facientem. Hom. 14. *Odyss.* Tripart. *lib.* 6. *cap.* 29. Imo apud eundem Homerum, *lib.* 9. *Iliad.* Diana stomachatur contra Oeneum, quod

quod primitias ex agro sibi debitas non obtulisset. Concludamus igitur ex allatis rationibus, tantum deberi Ecclesiasticis, quantum sufficit ad familiæ sustentationem, ut sine impedimento divinis possint vacare officiis.

3. *Modus servandus in ditandis Ecclesiis.*

Quod verò ad bona temporalia, seu possessiones beneficiarias attinet, quibus præter necessitatem prçlatos ditatos videmus, in iis curandum, ne & Reipubl. damnum inferatur, & ipsis Clericis occasio prævaricandi, sacraque officia negligendi præbeatur. *Manuel Comnenus, cum Monachos possessionibus & negotiis turbatos & tranquillitate animi & Dei cultu excidere intelligeret, nullas vineas ijs, quos in Ponti faucibus instituerat, nullos agros, nullas possessiones, quas nec eorum professio admittit, assignavit, sed ex fisco tantum pendi jussit, quantum ad victum & cultum opus esset. Videtur nimirum immodicam cupiditatem struendi monasteria improbâsse, & exemplum posteris prodere voluisse, quo pacto templa condenda, & quæ vivendi ratio Eremitis pauperibus & à terrenis rebus se abstrahentibus proponenda sit. Tantum enim abfuit, ut eorum institutum laudaret, qui monasticam vitam professi & opibus affluunt, & multitudine curarum magis distrahuntur, quam ij, qui hujus vitæ delitiis occupantur, ut sanctionem Nicephori Phocæ fortissimi & cordatissimi Imperatoris olim abolitam de non augendis monasteriorum latifundiis, quasi postliminio revocârit, neque patrem, avum, cæterosque cognatos suos omnes, qui monasterijs amplissima prædia donârant, incusare destiterit, non quod de suis opibus Deo aliquid consecrâssent, sed quod rem bonam malè administrassent.* Hæc & plura alia Nicetas *lib.7.* qui paulò post subjungit, id factum propterea, *ut Monasticam sanctimoniam nutantem, ac humi ferè prostratam fulciret.* Nam vel Ethnicis fastus Episcoporum contemtum Christianorũ ingeneravit, sicut apud Marcell. *lib.27.* legimus, dum ait. *Ditantur oblationibus matronarum, proceduntque vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia regales superent mensas, qui esse poterant beati reverà, si magnitudine verbis despecta, quam vitijs opponunt, ad imitationem antistitum quorundam provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandiq; parcissima vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia perpetuò, numini verisque ejus cultoribus, ut puros commendant & verecundos.* Hoc est quod Ferrar. dicit: *in pract. Pap. tit.4 gl.7. nu.14. Heu miseri Imperatores & principes, qui vos servos Ecclesiæ facitis & mundum per Clericos infinitis modis usurpari videtis. Attendite quod dicit Hieronym. Invenire non possum scidisse Ecclesiam & de domo Domini populos seduxisse, præter eos, qui sacerdotes Deo positi fuerant. Isti autem vertuntur in laqueum tortuosum in omnibus locis ponentes scandalum. c. transferunt.* 24. q 3. Hieronymus *ad Micha.c.2.* scribit: *Annon confusio & ignominia est, Iesum crucifixum pauperem & esurientem factis & repletis corporibus prædicare, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre?*

Quid illum dicturum fuisse putemus, si Cardinalis VVolsæi palatium & sumtum, quo Regis major & superbior esse non potuisset, vidisset? Stovv. *in Henric.* 8. si Johannis 22. thesaurum, in quo repertum testatur Petracha, *vicies quinquies millena aureorum millia*, id est, ducentas quinquaginta tonnas auri. Aven. *lib. 7. Ann.* Iis nimirum objici debebat, quod Diocletianus Philosopho munerum vacationem poscenti responderat: *Professio & desiderium tuum inter se discrepant. Nam cum philosophum esse proponis, vinceris avaritia & rapacitate. l. professio de mu. patr.* Hi cum se omnia reliquisse profiteantur, omnia possident, & in mediis divitiis se ultro in paupertatem migrâsse jactitantur. Non ità de se sentiebat Sidonius Apollina. dum ait: *Obtinuit, ut portio nostra sit Dominus, atq; ut asscripti turmis contribulium Levitarum non remaneamus terreni, quibus terra non remanet, inchoemusque ut à seculi lucris, sic quoque à culpis peregrini simus.* Chrysost. *in Homil. 86. in cap. 26. Matth.* non tantum Levitarum exemplum producit, sed & Apostolorum. *Annon*, inquit, *poterant etiam tempore Apostolorum domus & agri ab Ecclesia possideri? Cujus igitur gratia vendentes pecuniam offerebant, quia id multò melius erat profectò*, &c. ubi prolixè invehitur in sacerdotes, quod propter agrorum, divitiarumque curam, res divinas segnius tractent, adeò ut Alphonsus de Castr. *lib. 6. verb. Ecclesia. hær. 3.* Exemplum Levitarum frustra afferat contra VVicleffum & Lutherum, quorum neuter possessiones Clericorum in universum damnavit, sed excessivum tantum luxum & regias divitias.

Sed exemplum Levitarum, quod multum ad propositum facit, latius explicat Severus Sulpit. *libr. 1. Sacr. hist. Levitis in sacerdotium assumtis, nulla portio data, quo liberius servirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legendumque ministris Ecclesiarum libenter ingesserim. Etenim præcepti hujus non solum immemores: sed etiam ignari mihi videntur: tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido, veluti tabes, incessit: inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntq; quæstui per omnia studunt.* Quid credis eum dicturum hac ætate? Profectò exclamaret cum Hieremia: *A majore usq; ad minorem omnes avaritiæ studunt, & à Propheta usq; ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* *Exemplũ Levitarum.*

4. Radicem hujus mali, qui velit inquirere, inveniet non prius in Ecclesiam effusam esse, quam cum mole suarum divitiarum cœpisset laborare. *Tholosa. lib. 13. de Repub. c. 17.* Qui enim divitias Asiaticas Romam inferri nolebat, quod populi timeret luxuriam, idem inter Clericos timere ob eandem causam potuisset: nec abs re dixit Alberi: *in l. benè à Zen. n. 24. C. quadr. præscr.* sive verum, sive falsum sit, in antiquis scripturis reperiri: Cum Constantinus Sylvestro donationem faceret, auditam esse vocem de cœlo: *Hoc die seminatum est venenum aspidum in Ecclesia*: quod & Vasq. refert *libr. 1. contror.*

trov. usu freq. c.6. nu.2. ex Salyceto *in Rubr. C. de verb. signif. Familiaris enim res est*, aitq; Beda *super Esther lib.1. humanum cor opibus, & libertate dissolvi* & Innocent. *de vilit. hum. condit. Dives in superfluitate resolvitur, & jactantia effrenatur, currit ad libitum & corruit ad illicitum, & fiunt instrumenta pœnarum, quæ fuerant oblectamenta culparum.* Unde Anaxander rogatus, cur Spartiani in Republica argentum non colligerent, respondit: *Ne custodes corrumperentur:* Nec sine causa Salomon deprecatur tàm summam paupertatem, quam maximas divitias, ne altero ad turpitudinem deprimatur, altero plus æquo extollatur. Proindè rem probè consideràsse videntur, qui Clericis possessiones interdixerunt. Nec enim Julianus tantum id fecit, qui *per paupertatem dicebat se monstrare Christianis faciliorem ad cœlum viam*, nec Nicephorus, Ecclesiastici ordinis Osor: *Nov. 4. libr. 1. juris orient. collect. per Bona fidium* nec Carolus Martellus, qui Ecclesiasticas opes ità dividere solebat Laicis, ut Episcopis & Abbatibus tantum superesset, quantum ad vitæ sustentationem necessarium erat, quod Carolus M. abrogavit. *l.1. cap. c.83. c. quia juxta & ibi notat: 12. q.2.* Nec Robertus & Hugo Franc. qui ex reditibus monasteriorum militem alebant: Aemil *libr. 3.* sed & Manuel Comnenus & multi alii Christiani principes, ut colligere licet ex Hieron. *Epist. ad Nepot.* quem putant loqui de lege Arcadii. *20. & 27 de sacros. Eccles. C. Theod.* Imo *in c. Episcopus 12. q.1. c. si privatum Ead. caus. & q.* Quicquid præter necessitatem superest, jubentur Clerici pauperibus distribuere, juxta illud Apostoli, *1. Timoth. 6.* ait concilium Antiochenum *cap. 22. Habentes victum & tegumentum, his contenti sumus.*

Clericis sæpe interdictũ possessionibus.

5. *Oblationes cui fini factæ in Ecclesia.*

In primitiva enim Ecclesia oblationes & legata, iis qui in Ecclesia serviebant, & pauperibus, dividebantur: *ut patet ex 12. q.1. c. gloria c. ult. 16. q.1.* Unde patrimonia pauperum, *c. quia juxta 16. q.1.* possessiones pauperum, *c. ult. 12. q.1.* & tributa egentium animarum vocantur. *c. decimæ. 16 q 1.* Et August ait: *serm. 219. de temp. Quanti Pauperes in locis, ubi quis habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni judicis apparebit, quia rem à Deo pauperibus delegatam suis usibus reservavit.* Item Ambros. *lib. 2. off. c. 28. Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, ut subveniat in necessitatibus.* Procedente tempore distributioni certa cœpit præfigi regula, ut oblata omnia dividerentur in 4. partes, quarum prima cederet pauperibus, secunda Clericis, tertia Episcopis, hospitalitatis exercendæ gratia, quarta ad ædificationem templi impenderetur. *c. ad hoc. 16. quæst. 1. c. præsulum. 16. quæst. 3. c. vobis. c. Vulterana c. concesso c. quatuor 12. q. 2. Videntes deniq; plus utilitatis posse conferre, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesiis traderent, eò quod ex sumtibus eorum tàm præsentibus, quam futuris temporibus plura & elegantiora ministrare possent, fidelibus, quam ex precio ipsorum, ceperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus Eccle-*

fi.

stast. tradere, & ex sumtibus eorum vivere. c. videntes 12. *quaest.* 1. Hæc totidem verbis scribit Urbanus *Epist. unic. cap.* 1. quem eundem refert Platina instituisse, ut prædia & agros sibi oblatos Ecclesiastici possint recipere, quod tamen inter Urbani decreta, quæ supersunt, non reperitur. Atque hoc modo vivebatur in primitiva Ecclesia, cum, ut dicebat Bonifacius Martyr, *aurei sacerdotes ligneis vasis uterentur. Nunc vero, ait, lignei sacerdotes utuntur vasis aureis. c. vasa dist.* 1. *de consecr. Quis enim sanctior Exuperio Tholosano*, ait Hieron. *in Ep. ad Rust. Monach. in pr. qui corpus & sanguinem Domini in vase vitreo & capella viminea consecravit, ut aurum & argentum distribueret pauperibus.* Allegat & probat Lyra *in cap.* 9. *lib.* 3. *Reg. in Moralitat. verb. & templum.* Nimirum innuere voluit, quod apud Sulpit. Sever. Episcopum Bituric. *Dial.* 1. legimus. *Non struitur Ecclesia auro, sed destruitur*, & Vasquius ait, *libr.* 1. *controvers. freq. c.* 6. *quò magis ditescit, eò magis periclitatur*, contrà quam in concilio Lateranensi 1515. legitur *sess.* 10 *sine bonis temporalibus spiritualia nequeūt diu subsistere. Aurum* etiam *& argentum in urbibus & privatim & in fanis invidiosa res est*, ait Cic. 2. *de ll.* in comm. legis: *Auri, argenti, eboris sacrandi modus esto.* Inter articulos V Vicleſi, *artic.* 32. damnatum fuit, quod dixisset *Clerum ditare esse contra regulam Christi.* Unde & Moses, *Exod.* 36 cum ad sanctuarium plus offerretur, quàm necessitas requirebat, edixit: *Nec vir, nec mulier plus offerat*: & Cassiodorus *in Tripart. libr.* 11. *cap.* 10. laudat Chrysanthum Episcopum Constantinopolitanum, quod ex reditibus Ecclesiasticis nihil pro se ceperit, nisi *duos panes die Dominico.* Propterea enim minitatur Propheta exitium domui Heli, quod conculcarent victimas filii ejus & saginarent de se primitiis sacrificii omnis populi Israel. 1. *Sam. cap.* 2.

Divitiæ nō ædificant Ecclesiā.

Cum igitur ad Ecclesiasticum officium tot possessiones non sint necessariæ, non est dicendus contra immunitatem Ecclesiasticam egisse, qui possessionum nimiæ magnitudini modum ponere voluerit. Vent. Vincent. *in cons. Venet. c.* 5. In concilio Lateran. 3. *can.* 4. quod Bellarm. ab Alexandro 3. ad reformationem Ecclesiæ indictum putat, statuitur, *ne Archiepiscopi in visitatione Ecclesiarum* 40. *aut* 50. *vehiculorum numerum excedant.* & additur ridicula ratio: *Cum Apostolus propriis manibus quæsierit victum, ne morosus esset Ecclesiis.* 1. *Cor.* 4. 2. *Corinth.* 11. *idcirco æquum est, ne Archiepiscopi eum numerum excedant.* Nimirum ità quoque Paulus visitavit Ecclesias, *Actor.* 14. 18. 20. Et Christus mittit discipulos sine pera, sine gladio. *Matth.* 10. *Petrus*, ait Bernhardus *libr.* 4. *consid. nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his & credidit posse impleri mandatum salutare. si amas me, pasce oves meas.* Imò, qui modum ponit nimio excessui bonorum Ecclesiasticorum, potius ea removet, quæ libertatem serviendi

Liberum debet esse politico magistratui disponere de bonis politicis.

6. *Nam apparatus ille.* viendi Deo impediebant. Quando enim circa res humanas disponit Respub. id est, ut interpretatur August. *in explicat. quarund. propos. Epist. ad Rom. circa res, quibus ad humanam vitam opus est*, disponit de rebus suis & non alienis. *Potestas terrena*, ait Hugo de S. Victo *de sacr. fid. libr. 2. part. 2. cap. 6. pertinet ad vitam terrenam, & omnia, quæ ad vitam terrenam spectant, subjecta sunt terrenæ potestati.* Et paulo post *cap. 7. De his autem bonis terrenis, quæ vel possident prælati in subjectis, vel subjecti à prælatis, quædam Ecclesiis Christi devotione fidelium concessa sunt possidenda, salvo tamen jure terrenæ potestatis. Sic enim rationabile est, & bonum, quia Deus nimirum pacis amator est, & nihil inordinatum approbare potest vera justitia. Spiritualis siquidem potestas non ideò possidet, ut terrenæ in suo jure præjudicium ferat, sicut ipsa terrena potestas, quod spirituali debetur, nunquam sine culpa suscipiet.* Philippus pulcher cum Bonifacius IIX. in Franciam universam jus sibi quæreret, conventu indicto Parisiis Pontifices rogavit primum, à quo suarum Ecclesiarum prædia proventusque accepisset, quibus respondentibus, *regio se jure istæc omnia tenere & tueri.* Ergò, inquit, *Bonifacius injuria vos, omneq; regnum etiam Francorum sibi subjicere laborat.* Guagni. Senatores regni Arragoniæ, cum Benedictus Papa Avenionensis suppetias ab rege contra Carolum V. peteret, consilium dederunt, ne Papæ litem suam faceret. *Oportere enim Clericos, si vitere velint, obedire Dominis, sub quibus reditus & divitias possideant, & sentire, unde beneficia acceperint sua.* Frossard. *libr. 4. cap. 98.* Atque hoc est, quod August. dicit *tract. 6. ad cap. 1. Iohan. Quo jure defendis villas Ecclesiæ? divino an humano? divinum jus in scripturis habemus: humanum in legibus regum. Unde quisque possidet, quod possidet, nonnè jure humano? Nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus. Pauperes & divites. Deus de uno limo fecit, & pauperes & divites una terra supportat. Iure tamen humano dicitur: hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est. Item dicis: Sed quid nobis & Imperatori? Sed jam dixi, de jure humano agitur, & tamen Apostolus voluit servire regibus, voluit honorari reges & dicit: Reges reveremini. Nolite dicere, quid mihi & regi? Quid tibi ergò & possessioni? Per jura regum possidentur possessiones. Dixisti: quid mihi & regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa jura humana renunciasti, quib. possidentur possessiones.* Iisdem verbis repulit Frideric. I legationem pontificis, qua vetabatur Episcopos Italiæ dominio sibi obstringere: *Si vos*, inquit, *libenter usurpatis, quid Episcopo cum rege? Ego quoque rogabo, quid Episcopo cum possessione?* Sigon. 12. *Ital. hist.* Et in alia Epistola: *Aut igitur regalia nostra nobis dimittant, aut si hæc utilia sibi judicaverint, quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari persolvant.* Naucl. *gen.* 39. Mutius *in Chron. Ger. lib.* 18 Et disputat illic August. contra Donatistas, qui villas sibi ereptas & Ecclesiæ Catholicæ attributas quærebant, quos redarguit, quia hoc est jus Imperatoris. Ivo Carnoten.

part.

part. 3. c. 194. c. Quo jure dist. 8. c. si qua causa § cum ergò 11. q. 1. Sic etiam Ambros. *lib. 1. Epist. 1. Non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere, quæ sunt mundi.* Qui enim mundanas captat divitias, eum oportet pati, ut Dominus mundanus in rebus suis dominetur. Sicut enim pacto quilibet rei suæ legem imponere potest, *per text. in l. si ità quis §. ea lege. ff. de verb. obligat. in l. fin. C. de pact. inter emt.* ità & Respub. facere potest, imprimis in acquirendis, ut docet Gail. *obser. 32. n. 9. l. 2.* ex Bald. *ad rubr. de constit. n. 10. ad c. Ecclesia S. Mariæ n. 21. eod.* Et usq; adeò omnia sua ab Imperatoribus receperunt olim Episcopi, ut ne locum quidem ædificandis Ecclesiis capere possent, nisi illorum beneficio. Nam Bonifacius IV. non ausus fuit templum Pantheon in sacros usus convertere, antequam id Phocas donasset, de quo Mantuan:

Bonis transferendis è Reb. potest princeps legem imponere.

Pantheon hoc templum, Phoca donante, recepit
Romulidum pastor Bonifacius.

Idq; docet Beda *in homiliis æstivalibus de sanctis. tom. 7. Legimus,* ait, *in Ecclesiasticis historiis, quod S. Bonifacius suis precibus à Phoca Cæsare impetrarat donari Ecclesiæ Christi templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon antea vocabatur.* Justinianus quoq; de non ædificandis templis aut monasteriis edicit, *Nov. 67.* sicut & August. *d. c. quo jure,* possessionum distributionem ad jus Imperatoris pertinere evincit ex eo, quia de illa re legimus constitutiones Imperatorum. *§. legimus d. c.* Nam Thomas ait: *opusc. 20 c. 13. Ad regis officium pertinet, si institutioni civitatis opera detur, locum & juri reddendo & sacris faciendis aptum deputare,* & de templo Judæorum Lyra, *Deuteronom. 17. in ver. surge* dicit: *AEdificatio non poterat fieri sine potestate regia, nec disponi absq; sacerdotali ordinatione. Si enim ius permittitur* ait Balsamon. *ad Can. 17. concil. Chalced. ea, quæ voluerint, de regionum finibus ordinare pro innovatis à se urbibus, multò magis, ut mihi videtur Episcopatus Metropolitum honore donabunt, eorum, qui præerunt, promotiones, & alia quædam pro ea, quam habent, potestate, designabunt,* inter quæ & templorum extructio, tanquam minus jus numerari debet. Si igitur in his rebus, quæ divinis usibus sine controversia applicantur, si de bonis pauperibus distribuendis valent edicta Imperatorum, quantò magis de supernumerariis Ecclesiarum vel Clericorum possessionibus. Supernumerarias voco, quæ præter ea, quæ à divino cultu absumuntur, supersunt.

Oportet enim Reipub. curæ esse, ne propter nimiam quorundam superstitionem, tota Respub. labefactetur, quod propter irregularitatem possessionum pluribus civitatibus accidisse Aristoteles testatur. *lib. 2. polit. c. 7.* Vnde & quibusdam gentibus legem fuisse tradit, *ibid. c. 5.* ne patrimonia vendere possent, alioquin ab uno quopiam coëmenda; quod de monasteriis & Ecclesiis se quoq; timuisse, Veneti responderunt Paulo V. ne scilicet ali-

7. Superstitioni quorundam jure lex poni potest.

cet aliquando omnia bona transirent ad Ecclesiasticos, quod Hieron. *ad Heliod. d. Epist.* 2: his verbis detestatur: *Sint ditiores Monachi, quàm seculares fuerant, possideant opes sub Christo, quas sub locuplete Diabolo non habuerant, & suspiret eos Ecclesia divites, quas tenuit mundus ante pauperes.* Facti veritatem nobis testabitur Ferrar. *in pract. Pap. in for. libell. quo agitur ex subjsit.* §. *ex suo corp. Imperatores,* ait, *concesserunt privilegium, ut bona ingredientium monasteria applicarentur ipsis monasteriis, propter quod privilegium multiplicata sunt & fundata monasteria infinita per universum orbem; olim caussa devotionis, licet hodie causa rapinæ & avaritiæ; in tantum quod destruxerunt hodie mundum & annihilaverunt statum imperij & omnium Laicorum. Possunt ergo dici meritò illa loca facta vel fienda retia contexta ad capiendum Laicorum bona.* Paul: Mont. *de jur. tut. c.* 23. *n.* 88. Interim stante hoc jure, quod bona, quæ ad Ecclesias transeunt, moriantur, nec possint ad temporalem dominum reverti, nec interim onera, muneraque debita præstent, non potest non Resp. valdè debilitari, cui tantum decedere necesse est, quantum Ecclesiæ accedit. Ecclesia verò non debet locupletari cum aliena jactura, ut dicit Ancharan. *conf.* 443. *n.* 7. Tantum enim favetur Ecclesiis & pietati, ut nemini injustitia fiat, *c. ex tenore de for. comp.* nec debet injuriarum occasio indè nasci, unde jura nasci solent. *l. meminerint. C. unde vi.* Qua de causa & Leo Imp. *Const.* 10. revocat servos monasterium invitis Dominis ingressos, quos vel Canones ipsi repellunt *c.* 1. *c.* 2. *de ser. non ordin.* nec admittunt ad ordinationem eos, qui ad ratiocinia aliis sunt obligati, ante libertatem negotiorum suorum, idque ne Ecclesia infametur. *c.* 1. *de oblig. ad ratioc.* Imperat. etiam retrahunt à monasteriis, qui se iis mancipant, & munera civitatum deserunt. *l. quidam ignavia C. de decurio. lib.* 12. cui consonat à plurib. regibus, Martello, Pipino, Carolo M. &c. repetita lex: *ne libero homini liceret se addicere monasterio, nisi consulto principe:* Beat. Rhenan. *lib.* 2. *rer. Germ.* idq; propterea, ne civiles functiones desererentur. Quinetiam bonum Reip. æquat Baldus bono Ecclesiæ, *con.* 396. *vol.* 3. *& gl. in l. fin. C. de sacros. Eccl.* quoniam Imperium & Ecclesia fraternizant quodammodo. *Auth, quomo. oport. Episc. in pr.* Bald. *In l. benè à Zen. n.* 10. *C. de quad. præscr.* Bart. *in pr. rubr. digest. veter. n.* 13. *in fi.* Ebberhar. *in Top. in lo. à Repub. ad Eccl. per l. fin: C. de sacros. Eccl.* § *finimus Auth. de non alie: aut perm. reb. Eccl. gl* & Johan de Platea *in l. Remp. in fi. C. de jur. Reip. lib.* 11 *gl. in l. Imper. ff. de re jud.* pariq; favore jura Ecclesiam & Remp. prosequuntur. Dec. *in c. Epistola n.* 68. *de constit.* quia Ecclesia sine Repub. tuta esse nequit. Ex quo fit, ut Respub. non prohibeatur uti templo pro propugnaculo, si utilitas Reip. ità exigat, ut vult Castr. *in l. nullus hæreticus n.* 6. *C. de sum. Trinit.* Jam v. dubium non est, quin graviter lædatur Respub. si bonis suis privetur, non tantum, quia eius interest, ut divites habeat subditos, *gl.*

in §

in § fin. Inst. de hu qui sunt sui vel alieni: in quo dicitur etiam fiscus gaudere, §. *primo, Auth. ut Iud. sine quoq; suffrag.* sed etiam, quia subditi sine bonis & facultatibus onera ferre non possunt, *l. ad subeunda C. de Decur.* Hinc in pluribus regnis non tantum statutum reperimus, ne monasterium ingredientes successione fruantur, Bald. *in l. fin. n. 6. C. de pact.* ne bona sua transferant in alienam jurisdictionem: sed etiam ne liceat Ecclesiæ bona immobilia admercari, aut legata retinere.

De jure Lusitaniæ testis est Molina *tr. 2. disp. 140. de just. & jur.* dum scribit: *de jure huius regni, neq; Ecclesiæ, neq; Monasteria emere possunt bona aliqua immobilia absq; regis facultate. Quod si vel successione vel donatione aliqua illis adveniant, tenentur ea alienare intra annum & diem.* Idem testatur Driedonius *lib. 1. part. 3. memb. 4. de lib. Christ.* & est lex expressa *in libro statu: Emanuel: lib. 2. t. 8.* ubi dicitur diu observata fuisse. Addit autem Dried. *l appositis causis mihi videretur statutum hujusmodi prodiisse, ex propria quadam intentione Christiani principis, ne paulatim plus justo accrescant, tùm immobilia bona, tùm etiam reditus Ecclesiarum & Monasteriorum in Laicorum detrimentum*, per quam rationem status Ecclesiæ idem sæpè petierunt à Carolo V. & Philippo eius filio 1523. 1532. 1548. 1579. 1582. & statutum esse in regno Valentiæ de bonis, quæ vocantur *di Realenco*, testatur Petrus Belluga *in Specul. princip. rubr. 14.* Eandem legem transtulit Carolus V. in regiones inferiores Belgii, ne scilicet Ecclesia possit amplius immobilia acquirere, Guicciard. *in script. Flad.* legiturq; ea lex, *Artic. 14. & 15.* vel potius more principum Burgundiorum antiquam legem, ab omni ævo in Belgio observatam, *ut* ait Guilielm. Benedict. *ad c. Raimutius in verb. & uxorem nomine n. 3. & 4 de test.* confirmavit. Et valet etiam in civitate & dominio Mediolanensi, quod Clericus, quandò vult acquirere, teneatur impetrare à senatu licentiam. Bosius *de pœn. n. 43.* Signorol. de Homod. *cons. 21. incip. statuto civitatis Mediola.* Id quod in Sicilia etiam constituit Fridericus II. Veneti legem similem legi Lusitaniæ nuper pertulerunt, nisi quod duos annos integros relinquunt pro alienatione, pro cujus æquitate multi multa disputarunt, & imprimis Fulgentius Brescia: *contra Bovium.* In Anglia & Scotia quid hodie observetur, cuivis notum est, sed & olim Eduardus 3. de ea re legem fecerat, quam Polydorus Virgil. ait repetitam ab Henrico V. & observatam fuisse usque ad sua, hoc est, Henrici tempora. Imò eadem lex jam continebatur *in magna charta c. 36. ne licitum esset Monachis prædia emere, aut Laicis eadem illis legare.* In Galliis *sine literis amortisationis*, nulli Ecclesiæ vel Monasterio vel Clerico licet prædia possidere. Ludovv. Cervin. *in lib. Vindic. secund. liberta: Gall. Gallofran: in l. de libert. Venet.* Papus *lib. 1. Rhapsod. Arrest. t. 4. & ad consuetud. Borbon.*

8. *Consuluntur ll. & consuetudines variarum Rerump.*

Borbon. §. 25. & 279. Joh. Faber. *ad l. quoties C. de rei vindic.* Extant leges de hoc rege *in C. d' Henri troſieſme lib.* 17. *c.* 8. In Vngaria ſtatuerat Andreas Rex, *ut ſervientes ſine hærede diſcedentes poſſent liberè ſtatuere de bonis ſuis*, quod Ludovvicus I. cum cæteras eius leges confirmaret, irritum fecit, *ne nobiles poſſint Eccleſiis, vel aliquibus aliis, quibus voluint, in vita, vel in morte dare & legare, poſſeſſiones ſuas vendere vel alienare, ſed in fratres proximos, & in generationes eorum poſſeſſiones earundem de jure & legitimè, purè & ſimpliciter absq; contradictione devolvantur. In decreto Ludovvici I. quo confirmat Bullam. And. II.* In Germaniæ quibuſdam locis, ait Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 32. *n.* 5. ſtatuta ſunt, *quibus Clericis prohibetur emtio rerum immobilium, aut etiam alienatio extra familiam, ſi ipſi poſſideant res immobiles patrimoniales*: item alia ſtatuta, *quibus prohibentur ſubditi in ſpecie alienare res immobiles in Eccleſiaſticas perſonas.* Tale ſtatutum jam in Saxonia ediderat Carolus M. ut teſtis eſt Bald. *conſ.* 174. qui & ſuper eius ratione multa notavit *in c. Eccl. S. Mariæ de conſtit.* & in Camera approbatum eſt, ut Clerici non poſſint in acquirendis alienare res immobiles extra familiam. Gail. *d. lo. n.* 7. Nam tantus eſt favor Reipub. ut ei cujusvis privati commoda, quamvis ſit Clericus, ut vult Bald. *ad d. c.* cedere debeant. *arg. l. 1. §. hac autem.* 14. *C. de caduc.*

Quod quis æquum judicat in ſua, idem judicare debet in aliena cauſa.

Quinetiam, quod quiſq; putat æquum eſſe in ſua, id etiam in aliena perſona ſervare debet, *l. ſi duo § ſi quis cum § ſeq. ff de jurejur. c. licet in fin. diſt.* 45 quod Alexander Sev. omnibus parietibus inſcribi voluit, Lamprid. *in Alex.* & eius ICtus tranſtulit. *in l. 1. ff. Quid quisq; jur.* Quis enim aſpernabitur idem jus ſibi dici, quod ipſe aliis dixit, vel dici fecit, ex quo Lucianus *in Necro.* concludit: *Divitum animas in lucem remittendas, aſinorum corpora ingredi debere, ut agitentur à pauperibus, perindè, ut ipſi quondam ſint agitati ab illis. Gloſ. in c. Elect. de major: & obed.* refert verſiculum hunc:

Quod tibi vis fieri, mihi fac, quod non, mihi noli,
Sic potes in terris vivere jure poli.

Vnde Bald. *in l. prima.* 10. *part. C. de his qui pœn.* jubet, *ut quis in alio non aliter judicet, quam in ſe judicari vellet.* Nemo enim poteſt petere plus in alio, quam ſit petiturus in ſe ipſo. *l. ratas C. de reſcind. vend.* Tiraq; *de utroq; retract. gl.* 13 *n.* 6. Et Ambroſius ait: *Epiſt. 1. contra Symmach. unusquisq; patienter ferat, ſi non extorqueatur Imperatori, quod moleſtè ferret, ſi ipſi extorquere cuperet Imperator.* Sed Eccleſia putavit æquum, ut nemo ſua bona poſſit alienare in Laicum ſine conſenſu ſuperioris. *tot. t. de bon. Eccl. non alienandis.* Ergo non poteſt repugnare Reip. ſi eodem jure utatur in rebus ſuis.

Bona terrena ſubſunt juriſdictioni terrenæ.

Res autem eſſe ſub dominio Reipub. ut de iis ſtatui poſſit ad ſalutem totius Reipub. in primis antequam transferantur ad Eccleſiam, extra controverſiam eſt. Sicut enim Clemens IIX. ædi Loretanæ prohibere potuit, ne plus reciperet, quod & Pius V. prohibuit Eccleſiaſticis, *nella terra del Boſco*,

del Bosco: quis impedire possit principem, quo minus vetet subditos legare, cum perindè sit horum Dominus, atq; Pontifex illorum. Absit enim putemus Reipub, pejorem esse conditionem, quàm hominis privati. Huic enim licet rei suæ legem ponere, ne transeat ad Ecclesiam, idque propter conservationem familiæ. *l. si ita quis § ea lege cum gl. ff. de V. O.* Johan. Andr. *gl. in c. quia nonnulli in not. in fin. de imm. Eccl. in 6.* Ergò quanto conservatio Reipub. magis necessaria est, quàm familiarum, & majestas plus habet autoritatis pro conservanda Reipub. salute, ut docet Hippol. § *aggrediar. à § 61. ad 74* etiam cum detrimento privato, tantò magis competet hoc jus Reipub. quam familiæ privatæ, aut si placeat Reipub. res pati transire ad Ecclesiam, saltem munera, quæ inde dependent, sibi reservare potest, quia alioquin Ecclesia ditesceret cum aliena jactura. Bald: *in l. placet. num. 4.* Iason: *ibid: n. 21. C. de sacros: Eccl.* & lex dicit: *temporaria permutatio jus provinciæ non innovat, l. 123. ff: de. R. I.* & dominium transfertur cum sua causa, *l. alienatio ff. de contra: emt.* atq; simul cum onere, *l. 8. l. fin. § Lucius de donat. l. si servitus. de servitut. prædior. inst l. & post litem § res quæ famil: ercisc: lib. 1. & l. fin. C. sine cens. vel reliq:* Panormit: *in c. fin: num. 12. de vit: & hon: Cler: ad c. non minus de immun: Eccles: c. 2. de cens:* Menoch *resp: 1. causa Finar: n. 31.* Hattman; *pract. for: lib. 2. c. 1. Miscell. obs: 20. per c. ex literis de pignor. l. si debitor. C. de distract. pignor:* quoniam nemo potest plus juris ad alium transferre, quàm ipse habet. *l. qui tabernas l. alienatio de contr: emt: l. si creditor. de distract. pign: l. observare: §. post hæc. de off. procon:* & lega: Gail: *d. loc: n. 9.*

Vnde djiudicari potest, an Alexander IV. *c. quia nonnulli de immun: Eccl: in 6.* rectè decreverit, *Ecclesiasticos in Francia non esse subjectos nullis exactionibus & talliis*, quod Bonifacius VIII. *in c. quamquam de cens: in 6.* extẽdit ad universos, & eximit Clericos *ab omnibus pedagijs, guidagiis & in genere ab omnibus impositionibus & tributis & oneribus*, de qua re ut veritatẽ cognoscamus, oportet repetere quod Vlpian: *l. rescripto. §. Sciendum. ff. de muner: & honor.* Intributiones duplices facit, in *personas & patrimonia*, & utrasq; vel *ordinarias*, quæ & *Canonicæ* dicuntur, *lib. 5. C. de sacros: Ecc:* vel *extraordinarias. l. honoribus de vac: mun: lib. 1. C. de vac. pub. mun.* 10. *Vtrum Clerici subjiciantur exactionibus.* *Duplices intributiones.*

Iam quod ad munera, quæ personaliter obeuntur, attinet, ab iis, jure excusantur, tùm ne dignitas sacerdotis confundatur, *ut dicitur l. nec honore, C. de Episc: & Cler: l. fin. C. de excus. mun: libr. 10.* tùm ne avocentur à functione sua, *l. generaliter C. de Episcop. & Cler. l. presbyteros. 2. eod.* tum etiam, quia sufficit, quod subeant spiritualia Castrens: *consil. 300. incipiente, In nomine Domini,* id quod Philippus tertius in Galliis etiam ordinavit hac lege: *Clerici, si conjugati non sunt in Francia, non contribuunt quidem in talijs cum Laicis, sed onera rerum agnoscunt.* Le corps du droict Francois *lib. 1. t. 2. l. 3.* Pap. *lib. 5. des Arrests. t. 11.* Guid. Pap. *cons. 32.* *Personalia munera non subeunt Clerici.*

I Patri-

II. *Sed patrimonialia ordinaria.* Patrimonialia autem, si sint ordinaria, Clerici defugere nequeunt, quia cum sint subditi & partes Reipub. ut supra abundè deduximus, non possunt se tributo eximere, *per c. si tributa c. Magnum. 11. q. 1. c. tributum, 23. q. 8.* Ludovv. Molin. *tr. 2. de just. disp. 31. conclus. 6.* quia hoc est signum subjectionis, *c. omnibus anima, de Cens.* & Paulus, *Rom. 13.* ut probaret omnes fideles esse subjectos potestati terrenæ: *ideò*, inquit, *& tributum præstatis*, quibus verbis simul docet tributum præstandum omnibus iis, ad quos scribit. Dicit autem *c. 1.* se scribere ad omnes sanctos, & per conf. etiam ad Clericos, idque ratione subjectionis. Nam & Christus, cum vidisset imaginem Cæsaris, Ergò ait, *date Cæsari*, quia imago indicabat Dominum, cui tributum debetur. Absurdum enim sit, pro membro Reipub. se venditare in favorabilibus: In iis autem, quæ ad conservandam Rempub. contribui debent, extranei locum velle subire, Sebastia. Medic. *tr. d. ll. & statut. part. 4. q. 6. n. 5.* cum ferendum esse leges negent, ut qui lucrum amplectitur, onus subire recuset. *l. unic. § pro secundo de Caduc. toll. l. fin. § sed cum C. de furt. cum Concord.* Eduardus I. Anglorum Rex, cum Ecclesiastici unà cum cæteris statibus tribuere recusarent, iis quoque justitiam & jura, quibus subditi fruuntur, subtraxit, ita ut accusationes illorum nullibi admitterentur, quas, contra Laicos intenderent. Helinsho. *in Edu. I.* Noluit enim magistratus pro iis vigilare, quia non tantum ad eorum sustentationem nihil conferebant, sed etiam, quia insuper Reipub. nervos subtrahebant. Impossibile enim est, sacris tributis non illatis Rempub. subsistere. *§ ac sane. Nov. 149.* Atqui subtrahuntur tributa ab iis, qui ex bonis, unde convenit, ea soluere recusant. An hi magis exemti esse volunt, quam Christus ipse, qui didrachmum persolvit? *Matth. 17. Si enim filius Dei solvit, quis tu tantus es, qui non putes solvendum? c. Magnum quidem. 11. q. 1.* Quid mirum, *si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ brevitate se subjicit, quando hanc mediator Dei & hominum tenuit & tenendam præcepit: & cum obedientes remunerat, non relinquit? c. Quid ergo 11. q. 3.* Non enim se liberum & exemtum pronunciavit, quatenus Clericũ aut Doctorem, sed quatenus *filium regis*, ut explicat August. *lib. 1. Evang. qq. q. 23.* quod, quamquam alii de Davide interpretantur, tamen quia sceptrum jam erat ablatum, & Christus agnoscebat potentiam Romanorum supra universam Judæam, hoc nomine excusare non potuisset? Igitur adjungit: sed *ne præbeatur scandalum*, id est, ne, si me, tanquam filium Dei eximere velim, scandalum illis præbeam, *vade ad mare* &c.

Damnatus fuit olim Marsilius Patavinus cum Iohanne de Gandavo, ut scribit Cardinal. à turre crem. *lib. 4. de Eccles. c. 37. part. 2.* & Bernh. Luzenburg. *in Catal. Heret.* post Wiclefum & Hussum *in concil. Constant. sess. 8. & 15.* Ludovv. Molin, *tr. 2. de just. disp. 31. concl. 2.* Albert. Pigh. *lib. 5.* Hie-

Hierarch. Eccles. ex constitutionibus Johannis XXII. quod disputâsset, Christum solvisse didrachmum, necessitate obligationis. Nam Christus manifestè se liberum evincit. *Gigas in tr. de crim. læs. maj. q. 36. n. 12.* sed quod peculiare, & proprium erat in Christo, non potest trahi ad eos, quorum causa & conditio diversa est, quiq; exemtioni suæ nullam aliam prætexere causam possunt, quàm liberalitatem principum vel etiam conniventiam.

Nec obstat replica Bellarm. *c. 3. contr. Barcl.* Quod *si filius regis immunis est à tributo, & obligatione erga principes, etiam qui sunt de familia Christi & nominatim Petrus, liberi censeri debeant.* Nam nimis crasso errore confundit Bellarm. solutionem didrachmi, cum obedientia principibus in universum debita, & infert, Apostolos liberatos fuisse ab obligatione principum, quia Christus Petrum dixit non teneri ad didrachmum solvendum, quasi qui non pendat vectigalia, statim immunis sit ab omni jurisdictione, cum etiam filii regum, etiamsi tributa non pendant, tamen regi dicto obedientes esse cogantur. Deinde, si ex hoc dicto liberi sunt à tributis, qui sunt de familia filiorum regis, & per c. Petrus, multò magis omnis filii regis erunt liberi. Atqui filius Dei dedit potestatem filiis Dei fieri, quotquot in se crederent. *Ioh.* 1. Porrò familia Christi consistit in domo & Rep. Spirituali, & ea ratione à potestate Laica, nemo cogitur tributa solvere: sed præter hoc, qui sunt de familia Christi, versantur in Republ. terrena, cujus protectione & sollicitudine in terris tuti vivunt, ideoque quatenus membra hujus civitatis, nequeunt se iis subtrahere, quæ ad conservandum totum attinent. Denique si exemplum Christi imitari velint Pontifices, etiamsi exemtos se demonstrare possent, tamen solvere deberent, ad scandalum evitandum, quia Christus solvit, licet se non teneri diceret, propterea, quod esset filius regis. Sed hanc exemtionis causam, credo, Pontificii pro Petro & suo cœtu non allegabunt, ideoque reliquis mortalibus liberiores se facere non possunt, nisi quantùm liberalitas aut conniventia principum, conditionem illorum meliorem fecit.

Expressa enim lex est. *l. nullus C. de decurio: lib.* 10. quòd à debitis muneribus nemo excusetur & *l. placet C. de sacros. Eccles.* quando Clerici extraordinariis tantum liberantur contributionibus, ad ordinarias ergò obligantur. Nec Authentica Friderici II. Cassa. *C. de sacros. Eccl.* & auth. *item nulla C. de Epis. & Cler.* aliter quam per Imperatorias sanctiones, ad quas respicit d. auth. *Cassa*, interpretari debet: tùm etiam non extenditur ultra Italiam, ut expresè cavetur: & recipit limitationem, ex mente legislatoris, qui per privilegium non præsumitur se voluisse jure suo spoliare, nec unius ordinis exemtione reliquos deprime, sicut Theodosius, Ecclesiæ Thessalonicensi capitationem remittens, non vult ad alias Ecclesias

 bene-

beneficium extendi debere, ne extraneorum gravamine tributorum Resp. Ecclesiastici nominis lædatur. *l. id ab una quaq. 12. C. de anno. & trib. lib.* 10. Quò enim pluribus datur immunitas, eò Respub. magis gravatur. *l. Actores in fi. C. de exactio: tribut. lib. 10. l. 1. C. de collegiat: lib. 11. l. 2. de priv. domus August. Eod.* Paris *cons.* 70. *incip. Inhærendo. num.* 14. Cravett. *cons.* 945. *incip. Dominus Blasius, num.* 3. *& seqq.* Ne dicam interim, quod ab Honorio III. post longas concertationes vi expressa fuerit, & novissimo jure per recessus imperii, *Ann.* 1594. 1598. 1603. ubi etiam Clerici ad collationes obligantur, antiquata. Thomig: *de collect: § nescienter. n.* 8. Waremund. ab Erenb. *de subs. reg. & oner. subd. cap.* 12. *num.* 2.

Argumenta contraria solvuntur. Nec obstat, quod Artaxerxes jubet ministros templi liberos esse à vectigalibus & tributis 1. *Esdr. c.* 7. quia quod ex indulgentia peculiari alicui conceditur, non potest trahi ad consequentiam, imprimis, si rogationibus alicujus sit elaboratum, sicut de Artaxerxe dicitur; *concessit omnia ad petitionem Esdræ.* Nec item, quod Joseph reliquerit terras sacerdotum Ægypti immunes à quinta parte redituum, quam universa Ægyptus regi solvebat. *Gen.* 47. Nam absit, dicamus Josephum hujus privilegii autorem, quem certum est, Idololatriam tantoperè promotam non cupiisse, nec id textus dicit, sed ex ordinatione Pharaonis eum ità concessisse. Non potuit autem terras Pharao sacerdotum eodem onere gravare, quo gravabat terras reliquorum subditorum, quippè quas Joseph coëmerat, & ex gratia reddebat, reservata fisco tantum quinta bonorum parte, in recognitionem, quod à manu regis, tanquam dona, eas recepissent. Sed Sacerdotum terras, quæ publicæ erant, & ex liberalitate regis dependebant, cum non coëmisset, nec idem jus in eas inducere potuit. Quicquid sit, Ethnicorum superstitio non debet Christianis legem vel jus divinum facere, nec ab ipsis Sacerdotibus immunitas hæc fuit inducta, sed beneficio principum concessa, in quorum manu contendimus, repositum esse, quos à tributo liberare velint, & quos non, sicut & Imperatores Romanos & non Episcopos primitus de hac re constituisse discimus. *ex t. de Epis. & Cler.* Et notanda est ratio Constantini M. *l. 2. in pr. C. de Episc. & Cler.* quare exactionem iniquam & conventionem munerum sordidorum à Clericis repellit. *Si quid enim* ait, *vel parsimonia, vel provisione, vel mercatura, (honestati tamen conscia) congesserint, id in usum pauperum atq; egentium ministrari oportet ad id, quod ex eorundem ergasteriis vel tabernis conquiri potuit vel colligi, collectum id religionis existiment lucrum.* Non enim vult eos exemtos esse tributis, ut inde ditescant, sed ut, quod alii regi ipsi pauperibus elargiantur. Cessante autem causa privilegi, ipsum privilegium, quod in causam latum erat, evanescit. Ita enim disputat Ioas Rex cum Jojada Pontifice: *quare sartum tectum non instauratis*

tem-

templum,in quem finem pecunia vobis conceditur? Nolite igitur amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum,sed ad instaurationem templi reddite eam. lib. 4. *Reg.c.* 12. Et loquitur quidē Constantinus de isto ordine Clericorum, qui possessionibus non abundant,à quibus exigi non potest,quod non habent. *Non oportet*,ait Halycar.*lib.*4.*eos pecunias conferre, qui,unde illas conferunt, nō habent ,quiq; rerum ad victum quotidianum necessariarum inopia laborant,* & ut Symmach. *libr.*10. *Epist.* 54. de Vestalibus, ait: *paupertate à dispendio tuti sunt.* Unde mirum non est,quod Galli tributa Druydibus remiserint,Cæs. 6 *bell. Gall* quia & ipsi nihil possidebant. In his enim valet ratio Castrensis *consil.*300. *incipiente: In nomine Domini*,quia ab oneribus corporalibus eos excusat,qua sufficit,quod subeant spiritualia. Sic enim & Symmachus pro immunitate Senatorum argumentatur:*lib.* 5.*Epist. Quadragesimæ portorium non rectè poscitur a Senatoribus candidatus, quia nostri ordinis functiones onerari geminis incommodis non oportet.*Sed eos,qui prædia possident,non solum statuit Constantinus aliena juga non excusare , sed etiam pro suis prædiis ad pensitanda fiscalia vult perurgeri. *Universos namq; Clericos possessores*,ait,*principales pensitationes fiscalium, translationesq; faciendas recognoscere jubemus. l. de his Clericis* 3. *C. de Episc. & Cler.*Et Urbanus Papa ipse dicit, *De exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace & quiete: quia nos tueri & defensare debent, Imperatoribus persolvendum est. c. tributum*,23.*q.* 8. Nec verò à muneribus, quæ possessionibus indicuntur, ulla privilegia excusant, *l. ab his muneribus l. sunt munera. De vacat.& Excus.muner.*imò nec officium pontificis,*l.fin.*§ *patrimonior.de muner. & honor.* ubi gl.*in verb. Pontifex* rationē notabilem addit. *Ergo* inquit, *neque Clericus neq; Ecclesia immunes sunt, ab his muneribus & collectis patrimonialibus, quia, ut prædia possideant, à lege humana est.* Atque hæc sunt statuta primi Ecclesiasticæ immunitatis fundatoris : alter ejusdem restaurator Carolus M.ad angarias, parangarias, aliaque, quæ regalis expeditio requirit,vel ipsas Ecclesias teneri statuit.*In Capitul.*

Aliter de pauperibus: aliter de divitibus Clericis statuendum.

Atque ut de extraordinariis quoque intributionibus videamus, ab his Clericos exemerunt Honorius & Theodos.*l.placet. C. de sacros. Eccles.* & Carus.*l.Sacrosancta. Cod.eod.* Noluerunt enim bona Ecclesiarum libidini principum subjicere, ne pauperibus alimenta desint, *l. privilegia. C. eod.* & divina officia minus commodē obeantur. Sed in his constitutionibus,casus necessitatis & utilitatis publicæ semper præsupponitur reservatus, ut notant Pap *libr.*5.*des Arrests.t.*11.& Guid. Pap. *cons.*32. Tholosan. *lib.*3.*de Repub.cap.*7.*In omnibus enim causis cupimus observari,ut generaliter,si quid hujusmodi contra jus vel utilitatem publicam in quolibet negotio proferatur, non valeat*,ajunt Theod.& Valent.*l.Jubemus C.de sacros. Eccles.* & Hugo. de S.Vict. *lib.*2 *de sacr.fid.part.*2.*c.*7 dicit: *Nunquam possessiones à Regia potestate ità elongari possunt, quin si ratio postulaverit & necessitas, & illis ipsa potestas debeat patroci-*

13. *Onera extraordinaria.*

Excipitur casus necessitatis.

trocinium, & illi ipsæ possessiones debeant in necessitate obsequium. Ità legimus apud Romanos senes & sacerdotes perpetuam militiæ vacationem habuisse, nisi ingruente Gallici belli metu, Plut. *in Camil.* Appian. *lib. 2. bell. civil.* & Sacerdotes nequicquam appellarunt tribunos, frustraq; allegarunt privilegia Numæ, cum à quæstoribus Urbanis Q. Fabio, Labeone & L. Aurelio ad pensionem bellicam contribuere cogerentur. Liv. *lib. 33.* Quin & Ezechias abstulit omne argentum domus Dei, usq; ad valvas & laminas aureas, easq; necessitate ita requirente, tradidit Assyrio. 4. *Reg.* 8. Et Bonifacius ipse confessus est, suis constitutionibus Regi Francorum non esse ademtam facultatem, etiam inscio Pontifice, collationem Ecclesiasticis imperãdi, quoties pro aris & focis pugnandum esset. Ferald. *in tractat. de reg. Franc.* Guil. Benedict. *in c. Rav. in verb. & uxorem. n. 136. de testam.* Inveniturq; hæc bulla Bonifacii *in lib. lilior.* cujus prætextu Francisc. I. etiam inconsulto pontifice petiit subsidium ab Ecclesiis Gallicanis. Bellai. *hist.* Nec Greg. IX. ab excubiis & munerum custodia, quẽquam prætextu muneris Ecclesiastici excusari voluit, *c. 2. de imm. Eccl.* quod Panormit. & gl. *ad d. c. 2.* de casu necessitatis exponunt, (quanquam idem Panorm. alibi *in consi.* id aliter interpretatur, scilicet de servis Ecclesiarum, de quibus in *c. Eccles. servos. 12. q. 2.* & Tholos. *lib. 5. de Rep. c.* 7 de eorum subditis.) Quod enim omnes tangit, ab omnibus præcaveri debet, *in not. gl. ad d. c. 2. Clement. 1. de Cens.* & periculosum est, velle sinere perforari navem, in qua ipse veharis. Et ità videmus Ecclesias non excusari ab angariis & parangariis, vel plaustris, vel alio munere præstando, quando imperiale numen in expeditione est, *l. nemine C. de sacros. Eccl. l. nullus. C. de cur. pub. c. Ecclesiarum. 11. q. 2.* nec à præstanda nave ad embolam, *l. jubemus C. de sacros. Eccl.* nec à refectione pontiũ, *l. ad instructiones. t. eod.* aut canalium, murorum, portuum, *l. ad portus C. de oper. publ. l. hac providentiß. C. de quib. muner. l. absit. 4. C. de privil. dom.* & ità legi judicatum 1550. contra Clericos Bituricenses, Pap. *lib. 5. Arrest. t. 11.* & contra Lugdunenses 1368. quod teneantur ad reficiendos muros, *Gl. corp Gall. lib. 1. t. 2. ad l. 3.* Et est opinio Jac. Butr. *ad l. ad instruct. C de sacros. Eccl.* Ferr. *in prax. Pap. t. 2. gl. 9. nu. 57.* Pett. Jacob. *in Append. rub. 20. n. 1.* si fiat sc. non ad ornatum, sed ad necessitatem. Nõ enim magis pium est Reip. succurrere, quam pauperib. quorum gratia tributum olim erat Clericis remissum, *l. omnes, C. de Episc. & Cler.* & quib. Clerici tenebantur, quicquid super erat, bonorum distribuere. *l. privilegia. §. 2. C. de sacros. Eccles. c. aurum. 12. q. 2.* quomodo Ambrosius dicit: *Epist. 33. omnia quæ sunt mea, pauperum sunt: c. convenior. 23. q. 8.* quoniam in Rep. includuntur pauperes, & sine ejus incolumitate servari non possunt. Vide Natt. *cons. 280. n. 6. ibi tertius casus. cons. 311. n. 4. & 5.* Vasq. *de success. ab intest. lib. 3. limit. 7. n. 180.* Festasi. *de æstim. part. 4. q. 1. n. 4. & 33.* Comes Osascus *decis. Pedemon. 68. n. 4.* Viv. *lib. 2. com. op. 42.* Villalob. *in verb. Eccles.* Soarez *in lit. C. n. 135.*

CAPUT V.

DE JURE ROMANI PONTIFICIS IN REGNA ET PRINCIPATUS.

SUMMARIA.

1. *Quam latè Pontificij extendant potestatem Papæ.*
2. *Defenditur dictum Tertulliani, supra Imperatorem superius nihil agnoscentis, contra Bellarminum.*
3. *Principes secundum Pontificios sunt deteriore loco, quàm vasalli aut subditi privati.*
4. *Defenditur dictum & sententia Gregorij Turonensis.*
5. *Explicatur & defenditur tam factū, quàm dictum Ambrosij.*
6. *Principes nunquam exui possunt, aut exuti sunt ditionibus suis a Papa, sine scandalo & detrimento Ecclesiæ.*
7. *Declaratur similitudo animæ & corporis, quibus comparat Nazianzen. Ecclesiam & Politiam, & subruitur fundamentum Bellarmini, quod hinc adificat.*
8. *Satisfit autoritatibus & fundamentis, quæ ducit Bellar. ex eo, quod hæreticos vitari jubeat Cyprianus & Irenæus.*
9. *Refutatur & explicatur testimoniū Gregorij M. à Bellarm. allatum.*
10. *Autoritas Ottonis Frisingensis retorquetur in Bellarminum, & respondetur objectioni ex Bernhardo.*
11. *Examinatur & confertur sententia Thomæ Aquinatis de potestate Pontificis.*
12. *Quantum valeant in præsenti negotio testimonia Gregorij 7.*
13. *Autoribus Bellarmini opponuntur alij non minoris autoritatis.*
14. *Proponitur summa sententiæ Pontificiorum de omnipotentia Papæ.*
15. *Argumenta & probationes hujus sententiæ.*
16. *Potissimum argumentū ex vicariatu retorquetur in autores.*
17. *Idem Arg. particulatim ad limam revocatur & examinatur, una cum aliis quæ proposita fuerunt.*
18. *Proponitur effugium Bellarm. de potestate directa & indirecta.*
19. *Indirecta potestas adversatur ipsorum Pontificum decretis, & plus quàm mediam partem potestatis Pontificiæ absumit.*
20. *Non magis indirectam, quàm directā Pontificis potestatem probari posse ex sacris literis: & respondetur simul ad dictum Matth. 16.*
21. *Respondetur ad argumentum, quo potestatem Apostolicam tempor. probat Bellarm. ex 1. Cor. 9.*
22. *Expugnatur defensio Bellarmini supra jussum Apostoli, 1. Cor. 6.*
23. *Consideratur locus potissimus ex Iohan. ult. & demonstratur, Bellarminum transilire leges similitudinis seu comparationis.*
24. *Quantum intersit inter pastores oviū & Ecclesiæ: Lupos & Hæreticos: Arietes & perversos principes: Oves brutas & rationales, ex quibus tota vis argumenti à simili deducti subvertitur.*
25. *Reprobatur prima ratio Bellar. ex cura pastoris contra Lupos deducta.*
26. *Papa non potest hæreticos aut degeneres principes temporali pœna coercere.*
27. *Repudiatur secunda ratio ex officio pastoris circa Arietes.*
28. *Diluitur tertia ratio deprompta ab Ovibus.*
29. *Iterum impugnatur indirecta potestas Pontificis novis argumentis.*
30. *Redarguitur exemplum ab Ozia lepra percussum.*
31. *Item aliud exemplum ab Athalia abdicatione tractum.*
32. *Iugulatur opinio Bellarmini propriis argumentis.*

Satis

Satis igitur demonstratum est, Ecclesiasticos inter subjectos & partes Reip. omninò reponendos esse, licet ab oneribus quibusdam, viliotibus suppliciis, & foro vulgi per privilegia (ut expressis terminis loquitur Constantinus *l.1. & 2.C.Theod.de Episc. & Cler.*) Principum liberentur, secundum quod Reip. conducere videtur: quæ disputatio licet generalis sit & ipsum quoq; summum Pontificem pari jure complectatur, quemadmodum in veteri testamento usu receptum fuisse, supra demonstravimus, & Gregorius ipse Papa confitetur, ad Mauritium Imp. scribens, *lib.4. Ep.75.* quæ verba ex metu prolata, aut ut adularetur Imperatori scribit Bellarm. *c.15.contr.Barcl.* quasi præ timore, Ecclesiæ jura beatus vir prodigere, aut errore adulatorio injustam Tyrannidem per assensum & doctrinam suam confirmare voluisset: Tamen, quia Pontifex Rom. non tantum negat se ulli mortalium obedientiam debere, sed se quoque principem principum & Dominum mundi facit sub titulo servi servorum, ordo instituti nostri exigit, ut in fundamenta, quibus tantum dominium superstruitur diligentius inquiramus. Quamvis enim dicente Joh. Fabro *in præf. instit.* Papa *in verbis se dicit servum servorum, de facto tamen se adorari permittit,* & Regiam potestatem usurpat, ut ait gl. *in c.quoties.1.q.7.*

1\. *Papa sub titulo servi servorũ est Dominus dominantium.*

Roma tibi quondam suberant Domini Dominorum,
Servorum servi nunc tibi sunt Domini.

Ipse Gerochus acerrimus Hildebrãdinæ sectæ contra Henricum Imp. propugnator, si Aventino credimus, in fine narrationis addit: *Romani sibi usurpant divinum honorem, rationem actorum reddere nolunt, nec sibi dici æquo animo ferunt: Cur ita faciũt? Illud Satyricum inculcant,*

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Quam sententiam licet traducat Gretser. *in præf. ed. Ger.* injuria tamen reprehendit Aventinum, tum quod sententiam prorsus in sensu similem ex Gerocho producat, tum quod ipse confiteatur, sibi de operibus Gerochi, quæ Aventino potuerunt esse lecta, non prorsus constare. Nec nos tam moramur, quis dixerit, quam quid dictum fuerit, imò quid ab ipsis Pontificibus actum. Ipse enim Bellarm. *c.12.contr.Barcl.* cum potestatem Pontificiam non satis dilucidè probatam adverteret *ex c.16. Matth. & c.21. Ioh. ad praxin & experientiam* provocat, ut inde evincat, Pontificum in regna & principatus dominium. Esse enim Papam *super omnes, & consequenter etiam supra Imperatorem,* gl. docet. *in c.per venerabilem. verb.superiorem. Qui fil. sint legit.* id quod uno ore ordo Ecclesiasticorum Romanensium, exceptis iis, quos audaciores reddidit amor veri, quam Tyrannis Papæ eò tempore sinebat, aut quam lucri cupido, adulationis comes, suadebat, passim inculcat, adeo ut frustra laborem insumat Bellarm. *in præf. contr. Barcl.* dum domesticis testimoniis suam sententiam confirmare aggreditur. Multitudo

Frustra pugnat Bellar. autoritatib.

enim

enim errantium non parit errori patrocinium, & cum plurimos recensuerit pro potestate Pontificis, nullum tamen laudare potest ex incorruptis patribus, nullum Canonem ex antiquis conciliis, nullum decretum ex scriniis piorum Pontificum, nullum privilegium ex aulis Imperatorum aut Regum, dum nobis interim facili negotio licet demonstrare quod sanctissimi patres, principes summos seculares soli Dei judicio reservari dixerint, quod ipsi Imperatoribus se subjecerint, concilia de eorum sententiis convocarint, & direxerint, quod omni tempore, etiam cum illi reliqui à Bellarm. adducti, potestatem Pontificiam ultra quam credi posset efferre laborarent, inventi sint, qui se iis opponerent, & majestatem principum sartam tectam conservare anniterentur, non tantum ex adulatoribus Aulicis, ut Haiminsf. *respondet Gretserus in Indic. err.* sed ex ordine ipso Ecclesiastico, & quidem non minus eruditione, autoritate & nominis claritate conspicuis, quam quos nobis pro oraculis adorandos obtrusit Bellarm.

Conspicuè enim Tertull. *in Apol. contr. gent. & ad Scap. Imperatorem*, dicit, *à Deo secundum, super omnes homines, soli Deo subjectum, solo Deo minorem*, quibus verbis aliam glossam aspergere nescivit Bellarm. *cap. 8. contr. Barcl.* quam quod Tertull. loquatur de Imperatoribus *Ethnicis*, qui quia Christo nondum *sceptra subjecerant*, *secundi* meritò habebantur *à Deo* in administratione rerum temporalium, *de facto*. Cæterum ne erret Bellar. etiam Davidem nullius imperio vel legibus fuisse subjectum, eò quod rex erat, profitentur Hieron. *in Epist. ad Rustic.* & Ambros. *in Apol. Dav. c. 4. & 10.* Commodùm autem affero hoc exemplum, cum ipse Bellarm. *ibid. § 2.* ex regum & sacerdotum veteris testamenti factis & jure argumenta trahens, Athaliam afferat, à regno dejectam per sacerdotem. Esto, dejecta sit Athalia à regno, at non dejecta fuit à sacerdote solo, sed ab universo populo, qui in autoritate sacerdotis acquiescebat. Nec enim Brutus sua potestate ejecit Reges Rom. licet ducem & autorem ejicienti populo se præbuerit. Sed ut jus quoq; populi ex eo exemplo deduci non posse videat Bellarm. considerari volumus ab eo Athaliam, mulierem, peregrinam, Tyrannum in titulo, quæque legitimo hæredi, per vim invasum imperium præripuerat. Liceatne verò idem rebellibus subditis tentare in legitimum principem, cui jurejurando fidem confirmarint, quod licet in usurpatorem violentum, & planissimum Tyrannum? Aut quid audio, Omnes Ethnicos Imperatores, præfuisse de facto? Siccine igitur Christus jubet nos Tyrannis vectigalia & tributa, quæ ipsis deberi dicit tradere? siccine suo præcepto illegitimos Tyrannos in solio confirmat, quibus certum excidium ubiq; minitatur. *2. Reg. c. 18 3 Reg. 6. 9. 12. 16. 21.* Nec aliud jus ipse quoque Justinianus in confirmatis à se legibus adducit, quam quod à populo in Imp. collatum fuit. Collatum autem fuit ab Ethnicis, qui quod de jure non possederunt, non potuerunt

2. De dicto Tertulliani. Resp. Bellarm. Rejicitur

An Ethnici fuerint Imperatores tantùm de facto.

runt de jure transferre. Denique si de facto & contra voluntatem Dei possident Gentiles sua regna & Papa tanquam vicarius Dei, divinitus sibi cōmissa virtute, potest saltem de regnis disponere, quantum ipsi videtur utilius pro commodis Ecclesiæ, poterit jus gentium turbare, & Ethnicis, omnem potestatem abjudicare, quia eam possident de facto, in prejudicium Ecclesiæ, cui non tantū ea debebatur de jure, sed quæ & inde exagitatur & tantum non prorsus armis & vi conculcatur. Ne dicam quod hæc Bellarmini responsio prioribus ejusdem placitis pondus detrahat, quando *lib. 2. de Rom. Pontif. c. 29. arg. 2.* ex Albert. Pigh. *lib. 5. Hierarch. Eccles. c. 7. & libr. 5. de Pontif. c. 3. & 4.* jure gentium distincta fuisse dominia confitetur, & Christum nemini rem suam ablatum venisse. Nam si jure Paulus provocavit ad Cæsarem, de jure & non de facto cognovit ipsum supremum suum judicem: Si lex Christi nemini aufert suam potestatem, ne quidem regum & principum deteriorem conditionem facere potest, quod jam sæpius objectum fuit, à Barcl. *c. 3. & alibi*, nec ullo verisimili responso à Bellarm. confutatum: Sed potius satis modestè totum concedit, *c. 8. contr. Barcl.* dicens: *Molestè ferre non debere principes, si Christiani facti jam teneantur obedire vicario Christi*, ut ita nemo possit fieri Christianus, nisi cum jactura regnorum suorum. Regnum enim consistit in eo, ut superiori non obediatur, cum absoluta potestas neminem agnoscat superiorem. At jam tenentur principes Christiani obedire Pontifici in temporalibus, quippe cujus Canonibus ligantur, & cujus in arbitrio regnum & tota ditio posita est, tanquam in manu ejus, qui propter iniquitatem transfert regna de gente in gentem.

Doctrina Bell. exauctorat reges.

7. *Doctrina Bell. deteriori loco ponit reges, quam Vasallos.*

Imò deteriori loco sunt principes & Reges, quam ipsi Vasalli, aut clientes. His enim Dominus quidem aufert, quæ concessit, sed non sine judicio Parium, & ex causa in legibus expressa: sed Pontifex aufert, quæ nec dedit, nec dare potuit, quia non habuit, & quidem secundum Pontificiorum recentium placita, de sua unius sententia, quia solus ipse vicarius Christi, & solus ipse errare nequit, & solus ipse servat sibi judicandi arbitrium, utrum hæresi sit infectus princeps, dignusque, quia regno dejiciatur. Nihil est, quod respondet Bellarm. *c. 12. contr. Barcl.* Pontificem auferre regna, *non prius, nisi si sit necessarium ad salutem animarum, aut si præmonitus Rex nolit resipiscere*, &c. Nam & hæc judicat nemo alius, quam Pontifex ex pectoris sui divino scrinio. Deinde vasallus non exuitur bonis, nisi ex causis à lege definitis. Sed quo jure divino præscriptæ sunt hæ causæ ad abdicandum Reges, scil. scortatio, iconomachia, legitimi regni ex faucibus Romanensium repetitio? Turpis autem est omnis vicarius sine mandato. An verò Gregorius VII. Johannes XXII. Bonifacius IIX. Julius II. & qui præterea libidinem suam secuti, & privatis aut odiis incitati, aut injuriis lacessiti fulmina

Responsio Bellarm. Rejicitur.

mina excommunicationis ſtrinxerunt, non niſi ex cauſis enarratis ad tantam rabiem progreſſi ſunt? Non quid factum ſit, ſpectare voluit Bellarm. ſed quid fieri debeat: Regibus verò & illud timendum, quod & factum eſt ſæpius, & ſub prætextu religionis impunè fieri poteſt. Nam ſi ſolus Pontifex competens judex eſt, utrum cauſa, quæ allegatur, ſufficiens ſit ad transferenda regna, nec ipſi licet obloqui, cur ita facis? in ſolius pontificis poteſtate vertitur ſalus Regum atq; adeo ipſa eorũ vita, ut deducit V Vidringt. *Anglus in Apol.* Bellar. *nu* 45. *& ſeqq.* ex Gregorio Sarro *lib.7.clav.reg.c.11.nu.* 11. & ſpecioſum ſatis documentum dederunt Catholici, quos ſe vocant, Angli in conſpiratione pulveraria, adeò ut Rex coactus fuerit novo fidelitatis juramento ſibi obſtringere ſubditos etiam Catholicos Romanos, in quo ſeparat obedientiam temporalem ab Eccleſiaſtica, in eum finem, ut vel ipſi Catholici idipſum præſtare poſſint, ſine jactura profeſſionis, ut oſtendit Epiſc. Ciceſtrienſis *in Tortur. Torti* & Rob. Burhillus *contra Becan.*

Sed & aliter nititur Bellarm. ſe ſubducere, quando objicit, non eſſe in manu pontificis reges, ut ſunt vaſalli in poteſtate Dominorum, quia *Papa non vendicat ſibi erepta regna, nec transfert, in quem vult, ſed in proximos hæredes, aut facit poteſtatem populo eligendi novum Regem.* Quid enim? ſi totus populus eodem gladio perfodiatur, aut pari crimine accuſetur proximus ſucceſſor, idque eodem judice, qui judicavit de primo, prout accidit in Galliis, cum Henr Navarræus & Condæus pariter cum Henric. III. proſcriberentur. Aut ſi Pontifex ex præconcepto odio nolit proximũ hęredem admittere, quemadmodum Greg. VII. coronã tranſmiſit Rudolpho, & Hermanno, quis ipſi dicet: Papa, quid agis? Niſi fortaſſe Bellar. ex novo & inaudito quodam ſcriptore noviter nobis demonſtrare poſſit, Rudolphum & Hermannum juſtis ſuffragiis electos fuiſſe, aut eligi potuiſſe Imperatores: aut ex novo quodam Evangelio doceat, jus eſſe, & ſalvâ pietate fieri poſſe, ut filio ſub jactura ſalutis æternæ injungatur parricidium, ut prohibeatur patri parentare, & exequias ire, ut corpus inhumatum relinquere, contra omnem pietatem jubeatur, ita ut ſeveritatem Papæ ne quidem cum morte Imperatoris expiraſſe ſcribat Helmold. *li.1.c.33. Viterb. Chron. part.* 17. Sigon. *9. hiſt. Ital.* qua quidem perfidia idem Gregor. Conradum & Henricum filios protuſit in arma contra Henricum patrem: quod ipſum poſtquã optimis rationib. confecerit Bellar. nihilominus argumenti vim non eluſerit, quia nec feuda quidem in præjudicium legitimorum hæredum abalienari poſſunt aut occupari à Domino, ſicut Carol. V. Mauritio tradidit Electoratum Saxonicum, quem Johanni Friderico eripuerat. An verò propterea ſuo principatu non carebat Johannes Fridericus? De hoc autem quæſtio inſtituitur apud nos, utrum auferre poſſit Papa regna, ſi per peccata commiſſa ſint, non verò, utrum vel ſibi vel alienigenis adjudicare ablata poſſit.

Alia reſponſ. Bellarm. Rejicitur.

Quocunq; igitur se vertat Bellarm. negare non potest, quin infinitis modis sit deterior conditio principum Christianorum, apud Pontificios, quam Ethnicorum, aut eorum, qui reformatam amplectuntur religionem: His enim summa Majestas libera manet & immunis ab omni vi superiori, ex doctrina Christi, Apostolorum, & exemplis regum Judæ, *ut demonstravimus lib. 1 de Majest.* id quod de Ethnicis quoque confessus Tertullianus *in Apolog.* cui responsum regerit Bellarm. tale, quod & totum destruit textum, & mendacii errorisq; non condonandi injuriam inurit autori. Nam, si Tertullianus potestatem summam prædicat Imperatoribus, quæ iis, non *de jure*, (alioquin per baptismum & ingressum in Ecclesiam, jus suum amisissent Imperatores Christiani) sed *de facto* competebat, Deum facit autorem peccati, quia à Deo dicit extitisse hoc imperium. An autem Deus fovet Imperia de facto? an Deus instituit Tyrannides, qui Pilato, Imperatoriæ potentiæ parte defungenti, desuper id, quicquid fuerit, potestatis communicatum confitebatur. Nec scitè Tertull. ex ea potestate argueret præcellentiam Imperatoris, aut se totamque Ecclesiam illi subjiceret, si Tyrannica & de facto extitisset. Cæterum, sicut gloss. superioritatis jura, quæ tribuuntur regibus in Jure Canonico, eludit per hæc verba, quod accipienda sint de facto: *in c. in apibus verbo. Unus 7. quæst. 1. c. nunc autem. dist 21. c. Totam. de pœn. dist. 3. c. per venerabilem verb. minimè recogn. Qui fil. sint legit.* ita idem collyrium iis exemplis & dictis inducit Bellarm. quorum efficaciam aliter effugere non potest. Gretserus *contra Haiminsf.* etiam alium clypeum paratum habet, ut statim, atque quis objicit verba saniorum Episcoporum & historicorum, ex censu Orthodoxorum eos ejiciat, & schismaticos proclamet, quorum verba non sint audienda, ut Haiminsfeld. *notat c. 8. 9. 11. replic. contr. Gretſ.*

Redditur ad locum Tertulliani.

Duo effugia Pontificium in parato.

4\. Parum abest quin & Gregorius Turon. schismaticus fiat, quia *lib. 5. c. 18. hist. Franc.* sui ordinis homines dicit *posse corripi à Rege: regem verò judicari non posse, nisi ab eo, qui se dixerit justitiam.* Certè mendacis adulationis accusatur tacitè à Bellar. c. 8. §. 3. quando dicit, *eum loqui de potestate, quam habent Reges de facto cogendi homines particulares, & quã non habent homines particulares ad cogendos Reges.* Ergo, quantùm audio, Childericus habebat potestatẽ tantum de facto in Pretextatum, Majestatis reum, & cessant jam crimina *privilegiata*, quæ vocantur in Galliis, ob quæ etiam Clerici patiuntur judicium seculare. Certè Guntramus eodem tempore, Salonium Ebrodunensem, & Sagittarium Vapicensem Episcop. indicto concilio, ob gravia crimina, condemnari fecit, Aimon. *lib. 3. cap. 26. 27. 28.* Gregor. Turon. *lib. 5 c. 20.* qui cum gratiam sperarent, non appellarunt ad Pontificem Roman. ut hinc deducere laborat Baron. *tom. 7. Ann. 570. art. 23. 24.* Debuissent enim instrumentum appellationis statim in articulo opponere.) sed

Defenditur Gregorii Turon. sententia.

ex intervallo recurrerunt ad clementiam regiam, in quam spem suam fixerant, *ut ait Gregor.* & ab ea licentiam impetrarunt eundi Romam, quod sine ea & sine literis regiis, ipsis facere fas non fuisset. Quid igitur suspicabimur de Gregorii ipsius sententia? Superveniens scilicet injuriæ regiæ Episcopus, adulationis studiosus, cum debuisset regem dehortari, aut saltem, si sine scandalo aliter obviam ire non potuisset, vel tacere, vel ex concilio malignantium se subducere, non tantum non admonet amicum regem, sed & Tyrannidem eius confirmat, & quod Bellarm. de facto putat, de jure factum constanter asserit. Quid interesse putes inter hanc Gregorii orationem, qua licentiæ Tyrannicæ astipulatur, & inter eam, quam Johannes Parvus ibidem habuit pro excusando parricidio Burgundi, ex hoc fundamento, quod Tyrannus aut incorrigibilis princeps à quovis jure possit interfici. Annon ex vulgata Juris regula, faciens & consentiens eadem pœna digni sunt?

Sed ut majus pondus habeat oratio, ad Ambrosii verba, quæ supra tetigi *ex c. 4. & 10. Apol. David:* quibus per imperium supra omnem potestatem statui Reges asserit, accedat eiusdem factum, quod utinam nostri Catholici imitari malint, quàm Bonifacii 8. aut Julii 2. Nam cum Valentinianus premeret Ecclesiam Orthodoxorum, ipsique Ambrosio, & cæteris Episcopis exilium interminaretur, non subiit Ambrosio de hac potestate Pontificia indirecta, nec ad arma conclamavit Maximum, opem suam ultrò ad reformandum statum Ecclesiæ offerentem, imò nec populum, *animas prius, quàm Episcopum amittere paratum*, ut testantur Ruffin. *lib. 11. cap. 15.* Socrat. *lib. 5. c. 11.* Sozomen. *lib. 7. c. 13* & de quo ipsemet Imperator ad Comites & milites: *Si vobis jusserit Ambrosius, vinctum me tradetis*; Ambros. *lib. 5. Ep. ad Marcell. Sor.* audire, aut in compita contra Imperatorem producere voluit, sed prostratus in faciem sub altari, eius opem imploravit, de cujus honore unicè agi sciebat. Franciscus Romulus, seu potius Robertus Bellarm. qui id non diffitetur, *in respons. ad Apolog. Cathol. pro Henrico Navarr.* adducens rationem, quare Ecclesia potestatem suam non exeruerit contra primos Imperatorum, id ideo factum asserit, quod nihil vel profuisset, vel sine pernitie populorum expediri non potuisset, quod licet contra rei veritatem dictum ex fide Historicorum demonstret Barclaius *cap. 6. & 7.* tamen hic maximè conspicuum suæ refutationis exemplum notat in Valentiniano Juniore: *cap. 8.* qui facilè quidem potuerit supprimi ab Ambrosio, adjutu Maximi & populi militumq; fidelium, sed suppressus nunquam fuerit, imò ne armis quidem aut seditiosa velitatione impetitus. Bellarm. *c. 8. contr. Barcl.* negat Valentiniani mentionem fieri à Romulo: nec id Barclaius asserit, sed cæteris à Romulo inductis Imperatoribus, injicit etiam hunc, & novam quærit à Romulo rationem,

5. Factum Ambros. proponitur.

Respons. Romuli aut Bellar.

Rejecta à Barcl.

Replica Bellarm.

quare hunc Ecclesia cum facilè potuerit, non deposuerit. Aliam igitur excogitat Bellarm. quæ Romulo, sive potius ipsi Bellarmino ante annos 22. non subierat in memoriam, scil. *quia Valentinianus puererat, sub arbitrio & regimine matris, quem sperabat Ambrosius cum ætate ad sanam mentem rediturum.* Sed tu, lector, audi potius Ambrosium ipsum, causam assignantem, quare ad arma prorumpere noluerit, quia aliter sacerdoti non licet armis obviam ire, quam lachrymis precibusque. *Dolore potero,* ait, *potero flere, potero gemere: Adversus arma, milites Gothos quoq; lachryma mea arma mea sunt. Talia enim munimenta sunt Sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere. libr. 5. Epist. 33. ad Marcell. sor. c. convenior. 23. q. 8.* Si enim aliis armis uti fas fuisset Ambrosio, secundum Canonistas inexcusabiliter peccasset, qui potestati seculari in causa iniquissima se ultrò subjecisset, cum libertatis Ecclesiasticæ laudabile potuisset facere initium. Peccat enim Clericus mortaliter, qui seculari potestati in jus vocanti morem gerit. Nec refert, quod pueritiæ Imperatoris parcendum videretur & ætas expectanda solidior, quia mater saltem impunè ferre non debuisset, quod filium ad persecutionem instigasset. Tum etiam officii saltem admoneri debuisset puer, ut facilius ad meliorem frugem animum convertisset. Nam pueri, etiamsi severis suppliciis propter teneritatem corporis non subjiciuntur, à ferulis tamen excusati non sunt, nec prætextu pueritiæ licet iis impunè facere, quod libet. Certè Conradini protestatio nihil profuit, qua & regium ortum suum, & pueritiam inclamabat, quin Papa eum properè plectendum censeret, quod *Conradini vita*, foret *mors Caroli.* Nec juventus Henrici IV. inhibuit zelum Gregorii & Antecessorum, quin extrema omnia in ipsum decernerent, priusquam de resipiscentia ipsius periculum fecissent. Si quid tale hodie usu veniret, non minus diligentes, sat scio, juberet Bellarminus esse Catholicos, quàm sub Henrico IV. eosdem fuisse testatur Cario *in hist.* & Mornæus *in myster. iniquit.* ut per occasionem. rege existente puero, limites Ecclesiæ amplius proferrent, cujus egregium documentum dederunt in Jacobo M. Britanniæ Rege, imò in ipsa Elisabetha, contra quam etiam hoc adducit Tortus: *quod esset mulier:* Quantò magis puerilem ætatem contemnerent Pontificii, si nec felicitate singulari tantæ reginæ à perfidis machinationibus averti potuerunt? Cur non & iis tum subiit consilium Ambrosii, ut mobilitati sexus, & facilè in adversam partem flexibilis, spatium resipiscendi indulgerent? Cur non id consilii potius imitati sunt contra Eduardum VI? cur Episcopi & primates ex aula tum non projecerunt se ad altare, & valere jussis illicitis conspirationibus, ad preces confugerunt cum Ambrosio? Sed ut fulmina Jovis summos feriunt montes, ad depressas convalles non descendunt: ita pontificis in adultos desæviunt reges, pueris & juvenibus parcunt. Quantò jam

Rejicitur denuò.

Valentinianus an tutus ob pueritiam à Ve Pontifice...

tò jam ſatius eſt, Regem præeſſe puerum, quàm ſenem, cum huic nihil ſit ex aula Pontificis timendum, illius verò & vita & tota ditio cruentis ſit expoſita ſeditionibus, quoties viſum fuerit Archiſtratego Romano Nam Conſtantio, Valenti, Anaſtaſio, Heraclio, debuiſſet Pontifex, ſi potuiſſet, coronam detrahere: ſed ex præſcripto Ambroſii, Valentiniano, etiamſi potuiſſet, non debuiſſet, quia ætas tutum faciebat.

Quanquam nec factum ſit, neque fieri unquam poſſit, ut ſalvo jure & conſcientiis ſubditorum, ſine ſumma jactura Eccleſiæ membrorum, regi vel Imperatori corona à Papa abjudicetur. Quod vero ſalvo jure fieri nequit, ne fieri quidem poſſe putandum eſt, & pro impoſſibilibus apud prudentes habentur etiam ea, quæ niſi cum maximis incommodis in actum deduci nequeunt. Juramentum verò, quo conſcientiæ Deo obligantur, quia obligatio deſcendit ex jure divino, Papa ſolvere nequit, & nunquam gravius turbata fuit Germania & Italia, quam cum Henricus IV. & Fridericus I. cogerentur contra rebelles ſubditos, Pontificiis bullis audaces arma induere, & cædibus omnia miſcere. An hoc facit ad ſpiritualem finem, & ſalutem Eccleſiæ, filios in patrem, fratres in ſe mutuò, ſubditos armare in principem, & cædibus, bellis, civilibus diſcordiis Rempublicam ſimul & Eccleſiam exhaurire: An ſine ſanguine expedivit excommunicatio & à regno hæreditario excluſio Henrici IV. in Galliis? An conſpiratio pulveraria ad cœlum ſuſtuliſſet florem Angliæ ſine cæde & ſanguine? An perciſſet furor Hiſpanicus vel minimo omnium ibidem, niſi Deus claſſem diſſipaſſet? Noluit Auguſtinus *in Pſalm.* 124. quicquam debuiſſe à piis militibus in Julianum tentari, licet caſtra eius Chriſtianis plena eſſent, ut ipſi milites exclamarnnt, cum Jovianus ab initio imperium detrectaret: Ruffin. *lib.* 2. *cap.* 1. *Theod. lib.* 4. *c.* 1. Nec tamen dubitant noſtri Catholici regnum Britanniæ recuperare, in quo vix centeſimus quiſq; cum Romanis ſentit, & id putant fieri poſſe ſine detrimento, quod multò facilius, & minori cum jactura fieri potuiſſet à militibus Juliani & ſubditis Valentis. Non igitur rectè reſpondit Franciſc. Romulus & Bellarm. *cap.* 7. *contr. Barcl.* toleratos fuiſſe hæreticos & Ethnicos Impp. quia commodè è medio auferri non potuerunt. Nam aut illi commodè potuerunt, ſive per inſidias, ſive apertâ vi, aut noſtri Reges & principes nunquam poſſunt, quoniam pontificiorum vires minores ſunt, & ut plurimùm externæ: noſtris verò contra imminentes inſidias & vim externam, longè rectius proviſum. Nec ullus tam abjectus à ſuis princeps eſt & contemtus, qui defenſores non inveniat, non tantum ex iis, quos ſuis ſibi demeritus eſt beneficiis, ſed etiam ex ſubditis, jurisjurandi conſciis, alienumq; & iniquum imperium naturali odio proſequentibus: Item ex peregrinis ſive cognatis, ſive ſociis, quos communis injuria tangit, prout innata quadã miſericor-

6. Privatio regni trahit ſecum ſcandala & infinita incommoda Eccl.

dia aliorum miseriis immeritis condolemus, imprimis, si ad nos quoque causa communis pertineat.

7. *Bellarm. Patres opponis patribus.* Adduximus Tertullianum, Hieronymum, & Ambrosium, quorum primo & tertio opponit Bellarm: *cap* 8. *contr. Barcl. ad fin.* alios, quos autoritatis ait esse non minoris, quàm hos, illi quidem Cyprianum *lib.* 1. *Ep.* 3. & Irenæum *lib.* 3. *cap.* 3. commercia hæreticorum fugere jubentes: huic verò Gregor. Nazianz. *in orat. ad popul. timore percussi.& præsid. irascent*: qui *Ecclesiam* & *Politiam* comparat *animæ* & *corpori*, indeque *c.* 6. *libr.* 5 *de Rom. Pontif.* deducit fundamentum suæ opinionis, quod sicut anima dominatur corpori, ita Ecclesia dominari debeat politiæ: à qua tamen arrogantia quā longe abfuerit Nazianz. vel ex eo patet, quod cum in Julianum & Constantium invectivas, post utriusq; mortem scripserit, in nulla tamen suam aut Ecclesiæ potestatem efferat, supra Imperatoriam, nec Christianos ullibi ad defectionem vel uno verbulo hortetur. Oblitus verò erat Bellarm. quod argumentationem à corpore naturali ad mysticum ipse rejecerat, tanquam non per omnia congruam, *lib.* 2. *de concil. c.* 19. *ad* 2. Hactenus enim rectè procedit, ut sicut Spiritus dirigit corpus, ita dirigi debeat politia ab Ecclesia, sed non omne imperium, quod anima usurpat in corpus, competit Ecclesiæ in Remp. quia ex anima & corpore fit unum per se: ex Ecclesia & Repub. non nisi unum per accidens. Corpus enim habet essentialem respectum ad animam, quæ instar actus immiscet se potentiæ corporis, & cum ea coalescit in unam talem substantiam, cujus partes separatæ subsistere non possunt, saltem ex parte corporis, quod diffluit & corrumpitur, quam primum à forma sua deseritur. Verum politiæ & Ecclesiæ per se sese non respiciunt, sed & ante & post coalitum in sua quæque essentia perfectæ & distinctæ manent, distinctis finibus & actibus secretæ; quod cum non eveniat in corpore, quod totum subordinatur animæ, omninò sequitur ut plus debeat anima posse in corpore, quam Ecclesia in Politia Imperium enim animæ totale est & per se: Ecclesiæ ex parte, & respectivum. Nam, quod carnem inveniri *d. c.* 6. dicit Bellarmin. *extra intellectum, ut in brutis: intellectum extra carnem, ut in Angelis*, perinde est, ac si de aliis quæreret, & responderet de cœpis, nisi jam intellectus humanus sit idem cum Angelico, qui ad corpus respectum nullum habet, & non per sensus, ut hic, sed per innatas species intelligit, si Thomæ & meliori parti Scholasticorum credimus: & corpora brutorum sint eadem cum corpore humano. Ad minimum enim, ne omninò incongruè & falsò similitudinem declarasse arguatur, oportet hoc mihi concedat, sicut ex quavis Rep. & Ecclesia potest fieri unum: ita & ex quavis carne, & quovis intellectu. Nam illa Resp. quæ jam actu separata est, & in αὐταρκείᾳ sua subsistit, quæcunque demum sit, cùm Ecclesia in unum systema

Fundamentum Bellar. ex similitudine Nazianz. Subvertitur.

ſtema coaleſcere poteſt. Ergo etiam, ex declaratione Bellarm. ex angelo & carne brutorum poteſt fieri unum, aut ex carne brutorum & intellectu humano, quod magis abſurdum erit, quàm Thomiſtis videtur axioma Averr. quod ex intelligentia & orbe fiat magis unum, quàm ex actu & potentia. Sed diſſimilitudo exemplorum huc adigit Bellarminum: Nam quia omnis anima definitur Ariſtoteli *actus corporis, potentia vitam habentis*, in quocunq; corpore non eſt potentia, illud animam recipere nequit, & in quacunq; intelligentia non datur ratio actus informantis, illa nequit animæ notionem ſubire, ideoq; corpus, quod natum eſt regi ab anima, non reperitur, niſi cum anima, cum materia eſſentialiter dependeat à forma, potentia ab actu perficiente, nec anima unquam exuit reſpectum, quem ad corpus includit: Sed Politia ſuam ſibi perfectionem ex ſe vendicat & ſubſiſtit abſq; Eccleſia, proinde jure & actibus ſuis longiùs abit ab Eccleſia, quàm corpus ab anima. Imò etiamſi largius indulgeremus tam bellæ, ut eam venditat Bellarm. ſimilitudini, tamen, ſicut Spiritus corpus non corrigit aliter, quam ſpiritualiter, quatenus animam fas eſt, quæ femur quidem aut brachium corpori non abrumpit, ſed pro modo ſui imperii cohibet ſubordinatos ſibi affectus: ita nec Eccleſiæ, ultra conceſſam ſibi divinitus poteſtatem Spiritualem, quicquam licet, ut aut alienum corpus invadat, inque eo pro libidine ſæviat, aut pœnas infligat non ſpirituales, qualis eſt abdicatio à regno, & imperium armorum. Ficulneum igitur prorſus eſt fundamentum Bellarmini, imò ſtructuræ è directo contrarium, & Nazianzenus tantùm abeſt, ut contra Ambroſium militare velit, ut potius in caſtra ipſius ultrò deſcendat, & cum eo in caput & opinionem Bellarmini, amicè conjuret. Sicut enim Ambroſ non aliam ſibi præſto eſſe panopliam dicit, quàm lachrymas & fletus. ita & Nazianz *orat. 1. in Iulian. Coercitus eſt Iulianus Dei clementia ac lachrymis Chriſtianorum, quæ multæ jam & à multis erant effuſæ, cum ſolum hoc contra perſecutorem haberent remedium.* Nec id dicit, quaſi nullum aliud remedium iis reliquum feciſſet Imperator, quia non tantum terræ imperii plenæ erant Chriſtianorum inermium, ut excipit Bellarm. *c.* 7. *contr. Barcl.* ſed & caſtra armatorum, ut conſtat ex reſponſo, quod milites uno ore dederunt Joviniano: *Et nos Chriſtiani ſumus*, ex Ruff. *lib.* 2. *c.* 1. Theod. 4. *c.* 1. cui nihil aliud reponere habet Bellarm. niſi, Chriſtianos quidem fuiſſe voto & animo, non profeſſione, cum Julianus militia abire juſſiſſet, quicunq; idolis recuſarent immolare. Non ita pridem, ſi Zoſimo *credimus*, detraxerat Conſtantinus cingulum paganis. Et tamē *hoc ipſo c.* ſumit Bellar. pro cōfeſſo, plures manſiſſe paganos, quàm Chriſtianos. Satis autē fuiſſet ad dejiciendū Julianum, ſi animum & votum Chriſtianorum habuiſſent milites, quia ardor religionis nullibi audentius exurgit, quàm cum ſupprimitur, & ſuppreſſione incenditur obnitendi audacia.

 Nec

Nec meliores ſuppetias habet ſperare à Cypriano aut Irenæo: Eſto, loquantur cum Apoſtolo *ad Tit. 3. Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem παραιτȢ.* An inde ſequitur ullo modo ſententia contraria verbis Tertulliani, qui Imperatores aſſeruit ultra omnem aliam poteſtatem humanam. Aut hæc ſunt Synonima: *vita hæreticum, & dejice hæreticum de ſolio, de bonis, de jure, de omni poſſeſſione ſua.* Quin potius interpretem eundem audiamus *ex 2. ad Corinth. 6. Exite de medio eorum, & ſe paramini.* Sed cur Joſeph non exiit Ægypto, nec detrectavit obedire Pharaoni, adeò ut etiam idolorum ſacerdotibus ſtipendia præberet? cur Paulus non ſubtraxit ſe obedientia Cæſaris, ſed ad ipſum ejus tribunal provocabat? Cur milites Chriſtiani audierunt vocem Juliani, & laudati ſunt ab Auguſtino? Nos hanc litem aliò remittimus, & inobedientiam perfidam ſubditorum modo ex eo evinci poſſe oſtendimus, quod hæretici ſint vitandi: Tum etiam inſufficienter hæc & id genus alia adduci addimus, quia hæretici non extiterunt omnes Reges & Imperatores, in quos debachatus eſt furor Pontificius. Nam certè Henricus IV. nec Friderici I. & II. Simonia enim & ſcortatio, quæ duo crimina Stephanus Epiſcopus Halberſt. improperat Henrico, *in reſponſ. ad VValram.* hæreſin non progenerant, niſi fortaſſe ex eo hæreſeos condemnandus, quod ad pedes Pontificis ſordes lingere recuſaverit. Id enim innuit Sigon. *lib. 9 hiſt Ital.* inquiens: *Filius paternâ hæreſi repudiatâ, Pontificiam obedientiam ſuſcepit.* Alius negavit copias & theſauros transfretare in Aſiam, ſive quod cruorem Chriſtianum fruſtrà prodigere vereretur, ſive quod Rempubl. ſuam in utilibus expeditionibus, ſancia conſcientia, depauperare, aut abſentiâ ſuâ prædam hoſtium ludibrio exponere tergiverſaretur: Alius conjuratis in caput ſuum Epiſcopis, comitiaq; in perniciem ſuam actum ituris, tutum iter non præſtitit aut euntes fortaſſe intercepit in itinere: Alius jura imperii in gratiam Pontificis turpiter deſerere, & collationes beneficiorum, injuſtaſque regnorum poſſeſſione, ſedi Romanæ contra datam fidem attribuere noluit: continuo exarſit furor Papæ, & ex ſententia eius, cui obloqui fas non eſt, quicunq; talia perpetravit, acrius vapulavit, quàm ſi Chriſto ipſi in faciem reſtitiſſet, aut principem articulorum fidei præmeditato animo pernegaſſet. Non igitur ſatis ſcite de fugiendis hæreticis hæc attulit Bellarminus, cum multi non hæretici cogantur hoc imperium Pontificis experiri, ut ipſe confitetur, *lib. 5. Rom. Pontif. c. 7. arg. 5. rat. 2.* Ideoque ex alio fundamento prodire idipſum oportet, quam ex fuga hæreticorum.

8. Hæretici quomodo fugiendi.

Pergit Bellarm. *d. c. 8. contr. Barclai:* & Gregorio Turonenſi, opponit Gregorium Romanum, quem & hîc & *c. 8. lib. 5. de Rom. Pont.* ſic loquentem inducit in privilegio, quod conceſſit monaſterio S. Medardi. *Si quis Regum, Antiſtitum, Iudicum, vel quarumcunq; ſecularium perſonarum huius Apoſtolicæ auctoritatis & noſtra*

9. De teſtimonio Gregorii M.

nostra praeceptionis decreta violaverit, (adde *ex fin. Ep.* quæ utrobiq; dissimulavit Bellarm. *aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietaverit, vel conturbaverit, vel aliter ordinaverit, cuiuscunq; dignitatis, vel sublimitatis sit*) *honore suo privetur.* Jam verisimile non est, ob errata tam levicula, si quis fratribus molestus fuerit, aut negligenter rem eorū curaverit, voluisse Gregorium Reges & principes integris ditionibus & omni honore privare: ut usurpat & intelligit Gregor. VII. *lib.* 4. *Ep.* 2. & 23. *lib.* 8. *Ep.* 21. & Thomas VValdens. *lib.* 2. *doctrin. fid. antiq. art.* 3. *c.* 75. imprimis cum ipsa Apostolica sedes sæpius à Longobardis vexata fuerit, nec tamen is in mortem alicuius se miscere voluerit, ut ipse dicit. *lib.* 7. *Ep. cap.* 1. *si morte.* 23. *q.* 8. non quod vires deessent, (*Si enim*, ait, *id facere voluissem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atq; in summa confusione esset divisa,*) sed quod *Deum timeret*, quemadmodum & Bernhardus propter timorem Dei, totius mundi conjuratione se non passurum adigi scribit *Epist.* 170. *ut aliquid moliatur adversus regiam Majestatem, & à Deo constitutum temerè offendat.* An igitur animus deerat, huic viro, ut sanctis patribus vires? *secundum Romulum & Bellarm.* Alibi scribit *se filium Ecclesiæ paratum esse stare & pugnare usq; ad mortem, si ita oportuerit, pro matre sua, armis, quibus licet, non scutis & gladiis, sed precibus, fletibusq; ad Deum*, quæ sententia prorsus consonat verbis Ambrosii supra explicatis, *ex c. pila c. convenior.* 23. *q.* 8. & utrumq; conjungit Petr. Damian. *in Epist. ad Firm. Episc.* contra potestatem gladii disputans: *Nunquid legitur*, ait, *hoc vel egisse vel literis docuisse Gregorius, qui tot rapinas atq; violentias à Longobardorum feritate est perpessus? Num Ambrosius bellum Arrianis se suamq; Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit?* Recens tamen prodit Bellarm atque adeò cum eo Baron. qui ex subscriptione unius privilegii & dicta & facta boni viri arguunt: qui nunquam se jussisse scribit, *lib.* 7. *Indict.* 1 *Ep.* 30. ut abstineret Episcopus Constantinopolitanus à titulo *Vniversalis*: qui ad Mauritium Imp. scribens, non alio, quam *Domini* nomine eum compellat, *lib.* 4. *Epist.* 32. 34. & *lib.* 2. *Ep.* 61. ait: *Ego indignus pietatis vestræ famulus*, &c. quique ab Imperatore, & Augusta non minis aut jussis extorquere, sed per omnipotentem Deum precibus exorare contendit, ne unus constitueretur Vniversalis Episcopus super omnes, quæ res non tantum Romanæ, sed universæ Ecclesiæ internecionem & Antichristi adventum portendebat, ut ipse nullibi non inculcat: Idem ille in unius in Gallia cœnobii privilegio tam sui dissimilis factus fingitur, ut non tantū Vniversalis Episcopi, sed & Domini Regum, si non nomen, certè rem & potestatem temerè usurpare, & privationem regnorum interminari ausus fuerit. Cur non eandem potestatem potius exeruit contra Mauritium, contra Johannem Episcopum Constant: contra Longobardos? in re multò graviori,

Dubitatur de veritate testamenti. & eò magis ardua, quò totius Ecclesiæ magis est habenda ratio, quàm manipuli fraterculorum Suessionensium? Et quanquam tota beati viri vita imperiosæ, quæ adducitur, clausulæ reclamat: tamen & subscriptio, insolita eo tempore, & apud neminem alium inventa, imò qua & hodierni Pontifices ferè abstinent, satis cautum id genus privilegiis putantes, si *omnipotentis Dei, & Petri & Pauli Apostolorum indignationem* imprecentur, tum etiam ex ea deprehensus error in veritate historica eam satis redarguunt. Inducitur enim Eulogius Alexandrinus, incertum qua occasione evocatus: Inducitur Theodoricus Rex, eiusque subscriptio jactatur, qui tum temporis adhuc vagiebat in cunis & fortasse nondum ablactatus erat. Suspitionem auget, quod & multa alia in Epistolas Gregorii inserta fuerint, historiæ temporis illius non consentanea, ut quæ de pallio, & primatu Vigilii in Gallis notat Mornæus *in myst. Iniq.* Sed ut liberales simus, & fidem privilegii relinquamus autoribus suis, nihil, ne sic quidem conficient Baron. & Bellarm. quia verba Gregorii, non sunt imperantis, aut minitantis, sed imprecantis, ut patet ex integro contextu, quem Bellarm dedita opera decurtavit: Ita enim refertur *ad fin. Epist.* *Si quis contravenerit, &c. honore suo privetur, & ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Christianitatis & corpore ac sanguine Domini nostri Iesu Christi, sequestretur, & omnium maledictionum Anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio seculi usq; in præsens damnati sunt, sunt, cum Iuda traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum Sanctorum sibi propitiaverit clementiam & fratrum communione reconciliaverit concordiam.* Jam imprecari quidem potuit Gregorius æternum cruciatum: imperare minimè. Proinde eiusdem contextus verba, eodem sensu imprecandi & non imperandi interpretanda sunt, & miror Bellarm. *c. 40. contr. Barclai*: eò redactum esse, ut æternam damnationem interminari dicat *per decretum pag. 3*[?] *9.* quia *imprecatio foret nimis crudelis*: quasi non æquè crudeliter pereant homines, per decretum, ac per imprecationem. Crudele quidem esset piis & Deum timentibus mala imprecari: sed spoliatoribus & Tyrannis talia imprecari nulla religio vetat, si clausula addatur: nisi pænituerit eos &c. Sed ipsa Bellar. decreti summam interpretaturus paulò post, seipsum convincit, quia dicere non audet: qui dicit. *Qui contravenerit, graves pœnas luet in inferno*: Idē jubet & imperat, ut contraveniens damnetur, sed *declarat ipsum graviter peccaturum & damnatum iri.* Ergo ne honore quidē suo per jussum Papæ cadit, sed declaratur tantum indignus, qui honore potiatur. Nam si his verbis imperari potest damnatio, etiam Constantinus M. eam imperandi potestatem sibi sumsit, quando in instrumento donationis ait: *Si quis temerator extiterit &c. æternis damnationibus subjaceat innodatus &c. & in inferno inferiori concrematus cum Diabolo & omnibus deficiat impiis.*

Aliud est imperare: aliud imprecari.

Porrò

Porrò Ottoni Frisingensi, qui & ipse Imperatorem statuit supra leges, respondet Bellarm. *dict. cap.* 8. quod loquatur conceptis verbis *de legibus seculi*. Nec nos quicquam prӕterea ex ejus verbis obtinere curamus, quia abrogationes jurisdictionum, condemnationes ad mortem & amissionem bonorum, quӕ ex jure spirituali non competunt, non irrogantur, nisi per sententias & leges seculi, licet irrogentur à Pontifice. Nec enim res propter possessorem, nec sententiӕ propter pronuntiantem, naturam suam mutant. Pontifex enim, qui dominari ponitur in spiritualibus, quando ex sua jurisdictione aliquem sequestrat, nihil demere potest, nisi quod tum dederat, cum is se novӕ jurisdictioni submitteret, ut argumentatur ipse Bellarm. *c. 3. arg. 2. lib. 5. de Rom. Pont.* Atqui ingressus Ecclesiӕ non affert regnum terrenum, sed novam viam aperit ad regnum ӕternum. Proinde, ejectio ex Ecclesia hoc tantum jus posterius, quod ex ingressu accessit, demere potest, salvo jure terreno, in quod Ecclesiӕ nihil juris competit. Et proinde opponit Frisingensis hӕc duo: *Examini divino reservari*: Et *legibus seculi non teneri*. Nam si nulla lex seculi reconditur in Vaticano Romano, sed omnes leges Ecclesiӕ sunt spirituales, constat, quod nec Pontifici, nec cuiquam mortalium rationem teneatur princeps reddere, quia nullius legibus in temporalibus coercetur, sed soli Deo, à quo habet potestatem suã immediatè, ut supra dictum fuit. Ut tamen autoritatem hanc alia multò pensiore eludat, opponit Ottoni Gregorij V I I. divinam ad Hermannum Episcopum Metensem Epistolam, nec non Bernhardum & Hugonem. Item Thomam & Bonaventuram. 10. *Ottonis Frising. dictũ explicatur.*

De Bernhardi sententia jam supra diximus, & multa *ex libris consid. ad Eugen.* supra excerpsimus, quӕ recta petunt jugulum sententiӕ Bellarmini. Solum illud pro se citare habet, quod gladium temporalem, non quidem ab Ecclesia stringendum scribat, sed pro ipsa & fortasse ipsius nutu. Quod nec ipse Bernhardus asseveranter enunciare ausus fuit, sed dubium in medio reliquit, id ille nobis obtrudit, quasi categoricè dictum. Imò, si ita imperatum à Bernhardo: *Pontificis nutu stringendum esse gladium*, an inde alia potestas Pontificis evinci potest, quàm annuendi. Quid si verò princeps injustum aut inconsideratum Pontificis nutum exaudire ex causa tergiversetur? An tum Pontifici prӕter nutum, gladius quoq; in manus sumendus, ut gladium Imperatori excutiat? Certè aliter docuit Bernhardus: *talia arma Ecclesiӕ non esse tangenda, sed precibus & lachrymis rem agendam. Epist. 170. ad Ludovv. Crass.* *Sententia Bernhardi.*

Hugonis verba *lib. 2. de sacr. 2. part. c.* 41. ad meliorem sensum reducit Johan. Paris. *de potest. regia & Pap.* 18. *ad argumentum* 20. Nam si simpliciter docere velit Hugo, spiritualem potestatem esse immediatè à Deo, cujus solius arbitrio subjiciatur; Terrenam verò ab illa & institui & judicari, quia *De Verbis Hugonis.*

docet manifestè falsa, quæ & ipse Bellarm. improbat, sc. potestatem omnem terrenam institui, & judicari de suis actibus, ab Ecclesia, eadem facilitate rejicitur, qua asseritur. Thomas *in* 1. *Corinth*. 6. *& lect*. 1 *ad c*. 13. *Rom*. omnes fideles jubet esse subjectos principibus: Subjici verò, & per imperium Pontificis, subjectionis jugo se subtrahere, prorsus contraria sunt, imò *c*. 6. *Ep*. 1. *Corinth*. ne quidem ab Apostolo scribit subtrahi fideles citationi & judicio principum secularium, quod tamen ex hoc unico cap. ubiq; Bellar. sed nimis, quàm ridiculè convincit, ad imitationem Gregorij VII. *in Epist. ad Meten*. Quod si Thomas alibi in contrarium inclinat, satius est audire loquentem cum sacris literis, per quas thesin suā probat *com. c*. 13. *ad Rom. &* 1. *Cor. c*. 6. quàm vanas & dissolutas ratiunculas argutantem, qualis est ea, quā adducit 2. 2. *q*. 10. posse videl. *Ecclesiam ex autoritate divina, abrogare imperiū infidelibus principibus supra fideles, quia infideles merentur potestatem amittere supra fideles, qui transferuntur in filios Dei*. Nam cum omnia jura fluant vel ex jure divino, vel humano, *c. quo jure dist*. 8. quo loco scripturæ datur hæc autoritas Ecclesiæ, quove privilegio absolvuntur filii Dei à jugo principum infidelium? Jubebat Apostolus etiam fideles obedientiā præstare Ethnicis principibus propter conscientiam, licet ipsi essent filii Dei, & principes infideles. Deinde sicut regna non acquiruntur, propter fidelitatem, ut confitetur ipse Bellar. *c*. 3. *li*. 5. & propterea opinionem Thomæ tacitè improbat *c*. 7. *lib. eod*. ita nec propter infidelitatem amittuntur, magis quam possessiones servorum & rerum aliarum, aliis titulis & juribus acquisitarum. Serviat Christianus Ethnico & quidem vel jure belli, vel alia recepta consuetudine, vel ex pacto mutuo: Non credo possessionem legitimam eripiet Bellarminus Domino, propterea, quod Christianus non est. Itaq; nec subditos ob hanc causam debet abalienare principi. Denique mereantur sanè infideles amittere regna & potestates, quod feloniam committant erga Deum, non sequitur, ait Barcl. *c*. 21. *quod in libris de Regn. ubiq; inculcat, & nos docuimus lib*. 1. *de jur. Maj. c*. 6. *num*. 8. in cujusque potestate esse, commissum regnum aut abjudicare, aut auferre, sicut Cancellarium aut alium magistratum, licet maximè meritum, ut ab officio removeatur, nemo tamen removendi facultatem habet præter regem, à quo pendet. Quia igitur principes à Deo constituti sunt, & solo Deo minores, non possunt, nisi à Deo destitui imperio ac deponi.

II. Sententia Thomæ.

Opinio Thomæ falsa refutatur.

Respons. Bellarm.

Bellarm. *c*. 21 *contr Barcl*. dupliciter respondet pro Thoma, cujus sententiam tamen antea ipse non obscurè reprobarat, tantum, ne Barclaio hāc laudem concedat, quasi Thomas jure ab eo reprehensus sit. Primùm autem negat *principes Politicos à solo Deo potestatem habere*, quia instinctus, quo homines se submittunt potestati, tantum inditus est à Deo. Ut autem huic aut illi se submittant, ex arbitrio hominum & jure humano dependere dicit.

dicit. Qua quidem in re quis sustineat audire Bellarminum, non tantum in autoritatem principum, sed & ipsam Dei potentiam, tam impunè & audacter grassantem, quasi non tantum principibus suam cuique distribuere potestatem fas sit Pontifici, sed & divinam limitare, & Monarchæ summo rivalem, ad modum Manichæorum, obrogare. Nam si potestas non est à solo Deo, sed etiam ab alio, oportet esse alium æquè in Respub. potentem, qui Regibus & Principibus legitimam suam tribuat potentiam. Eat igitur Paulus & corrigat linguam: Nam Romæ ab eo, qui errare nequit, in ipsius opprobrium decernitur, quod non omnis potestas sit à Deo. Dependet enim etiam ab alio, quàm à Deo. Item non omnis, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, quia quædam potestas est ordinata à jure humano tantum, & non à Deo. Turpiter autem confundit Bellarm. modos constituendi, cum potestate constituti. Nam licet Pilatus missus esset ab Imperatore, tamen Christus potestatem desuper ipsi traditam confitebatur. Ut hic & ille præsit, hac aut illa forma Remp. gubernet, arbitrio hominum alicubi acceptum referri potest, ubi scil. electio exclusit successionem, sed præsidis tamen potestas semper est à Deo, quia aliàs non teneremur ipsi subesse propter conscientiam. Sed etsi totum hoc largiremur Bellarmino, nihil tamen conficit contra Barclaium ex triplici causa. 1. Quia, cum Thomas dicat, *Infideles propter infidelitatem mereri amittere imperium super fideles tanquam filios Dei*, conspicuè præsupponit, omne imperium esse à Deo, quia infideles, propter apostasian & fidem non servatam committere statuũtur regna sua: nemo autem committit feudum, nisi se impiaverit contra Dominum suum. Bellarminus verò negat, Deum esse Dominum omnium regnorum, quia quædam non dependent à Deo, ideoq; prorsus est contrarius Thomæ, qui generatim de omnibus infidelibus enunciat, quod mereantur amittere feuda propter infidelitatem: Bellarminus hoc totum invertit, quia si qui non à Deo, sed hominibus regna possident, propter infidelitaté nequeunt cadere de regno, quia non commiserunt feloniam erga suum Dominum, à quo imperium obtinebant non cum promisso fidelitatis, sed conditionibus aliis, & fidelitati Christianæ fortasse prorsus adversis. Turca enim ad persequendum Christianos ex lege sua obligatur. Quod si ejus potestas non est à Deo, sed ab hominibus, quibus fidem suam contra Christianos stipulatus est, falsò dictum fuit à Thoma, omnes infideles propter violatam fidem erga Deum cadere de regno. Ita Bellarminus, ut defendat Thomam à Barclajo, amico gladio eũdem interficit. 2. Si potestas principũ non pendet à solo Deo, sed etiam à jure vel titulis humanis, multò minus sequitur, posse aliquem eorum à Papa deponi, quia is hanc potestatem sibi arrogat non alia ex causa, nisi quatenus est vicarius Christi, & caput Ecclesiæ. Pone cum Bellar. potestatem principum non dependere à Deo, ne Papa quidem

Refutatur prima.

quidem ad se trahere potest, quod non est Dei: nec licet Papæ saltum facere, in rem prorsus alienam, qui humanum jus, aut titulos legitimos Ecclesiæ, nisi in ordine ad spiritualia, perturbare non potest. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit.* Aut quæ tibi tactio est eos, *qui foris sunt. Tolle malum ex teipso, & de ijs, qui foris sunt, relinque judicium Domino.* 3. Denique responsio hæc non enervat totam vim instantiæ Barclaij, qui non tantum objicit, quod Reges constituantur à Deo, sed etiam quod solo Deo sint minores, quæ est præcipua pars instantiæ. Nam propterea à nemine mortalium judicari possunt, quia neminem habent supra se.

Secunda responsio Bellarm.

Ad hoc nihil regerit Bellarminus; sed ad secundam responsionem profugit, quod etiam Papæ judicium sit judicium Dei, sicut incestuoso Corinthio Paulus remittit pœnam *in persona Christi. Summus enim Pontifex vicarius Dei est, ac per hoc potestatem habet à Deo dispensandi & mutandi in multis secundum voluntatem Dei, cujus ipse interpres est, prout dispensat in votis & juramentis.*

Diluitur.

Cæterum, hoc ipso, quod Papam dicit vicarium, responsionem suam eludit, & instar soricis proprio perit indicio. Vicario enim non licet agere ultra mandatum expressum. Atqui quibus verbis datum fuit Pontifici in mandatis, ut deponat reges, & absolvat subditos à juramento? De generalibus enim mandatis, quæ in re tanti præjudicii non sufficiunt paulò post videbimus, & non magis spectant ad Pontificem, quàm ad quemvis ex ministris Ecclesiæ; sed quod de votis & juramentis, à Papa solvi solitis, oggannit, in eo incertum probat per incertum; & τὸ κρινόμενον affert pro argumento. Religionem enim voti & jurisjurandi sua natura efficacis, contra jus divinum Papa nulla autoritate impedire potest: Interpretatio autem non magis pertinet ad illum, quàm ad Reges & principes, ita ut si Papa velit absolvere, princeps pari jure posset retinere, quia in interpretatione juramenti nihil plus potest Papa, quàm lex, ut saniores Pontificii ipsi confitentur. *gl in c. non est. verb. adimplere, de vot. gl. in c. autoritatem verb. absolvimus 15. q. 6. gl. in l. adigere §. fin. verb. remittitur de jur. patr.* Guid. Pap. *decis. 78. nu. 3. decis. 194 per tot.* Duare. *ad t. C. si advers. vend in fin.* Gail. 1 *obs. 25. num. 3.* Covar. *part. 1. rel. c. quamvis. § 3. n. 20. de pact in 6.*

Pauli exemplum præter rem advocatur *ex 2 ad Cor. c. 2.* quia Paulus mandatum suum immediatè à Deo acceperat in tertio cœlo, nec quicquam remittit Corinthio, quàm vinculum excommunicationis, quod ipsi interminatus erat, 1. *Cor 5.* postquam post sufficientem correctionem ad meliorem frugem se inciperet recipere. Hæc autem potestas disertis verbis traditur omnibus Ecclesiæ ministris: sed de abdicatione regum, nullum verbum, & propterea, altera sententia Thomę, quæ suadet subjectionem, huic longè præferenda est, quæ subjectionem tollit. Sed & contrarium sibi esse Tho-

Thomam negat Bellarmin. quia hæc duo enunciata non sunt contraria. *Debetur subjectio infideli principi, dum princeps est*: Et: *Potest princeps infidelis privari dominio, quod habet super fideles, per autoritatem Ecclesiæ*. Retineamus verò hoc posterius prolatum à Thoma 2.2 *quæst*.10. *art*. 10. & opponamus verba ejusdem *ex com. ad* 1. *Cor*. 6. *Dicendum, quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus principibus constituti, eorum judicio compareant, si vocentur: hoc enim esset contra subjectionem, quæ debetur principibus: sed prohibet, quod fideles non eligant voluntariè infidelium judicium*. Manifestè dicit: Apostolum non potuisse prohibere, ne fideles pareant principi infideli, quia id foret contra jus divinum, & præceptum Petri. 1. *Petr*. 2. prohibere autem obedientiam subditis, quid est, nisi privare principes suo dominio: & ita Thomas non tantum sibi, sed & Sancto Pontifici contradicit, qui plus sibi tribuit autoritatis, quàm Thomas hîc asserit sibi potuisse tribuere Apostolum. *Thomas sibi contrarius.*

12. Quod attinet porrò Gregorium VII. quem Ottoni primo loco opponit Bellarminus, & ubiq. primo intuitu affert contra Pontificum debellatores, quid aliud facit, quàm ut testis & rei personas confundat, & reum absolvi petat ex proprio testimonio? ad exemplum ipsius Gregorii, cui Episcopi improperabant, quod *Testis, judex, accusator, inimicus idem esset. Aven*.5. *Ann*. Quidni pari jure bullis & Epistolis illius fas sit nobis opponere, protestationes Henricorum, rescripta & jurgia Fridericorum, edicta Ludovvici? Nam si Pontifici licet testimonium dicere in propria causa, licebit & Imperatoribus. Quod si Pontificibus adjecerit Bellarm. concilia & applausum Episcoporum: multò ponderosior futura erit causa principum, si astipulatores illis produxerimus, non ex comitiis aulicis, aut conventibus principum, sed congregationibus ipsorum eorum, quorum testimonia eò plus valere debent, quo ab hominibus proficiscuntur inimicioribus, contrariæ factionis & professionis, & quod caput est, qui Pontificibus ipsis religione fuerunt obstricti. Si Stephanus Halberst. pugnavit pro Hildebrando, *in Epist. append. ad Chron. Mari. Scot.* oppono *VValtramum Episcopum Naumburgensem*, qui masculè ipsi in faciem restitit, & Epistolam refutavit: Oppono *Conradum Episcopum Trajectensem*, cujus orationem refert Aventin. *lib*. 5. *Ann. Boj.* Item: *Sigebertum Abbatem Gemblacensem*, Paschalis 2. excommunicatoriam Epistolam refutantem, *Bennonem Cardinalem*, non tantum injustam sedis Pontificiæ occupationem, & vanas artes Gregorii revelantem, sed & longam seriem eorum enumerantem, qui ex ipsis Romanis Cardinalib. & Episcopis à partibus Papæ transierunt ad partes Imperatoris. Decreto & Conciliis Gregorii oppono decreta & congregationes Episcoporum, VVormatiæ & Brixiæ. Ut interim sileam crimina Gregorij, quæ ipsum etiam in foro Politico non sinerent testimonium dicere. *Gregorii 7. testimonia rejiciuntur.*

Nam & incesti amoris, cum Mathilda insimulatur à Lambert. Schafnaburg. & Sigon. Nec suspitionem omnem amovere potest ipse Baron. quando eam à marito diremtam & abductam sine causa confitetur, & contra historicorũ fidem negare non audet, quod *sine testibus sæpe cũ ipsa, contra morem Episcoporũ*, ut VValtramus scribit, *conversatus fuerit*, nec abhorruerit eidem locum in concilio inter medios viros assignare, à quo tamen ipsam & pudor muliebris, & lex civilis, & præceptũ Apostolicum repellere potuisset. Porrò & Simoniæ ab Episcopis, & Majestatis ab Henrico damnatus fuit, quia argento vota corruperat, & Imperatori jus suũ, in eligendo confirmandoq; Pontifice, imò in cæteris omnib. Episcopis constituendis, vi & fraude surripuerat. Ne de nigromantia, & hæretica sacerdotum conjugii prohibitione, & cæteris, quorum pleni sunt libri supra nominati, quicquã in medium proferam, aut de sera ejus pœnitentia, quâ moriturus confessus est, *se, instigante Diabolo, contra humanũ genus, iram & vindictam concitasse, simul etiam Imperatoriis remissionis peccatorum vincula laxavit*, credo, ut sua sibi quoque laxarentur, prout Sigebert. & Paris. scriptum reliquerunt.

15. *Testimonia domestica exanctorantur.* Contra cæteros, quibus assertionem nostram obruit Bellar. *c.1. contr. Barcl.* propriam ipsi exceptionem reddemus: Homines scil. inimicos esse, Pontificiæ factionis studiosos, imò sedi Romanæ juratos, à quibus nefas sit quicquam contra Pontificem Max. vel joco expectare. Nam & Zosymi testimonium propterea idem rejicit, ut & Gretser. *c.4 rect. Impost.* ¦ *Cal.* quia fuit Ethnicus, & Christiano nomini infensus. Interim, ne Bellarminus victoriam sibi videatur reportasse saltem à Catholicis, à quorum nemine asserit idem doceri, quanquam ipse ante Hildebrandi tempora antiquiorem producat neminem, cum hæresis hæc nata sit unâ cum Hildebrando, aut quibus Hildebrandus præfuit, ut director, age & Pontificios ipsos nominemus, qui contra decreta Pontificum idem cum nostris docuerunt. Hincmar. Rhem. *in libr. de Pot. Reg. & Pontif.* multa scribit, pro nostris facientia. Nam *c.1.* distinguit duo officia regum & sacerdotum. *c.7.* dicit: *primum inter homines constitutum Regem. c.8.* ait: *Deus eum in Ducatum constituit.* Item: *Non enim est potestas, nisi à Deo. Ipse enim elevat de stercore egenum & sedere facit cum Principibus populi sui, & deponit potentes de sede, & exaltat humiles, ut subditus fiat omnis mundus Deo.* Occam. & Marsil. Patavin. ex professo scripserunt contra potestatem Pontificiam, ut & Johannes de Gandavo, & M. Henricus de Chalem. Cancellarius Ludovvici IV. quem simul cum Occamo excommunicat Johannes XXII. Card. Cusan. *de concord. Cathol.* Johan. Paris. *in libr. de pot. Reg. & Pap.* Rud Prælleus *de potest. Pontif. & Imper.* Autor somnii viridar. Alber. *in Diction. verb. Electio.* Anton. de Rossell. *part. 1. de pot. Pont. & Imp.* Jacob. Almain. *in tr. de suprem. pot. Eccles. & Laic.* VVincet. Cunet. Barclai. VVidringt. multique alii, enarrati à protestantibus in scripto

Assertores vera sententia ex pötifi. iis.

de re-

*de refutat. concilij Trident. part.*1. in conventu Norimburg. 1562. edito, & quicunque in Ecclesia non agnoscunt, nisi gladium spiritualem cum Gratiano *in c. nos si, 2. q. 7.* Nam licet Bellarm. fucum faciat in verbis *Directè & Indirectè*, res tamen eodem redit, & iisdem ipse jugulatur argumentis, quibus eos transfixerat, qui temporalem potestatem directè vendicant Ecclesiæ, ut paulò post patebit. Hos autores, & qui præterea in ipso Pontificatu contra Pontificem senserunt, & à Flacio *in Catal. test. verit.* Mornæ. *in myster. iniquit.* Haiminsfeld. *in Monarch. & Apolog. pro Henr. Imp.* producuntur, de industria silentio involvit Bellar. *c* 1. *lib.* 5. *de Rom. Pontif.* ut sine controversia & contradictione procedere possit ad hæreseos damnandam sententiam, quę jam olim in Husso, Patavino, Gandavensi. &c. damnata erat: Nunc verò *c.* 3. *contr. Barcl.* Catholicos ait disputare quidem inter se de *modo*, non de *re*, cum tamen Tritheimius *in Chron. Hirsaug.* 1106. expressis verbis dicat: *Scholastici certant, & adhuc sub judice lis est: Utrum Papa Imperatorem possit deponere*, & quos allegavimus, Pontificii quæstiones suas non concipiunt de modo, sed re ipsa, & quæstione an sit: Utrum scilicet Papæ competat dominiũ universale in reges & principes, prout cuiq; scripta eorum vel per transennam saltem inspicienti manifestum est. Quid multis? audiamus Cardinalem Cusanum *lib.* 3. *Concord. Cath. cap.* 41. qui cum dixisset imperium *immediatè* dependere à Deo, & Pontifici nihil juris in illud competere, tandem addit: *Et illa fuit omnium Antiquorum opinio vera, & si dubia noviter exorta sunt, ob sinistrum multorum complacendi studium, repetantur vetera.*

Tempus jam est, adulatores quoque Pontificios audiamus, ex Papa suo, tantùm non Deum, certè corporalem aliquem & Vice-Deum, facientes. 14. *Quid Pontifices faciant ex Papa.* Glossa enim *in c. per venerabilem leg. in ver. superiorem*, dicit: *Papa est super omnes, & consequenter etiam super Imperatorem. Christi crux antecellit Cæsaris aquilas: Gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica sedes præjudicat Imperatoriæ potestati.* Petr. Blesens. *Epist.* 146. *ad Cœlestin. Pontif. Papæ potestas*, ait Boër. *in tractat. de seditios. est major, quàm Imperatoris. Papa Imperatores & Reges deponit, eorum defectum supplet*, sicut inter 89. Papæ reservata refert Speculat. *in tit. de legat.* §. *nunc ostenden.* Unde & Clemens V. *in Clem. pastoral. de sentent. & re jud.* revocat sententiam Henrici Imperatoris contra Robertum regem Siciliæ, ubi Petr. de Anch. *Ver. quia verum*, addit: *Papa hic ex officio revocavit sententiam Imperatoris. Constita n. iniquitate judicis inferioris, nullo petente, superior revocat acta. c. ex tenore in fin. de rescript.* Ipse vero Papa *supra omne jus dispensat*, ut Innocentius 3. ait, *c. proposuit de Concess. preb. & Eccl.* ubi Abb & idem cum Decio *ad c. quæ in Eccles. de constit. Potestatem habet supra, extra & contra jus*: Lancelot. *libr.* 1. *c* 1. *de Imper.* § 1 *de ornat. corp. Imp. vers. coronam q.* 2. *n.* 8. *Est causa causarum, unde non est de ejus potestate inquirẽdum, cum primæ causæ nulla sit causa*, Bald. *in c. Eccl. ut lit. pend. Romanam sedem neq;*

Augustus, neq; omnis Clerus, neq; reges, neq; principes judicare possunt, c. nemo c. aliorum c. cuncta. 9. quest. 3. In summa, Papa est *Dominus mundi, d. c. cuncta. cap. principalem 9 q. 3. Abb. & Dd. in c. novit de judic. Landens. de princ. q.* 18. & plus dicit Jason *in l. rescripta C. de prec. Imp. off* r. & Card. Alex *in c. si Papa dist.* 40. *quod sit Dominus dominantium, & habeat jus Regis regum in subditos. Huic est parendum*, ait Petr. Andr. Canonher, *in praef. in discurs. Tac. pag.* 54. *cui omnes principes terrae pedem deosculantur, juxta illa: Adorabunt in conspectu universae familiae gentium. Adorabunt eum omnes gentes terrae, omnes gentes servient ei, & erunt Reges nutricij tui & Reginae nutrices tuae, Vultu in terram dimisso adorabunt & pulverem pedum tuorum lingent. Serviant tibi populi, adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum & incurventur ante te filij matris tuae: Et alias autoritates*, quas in unum congerit Joseph. Stephanus *de oscul. ped. Rom. Pontif.* & eleganter expressas typis vendunt Romani Adulatores, quib. tam artificiosè depingunt Antichristum honorem suum Christo diripientem, ut coloribus non potuerit exprimi magis vivis, notante Mornaeo *in praef. myst. iniquit.* Sed nos redimus ad potestatem Pontificis. Non solum circa terrestria, & coelestia, & infernalia dicitur gerere vicariatum Christi, sed etiam *super angelos bonos & malos, quibus major est jurisdictione* secundum Felin. *in c. Canonum Col. 2 de Constit. ex opinione Archiepiscopi Florent.* & August. de Anchon. quia de causa Bald. *in l. rescripta C. de precib. Imper. offer.* autoritatem ejus praefert autoritati sanctorum, & dicitur major Paulo, caeterisq; Apostolis *in administratione, excepto Petro, cui par est*, secundum Anto. Rosel. *in tr. de conc. in rubr. Pontifex an possit cum Bigamo n. 3 per tex. in c. puto 2. q. 7. & c. sacrosancta. dist.* 22. Tantus enim est, *ut Deus quidem non sit, sed nec homo*: Lancel. *li.* 2 *c. 1. de Pontif. Max. § 1. vers. Pontif. n. 2. & vers. palli. n. 2.* imò *Deus in terris* dicitur per gl. *in c. Acbatius 24. q. 1.* Bal. *in l. fin. C. sent. rescin. non posse.* Dec. *in c. 1. de Const.* ex cujus potestatis plenitudine *adaequat quadrata rotundis*, And. Barb. *in tr. de testib. in 1. part. n.* 42. ex sententia Hostiensis *in c. novit. de jud.* Specul. *in t. de legat. §. nunc ostendendum.* ex nihilo facit aliquid *c. tanta. §. 1. de excess. praelat. & c. 1. de trans. & per gl. in c. quanto. de translat. Epis.* Specula. *d. §.* & facit, ut factum habeatur pro non facto, *c. is qui de sponsal.* quod tamen quidam coeperunt limitare, quod non procedat contra jus divinum Joh. de Selva. *in tr. de jurej. in 4. part. n.* 8 quia contra articulos fidei & Evangelia, Papae dispensare non licet, ut ex Thoma 4. *sent. dist. 17. idem allegat & asseritur*, à Spec. *in t. de dispens. §. nunc breviter Abb. in c. proposuit. de concess. praebend. & in c. significasti. nu. 2. de Elect. per c. deinde dist. 26. c. aliorum. 9. q. 3.* Nam inferior superioris jura violare nequit, Clem. Romani. *in pr. de Elect.* & ea jura sunt immutabilia. *5. & 6. dist.* Felin. *in c. quae in Eccl. col. 6. n. 15. de Const.*

15. Argumen. Quod si potestatis hujus probationem exigas, Bonifac. IIX. *c. unam sanctam de major. & obed.* Oldrad. *consil.* 180. Hostiens. *in sum. Qui fil. sint legit.* Johan.

Johan. Monach. Petrus Bertrand: *in adit: ad d. c. unam sanct: Abb: in c. novit n. 11. cum seq: de jud.* Lancelot. *lib. 2. c. 1. Pontifi: Max.* §. 1. *vers. pallium q. 1.* Stapleton. *in Explicat. c. 6. Luca, quod proponitur in die S. Bartholom.* potissimum adducunt hanc, quod Christo data fuerit omnis potestas in cœlo & in terra. *Matt. ult.* Is autem reliquerit eius potestatis vicarium Petrum, & hic Papam. *Non enim discretus videretur Dominus*, ait Petrus Bertrandi *in addit: ad d. c. unam, nisi unicum post se talem reliquisset vicarium, qui hæc omnia posset, quæ Christus potuit*, quàm lepidam consequentiam repetit Matthæus Tort. *in resp. Apol. Angl.* & autor item lib. Angl. *de mitigat.* qui creditur Parsonius, haustam *ex rat.* 2 Bellarm. *lib. 5. de Rom. Pont. c. 7. Non satis sc. prospectum videris Ecclesiæ, nisi penes eam depositum esset jus coercendi principes deviantes.* Per potestatem autem intelligenda est potestas politica, quippè quâ usus est Christus in ejiciendis ementibus & vendentibus: *Matt. 21. Marc. 11. c. ex multis. 1. q. 3.* Et Petro dicit: *Reconde gladium tuum*, ex quibus verbis Bonifacius *d. c. unam* probat, gladium etiam materialem esse in Ecclesia, & Johan. Monach. *in gl. d. c. super verb. in potest.* ita ratiocinatur: *Si de gladio extracto & visibili, qui significat gladium materialem, dixit Petro: Converte gladium tuum, in vaginam, liquidè patet, quod gladius materialis est Petri & in potestate Petri.* Quibus addemus & illud glossamentum gl. *ad c. cum ad verum in verb. proprijs. dist. 96. Signum regis in Christo fuit, quod portavit coronam de spinis.* Et si quæ sunt similia, quæ pulcerrima vocat Petrus de And: *lib. 2. de Imporat. c. 9.* Et super his tàm ficulneis fundamentis rem tantam superstruunt, videlicet Imperium totius mundi.

Liceat enim nobis idem argumentum proponere, quo Pontifex usus est. Ea potestas relicta est Pontifici, vel Ecclesiæ, quâ Christus usus est: quia *sicut me misit Pater & ego mitto vos, Iohan. 21.* At Christus nunquam politicâ usus est. Ergò nec ea Papa uti debet, Ant. de Rofs *part. 1. Monarch. c. 21.* Corras. *paraph. in tr. Sacerd. part. 2. c. 1. n. 3.* quia discipulus non est super magistrum. Majori propositioni ab utraq; parte consentimus. Minoris igitur probatio nobis incumbit, quæ & ex factis & ex dictis Christi peti potest. Cum enim populus eum quæsitum venirent, ut regem facerent, secessit in montem, nec mundanis honoribus aurem ullo modo accommodare voluit. *Iohan. 6.* Cum coram Pilato staret, non sibi, sed Pilato dicit potestatem datam esse, & rogatus ab eodem, an esset rex, apertè se eximit ex numero regum terrenorum, regnum suum asserens non esse de mundo. *Ioh 18.* Cum discipuli pugnarent inter se de primatu, eos increpat, *Reges gentium*, ait, *dominantur, vos a. non sic. Luc. 22.* Et multa alia subjectionis sine in vita Christi & doctrina relucent, quæ recenset Anton. de Rossel. *part. 1. Monarch. c. 21. & seqq.* Occam. *in dial. de potest. Eccl. & sec.* & ex eo Somn. *virid. c. 12.* & superfluum esset hic sigillatim repetere, cum hæc

M 3 tam

ta & probationes potestatis Pontificia.

tam ſint evidentia, ut Soli lumen accendere velle videretur, qui illis alia vellet adjungere argumenta. Nam judicium de diviſione hæreditatis ferre recuſat, *Luc.* 12. qui tamen de divortiis, tanquam de re, quæ non ſit purè politica, non dubitat ſententiam ſuam edere. *Matt.* 19. Filius hominis non venit, ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret. *Matt.* 20. *Luc.* 22. Et Aug. *ad Luc. Evang. Humilitas Chriſti commendatur, non tantum, quod incarnari voluerit, ſed quod eo tempore naſci, in quo mox Cæſaris cenſui ſubjiceretur.* Breviter quo ad humanam naturam nec hæreditario jure rex erat Judææ, multò minus totius mundi, nec regum poteſtatem ſibi unquam arrogavit, ut vel ipſi Pontificii demonſtrant. Vict. *Rel.* 1 *de poteſt. Eccl. q. pen. n.* 15. Sot. *de juſt. q.* 4. *n.* 1. Ludovv. Molin. *tr.* 2. *diſp.* 28. *concl.* 3. Johan. Pariſien. *de autor. reg. & Papal. c.* 8. *&* 9. Medina. 3. *part. D. Thom. q.* 59. *ad art.* 4. Porrò Cæſari non ſibi reddi tributum juſſit, ubi apertè diſtinguit ea quæ ſunt Dei, ab iis, quæ ſunt Cæſaris, de quo Ambr. *l.* 9. *c.* 20. *in Luc. Imaginem Cæſaris non habuit Chriſtus, non habuit Petrus: ideò præcepit, ut quæ ſua ſunt, Cæſari redderemus, nec quæ ſunt Cæſaris, uſurparemus.* Sic Tertull. *lib. de Idol. c.* 25. *Quod ad honores regum attinet vel Imperatorum, ſatis præſcriptum habemus, in omni obſequio nos eſſe oportere, ſecundum Apoſtoli præceptum, ſubditos magiſtratibus & principib.* Hier. *in Ep. ad Nep. Epiſcopi*, ait, *ſciant ſe ſacerdotes eſſe, non Dominos. c. eſto. diſt.* 95. Nec Imperator eos Dominos appellat, ſed ſpirituales patres. *Nov.* 81. Econtrario v. ipſi Pontifices Dominorum titulum tribuunt Imperatorib. *c. ſacerdotibus* 11. *q.* 1. *c. Salonitanæ.* 63. *diſt. c. quoties.* 1. *q.* 7. Leo IV. humillimè ſe ſubjicit Ludovvico, *c. nos ſi incompetenter.* 11. *q.* 7. dum ſcribit: *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſtæ legis tramitem non obſervavimus, veſtro ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare judicio:* & paulo poſt: *magnitudinis veſtræ magnopere Clementiam imploramus*: imò Pelagius Papa ad Childebertum regem Franciæ confeſſionem fidei mittens ſcribit: *Satagendũ eſt, ut confeſſionis noſtræ obſequium regibus miniſtremus, quibus nos etiam ſubditos eſſe ſacræ ſcripturæ præcipiunt*, ex quo colligit gl. *Papam ſubeſſe Imperatori*, ſed cum tali additamento, quod textum totum invertit. Nec id præterire volo, quod pro *regibus* ſubſtituerint *legibus*, ſenſu prorſus inconvenienti, & qui tamen eorum intentioni non ſatisfaciat, cum nec legibus Papam ſubjectum eſſe velint. 9. *q.* 3.

Sententia Patrum.

17. *Papa ſe gerit legatum ſine mandatis.*

Sed præſtat examinare parumper vim argumenti: *Quid turpius*, ait Cicer: *quam legatus ſine mandato?* Monſtret igitur Papa primùm mandatum, quod ſit conſtitutus vicarius Chriſti. Nam quod proferre ſolent: *ſuper hanc Petram, ædificabo Eccleſiam.* Item, *quicquid ligaveris ligatum, quicquid ſolveris, ſolutum erit in cælis*: Item, *paſce oves meas*, quantum ad vicariatum ſpiritualem probandum roboris habeat, Theologis diſputandum relinquimus: nobis ſufficit, ſi dicamus, mandata illa poſteriora non lo-

qui,

qui, nisi de rebus spiritualibus, à quibus ad temporales supra negavimus sequi consequentiam. Nec Petrus aliter cathedram tradidit Clementi, si Platinæ *credimus in vit. Petr.* nisi his verbis: *Eandem ego tibi potestatem ligandi & solvendi trado, quàm mihi Christus reliquit, spretis ac contemtis rebus omnibus, tùm corporis, tùm fortunæ: oratione & prædicatione saluti hominum, ut bonum pastorem decet, consule.* Quin etiam autor Somnii Viridarii, sub Carolo V. Gallorum rege jam olim editus, *c.* 12. respondet: (quæ verba mutuatus est ab Occamo *de potest. Eccl. & Secul.*) *omnem potestatem datam esse Christo in statu glorificationis: Papam verò constitutum esse vicarium in statu humiliationis in terra, non in cælo, in Ecclesia militante, non triumphante.* Præterea non tantū vult regnare Papa super fideles, sed etiam super infideles. Ità enim Bonifacius IX. Rigam vendidit Cruciferis, Crom: *lib.* 11. alii Gothofredo dederunt regnum Hierosolymitanū, quod tum Saracenus Ægyptius possidebat & Alexander VI. Indias divisit inter reges Portugaliæ & Hispaniæ. Martyr. *Dec.* 1. *lib.* 3. Sed ad infideles non extenduntur mandata supra dicta, quæ Ecclesiæ Cancellos non transgrediuntur.

Per potestatem verò, quam Christus sibi communicatam dicit, Theologi intelligunt, partim, omnipotentiam agendi, partim universalem potestatem operandi in Ecclesia: ad politicam verò, non nisi violenter trahi potest. Nec enim, quod ex plenitudine istius potestatis Christus præcipit discipulis, *doceant omnes gentes, &c.* Politicam potentiam ullo modo redolet, sed tantum spiritualem. Quid? quod Christus, licet habuisset eam potestatem communicatam, ea tamen nunquam usus est: Ergò eius exemplo, nec Papa uti debebat, saltem ne præberet scandalum. *Matt.* 17. *Quæ sit potestas tradita Christo.*

Nam quod mercatores ejecerit ex templo, in eo magis fecit officium sacerdotis, quam regis, quia templi curam gerere, ne rebus profanis contaminaretur, ad sacerdotem pertinebat, sicut legimus ab iisdem Oziam retractum cum sanctum sanctorum temerè ingredi vellet. 2. *Paralip.* 26. Inprimis verò apparet, illum id fecisse Zelo quodam prophetico, sicut Phinees occidit Scortatores: *Num.* 25. Quod idcircò pro lege allegari non potest. Deniq; faciebat hoc ut Deus, *quia*, inquit, *domus mea, domus orationis est. Esaia* 56. *Hier.* 7. Itaq; ad potestatem Pontificiam probandam, non magis facit, quam illud alterum, *reconde gladium tuum*, quo Albertus Crantz *lib.* 8. *Vandal. cap.* 2. putabat potestatem gladii Pontifici omninò adimi, quia prohibetur eius usus Petro, *Iohan.* 18. & accommodatur etiam ad ipsum, quod in privatos homines dictum est. *omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Genes.* 9. *Matth.* 26. *Apoc.* 13. Ridiculum autem est, ex possessione gladii, eius jus velle inferre, quasi nō infiniti sint subditi, qui gladios suos habeant, id est, possideant, nec tamen quisquā eorū jus gladii sibi

Mercatores è templo qua potestate Christus ejecerit.

Respond. ad illud Reconde gladium.

ſibi vendicare audet, quod ad ſolum magiſtratum pertinet. Proindè rectè Berhardus *lib. 2. conſid. ad Eugen. Eſto,* inquit, *ut alia quacunq; ratione hæc tibi vindices, ſed non Apoſtolico jure. Nec tibi Petrus dare potuit, quod non habuit. Quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem ſuper Eccleſias. Numquid dominationem? Audi ipſum: Non dominantes, inquit, in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt eſt in Evangelio: Reges gentium dominantur. Vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergò tu, tibiq; uſurpa avidè, aut dominans Apoſtolatũ aut Apoſtolicũ dominatum. Planè ab utroq; prohiberis: ſi utrumq; ſimul habere voles, perdes utrumq;.* Diſtinximus enim ſupra duas haſce poteſtates, ita, ut unaquæq; referat immediatũ ſuũ principium ad Deum, *ſicut in Edicto ſuo Ludovvicus Imp. ſtatuit.* Quæ enim inter ſe conſimilia ſunt in principio, eorum debet eadem conſtitui ratio. Muſcor. *in tr. de juriſdict. n. 1. per Novell. 83. § 1.* Afflict. *in prælud. feud.* At ambæ poteſtates profluunt ab eodem principio. *c. Duo ſunt diſt. 96. Novell. 6. in pr.* Vnde fit, ut altera non poſſit ſubjici alteri, niſi in ordine ad ſuam juriſdictionem.

Alius locus ex Cant. 2. Interpretantur quidam, quod in Cantico dicitur: *Cantic. 2. Læva eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, de poteſtate Eccleſiaſtica & ſeculari, quarum illa amplectitur & continet corpus Eccleſiæ, hæc verò manum ipſi ſupponit, & ſuſtentat ipſum. Verum Papa poteſtatem politicam non ſupponit capiti, ſed pedibus, nec expectat, ut ab ea ſuſtentetur, ſed ipſe ſe facit ſuſtentaculum omnium principum, ipſe ſe intromittit in negocia ſecularia, ſive rogatus, ſive non rogatus, *arg: gl: in Clem: paſto: in verb: quia verum. de ſent. & re judic.* quàm Clementinam tantoperè deteſtatur Cynus Piſtor. ut eam ad errores pontificum referendam velit, nec Bartolus eam, niſi dicis gratia, explicare videtur. Certum enim eſt, quod Papa non poſſit ſe intromittere rebus ſecularibus, niſi certis caſibus in ſubſidium, quorum quinq; ponit gl. *in c. licet, in verb. vacante Imperio de for. comp.* & duo exprimuntur *d. c. & c. ſeq.* ſcilicet *vacantia imperij & defectus judicis ſecularis* Anton: de Butrio *in c. venerabilem. de Elect.* Quod ſi Papa haberet directum dominium in regna mundi, non diceretur ſe intromittere in aliena, ſed poſſet potius, jure dominii, jubere & vetare quotieſcunq; videretur & res exigeret. Vnde Alex. 3. *in c. ſi duobus §. deniq. de appellat.* negat à judice ſeculari ad Papam, ſecundum juris rigorem appellari poſſe, ex quo Bernhard. *ibid. in verbor. credimus.* colligit quòd juriſdictio temporalis non pertineat ad Papam, quia alioquin ad ipſum, ut ſuperiorem magiſtratum, daretur appellatio. *c. 2. de conſuetudin. num. 6.* Vivius *in commun. opin. in verb. Imperator. circa fin. qui adducit: gl. in c. quoniam, diſt. 10. & in c. cuncta 9. q. 3.* Adde Ordin. *Camer: tit. 7. part: 2. ibi.* doch dieſelben aus dem Reich. Anton: Roſell: *in 1. part.* Monach. *ſive de pot: Imp: & Pap.*

& Pap. Mynsing. *cent.* 1. *obs* 14: Thom. Michael. *in disp. de jurisd. Rom. Imp. th.* 43. Matth. Steph 2. *Iurisd. c.* 1 *membr.* 2. *n.* 197. *Imo ipsos Pontificios gl. in c. ad Apost. de rejud* Lud. Molin. *tr.* 2 *de just. disp.* 29. *concl.* 1. §. *secundò infe-ro.* Hostiens. *in c. causam. qui fil. sint legit. per d. c. causam & c. per venerabilem* Eod. Lancel. *de Imper. libr.* 1. *cap.* 1. § 4 *vers.* 26.

Cæterum Bellarminus *lib.* 5. *de Roman. Pontific.* unà cum recentioribus Pontificiis, cum videret pluribus sentibus oblitam & penè interceptam esse viam calcatam à plerisque eorum, quos laudavit. *cap.* 1. *contr. Barcl.* quamque institerunt Hostiens. *in c. quod super his de vot. & vot. redemt.* Panorm: *in c. novit. de judic*: Sylvestr: *in summ: verb: Papa.* § 2. Thomas Bozius *de stat: Ital. lib.* 4. Alexandrin. Carret. *de Pot. Roman. Pontific:* Augustin. Triumph *de pot: Eccles: q.* 1 *cap.* 1. Alvar. Pelag. *lib.* 1. *de Planct: Eccles: cap.* 13. novam excogitarunt, qua ad eundem quidem scopum pervenire cogitarunt, sed per ambages & cuniculos. Nihil enim rei volunt esse Pontifici cum negotiis curiarum, *directè*, sed *indirectè*, respectu scilicet finis spiritualis, seu quatenus Ecclesiæ melius videtur, hoc vel illo modo administrari regna & principatus. *Nihil refert*, ait Hieronym: 2 *contr: Iovian: ex quam honesta causa quis insaniat.* Nec refert, quo modo perdant principes dominium, dummodò illud perdans, sive sub prætextu religionis, sive per Tyrannidem, nisi quod *deterius grassetur*, secundum Cassiodorum: *qui blandiendo grassatur*, & gravius, nec sine specie perfidiæ fallat; qui fallit, dum profuturum se simulat. Nec ulla injuria profundius in cor descendit, quam quæ inopinatò infligitur ab eo, quem nefas fuisset fallere, aut à quo minimè expectasses. Cicero rectè dixit, nihil esse pernitiosius eo hominum genere, qui, cum maximè fuerint injurii, id tamen agunt, ut boni viri videantur, qua quidem arte Imperatoribus summa cum injuria subtracta fuit ex jure divino tributa potentia, & postquam omnibus bonis exuti fuerunt, adhuc coacti fuerunt se prosternere ad pedes Pontificis, & pro residuo gratias agere quam maximas. Eò nimirum res rediit hodie, ut pro injuriis magnæ sint habendæ gratiæ, & beneficii loco reputandum, si extrema saltem gratiæ linea tibi liceat frui apud inimicum. Henricus certè IV. non prius relaxationem Banni impetravit, quàm nudis pedibus *forfices & scopas in manibus tenens*, ut ait Malmesburiens. & tonsura & verberibus se dignum profiteretur. Bruno *de bell. Sax. ad an.* 1076. & ad eund. Schafnaburg. Vrsperg. *ad an.* 1075. Autor ignot. *de vit. Hen IV.* Atquomodo impetravit? ut, non obstante pactione, cum Pontifice inita, qua regno terreno non sit restitutus, sed Curiæ cœlesti, Rebelles principes nihilò secius pergerent novum eligere Regem, non minus acrem habituri adjutorem Gregorium, quam ante hac experti fuerint. Fridericus I. non ante vidit calamitatum imperii finem, quam procumberet ante

18. *Defensio respectu status directa.*

Potestas indirecta.

Iniuria Pontificum in Reges.

pedes Alexandri III. & plantis ejus cervicem conculcandam supponeret, ut Hieronymus Bardus *ex viginti minimum Autoribus demonstrat*, ne quis de re tam incredibili dubitare audeat, quam etiam Genebrad. Sabell. Platinæ & Sigon. tacitè prætericrunt, ne tam nefanda superbia literas suas conscelerarent. Et has tamen injurias, quas directè non poterat, indirectè excusatum venit Bellarminus per indirectam potestatem, cuius si mentionem

19. Indirecta potestas à Bellarm. excogitata, adversatur decretis ipsorum Pontificum.

19. fecisset apud Gregorium VII. non in minori versatus est periculo, quam cum Sixtus V. libros eiusdem flammis ultricibus prosequi decrevisset, quod supremam in omnes Reges & Principes *divina institutione, ut in Bulla contr. Henr. III. Gall regem loquitur*, sibi traditam potestatem, directò sibi non attributam intelligeret. Nam expressè contrarium scribit Gregorius VII. *in Epist. ad Herm. Metens.* non indirectè, sed directè sibi potestatem hanc competere. Quod si Pontifex errare non potest, idq; ex confessione Bellarmini, adesto jam Pontifex, & Cardinalem tuum erroris & mendacii argue: Regem enim Francorum à Zacharia depositum scribit, non pro *suis iniquitatibus*, quas nullas, aut certè non tantas, ut abdicatione regni puniri debuisset, commiserat, id est, non in ordine ad finem spiritualem, sed *pro eo, quod tantæ potestati non erat utilis*, id est, in ordine ad finem Politicum, Præterea *in ead. Epist.* ita idem argumentatur. *Si exorcistæ supra Dæmones à Deo imperium habent, quanto magis supra eos, qui Dæmonibus subjecti, & membra sunt Dæmonum. Si ergo his tantum præminent exorcistæ, quantò amplius sacerdotes?* ex qua ratione sequitur, sicut exorcistis data est divinitus potentia in Dæmones; ita multò magis sacerdotibus in membra Dæmonum, sc. infideles principes. Negat verò Bellarm. Ecclesiæ jus & potestatem ullam competere in Ethnicos, nisi forte ex casu. Deniq; ut fortius premat, advocat Julium Pontificem, directò Clero attribuentem supra terrena & mundana potestatem, hoc argumento: *Cui aperiendi & claudendi cœli potestas est data, de terra judicare non licet? Absit. Num retinetis, quod ait D. Paulus Apostolus: Nescitis quod Angelos judicabimus, quantò magis secularia?* Quod si argumento à minori ad majus suum constare debet robur, eò magis licebit Ecclesiæ judicare terrena, quò hæc sunt minoris momenti. Ex sententia verò Bellarmini non licet Ecclesiæ judicare terrena, nisi in ordine ad spiritualia, & sic sua opinione jugulat duorum Pontificum argumentum & decreta, quorum alterum, *si Legendæ S. Anselmi Lucensis, & eius autoritate historiæ Baronii credimus*, in album Sanctorum recepit Ecclesia. Imò hac sua assertione totum ærarium & patrimonium S. Petri exhaurit, quoniam in Registro Gregorii VII. *apud Steuch. 2. contr. Vall.:* Regna Hispan. Arragon. Hungar. Dalmat. Croat. Russ. Daniæ, Suec. Norveg. Polon. Bohem. Angl. Scot. &c. aut vectigalia tributariæ dicuntur esse Ecclesiæ, aut ad jus ejus proprietatemq; tanquam feuda

perti-

pertinere, quæ omnia falsò tribuuntur aut vendicantur, nisi directò potestatem super omnes principes nacta sit Ecclesia. Propter indirectam enim potestatem tributum solvi non deberet. *Tributum enim Cæsaris est*, ait, Ambros. *in orat. de trad. basil. non negatur.* Item: *si tributum petit Imperator, non negatur: Agri Ecclesiæ solvunt tributum.* Responsorium quoq; Ecclesiæ usitatissimum, *in fest. Petr. & Paul. resp.* 3. quo dicitur *Deum Petro tradidisse omnia regna mundi, in Brev. Rom.* sic corrigemus, ne in ea quicquam juris usurpet, nisi in ordine ad spiritualia. Sed ut omittamus, quod etiam Innocentii IV. & Bonifacii IIX. obratiocinationibus, quibus directum sibi tribuunt dominium, adversetur, de quo viderit, quomodo sacræ sedi sit rationem redditurus, easdem rationes, quibus ille oppugnat potestatem directam, *c* 3. *lib.* 5. *de Rom. Pontif.* ostendemus non minus efficaces esse contra indirectam.

Nam cum omnis possessio constet aut jure divino, aut humano, *c. quo jure dist.* 8. ut argumentatur Anton de Ross. *part.* 1. *c.* 22. Indirectæ huius potestatis assertionem probare debebat Bellarmin. aut ex sacris literis, sive quas his æquipollere credit, traditionibus Apostolorum, aut ex lege aliqua humana, ab aliis, quàm Pontificibus ipsis condita. Nam si Pontifici suis verbis jus facere fas esset, nimis quam præcipiti loco starent & res & vita nostra, ait Occam. *in dial. de potest. Eccl. & sec.* Neutrum proferre potest Bellarm. *c.* 7. *lib.* 5. *de Rom. Pontif.* quod se quidem studiosè fecisse dicit *in respons. contr. Barcl.* sed si itamineis ratiunculis tantum fidei articulum, prout quæstionem exaggerat, probare, quàm dictis & autoritate sacrarum literarum maluit, non effugiet, quin subdolè egisse argui posset, & rem Pontificiam ludibrio adversariorum prostituisse, qui aut apud primi loci Cardinalem Achillea argumenta quærent, aut apud neminem ex cæteris. Admonitus autem à Barclaio tam noxiæ negligentiæ, duo præcipuè loca innuit, *c.* 5. *contr. Barcl.* ex quibus potestatem Pontificiam extrahit, quæ jam ante aliquot secula ad eiusdem rei probationem adduxerant Gregorius VII. *in Epist. ad Metens. Episc.* & Bonifacius IIX. *in d. c. unam sanctam.* nimirum *ex Matth.* 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum* &c. & *Ioh. ult. Pasce oves meas*: Sed cum priorem locum minus efficacem deprehenderet, obstinato eum involvit silentio, *in c.* 7. *lib.* 5. *de Pontif.* cum meminisset, ut Occam. & Autor som. *virid. respondet*, non promitti claves regni terrarum, sed cælorum: Item cum recordaretur sui responsi *libr.* 1. *cap.* 22. *ad* 6. *de Pont.* non dari hîc Petro claves, sed promitti tantum, quæ *Iohan.* 20. ubi secundum Bellarm. traduntur, limitantur ad remissionem peccatorum, & ad exemplum Christi, quia non aliter mittuntur Apostoli, quàm missus est Christus, qui regna, quæ Ethnici de facto, ex opinione Bellarm. tenebant & per infidelitatem jam commiserant, sub prætextu excommunicationis

Respondetur ad locum Matt. 16.

nemini abrogavit. Item cum negare non posset, *Matth.* 18 tantundem aut dari, ut Luther. & Calv. *censent*, aut, *ut ipse*, promitti omnibus Apostolis, quibus tamen æqualem jurisdictionem ne Pontificii quidem ipsi tribuunt, certè non Bellarm. qui conceptis verbis sic argumentatur: *cap.* 3. *lib.* 5. *Si Papa est Dominus totius orbis Christiani supremus; Ergo singuli Episcopi sunt principes temporales in oppidis suo Episcopatui subjectis, siquidem id quod est Papa in Ecclesia universa, est quilibet Episcopus in particulari.* Vnde VVidringt: *in Apolog. n.* 51. rectè infert absurdum etiam ex mente Bellarmini: Quia scilicet tantum potest Episcopus in sua diœcesi, quantum Papa in universo orbe Christiano, sicut indirectè Papa totius orbis Domino potest potestatem suam detrahere: ita idem poterit quilibet Episcopus in principem particularem & quemvis privatum, imò, ex vi dicti *Matth.* 18. non tantum Episcopus, sed quilibet, qui habet clavem ordinis. Quia si potestas hæc indirecta sequitur ex potestate ligandi & solvendi, Ea autem omnibus Apostolis traditur, & sub horum personis, omnibus Ecclesiæ ministris, constat omnes accepisse æqualem potestatem, quoad ea, quæ ex potestate ligandi & solvendi sequuntur, vel à Bellarmino educuntur. Jam verò excommunicationem non tollere dominium privatum, nec eripere legitimam possessionem, cum non liget corpus, sed animam, apud ipsos saniores pontificios extra controversiam est. Proinde meritò conqueritur Barcla, *c.* 3. *de pot. Pap.* per assertionem Bellarmini, Regum & Imperatorum conditionem multò fieri deteriorem, quàm privatorum, quippe cum ille per excommunicationem excludantur simul ex Ecclesia & Republ. hi tantum ex Ecclesia: Imò Papa non potest sibi plus potestatis tribuere in principes, quàm Apostoli sibi sumserunt in singulos Ecclesiæ filios. At hi neq; directè neq; indirectè dominati sunt Temporalibus Christianorum. Ergò multò minus poterit Papa dominari Principibus Christianis.

Alia argumenta contra Bellarm.

Respondetur ad locum Matt. 16.

21. Quia verò Bellarm. in solutione hujus argumenti affert. *cap.* 3. *contr. Barcl.* duo loca scripturæ, ex quibus Apostolorum in bona privatorum potestatem deducere laborat, operæ pretium fuerit, priusquam consideremus argumenta ejusdem *ex Iohan. c. ult.* extructa, candorem eius hic quoque obiter notare. Nam, quod potestatem habuerint Apostoli in bona privatorum probat *ex* 1. *Ep. ad Corinth, cap.* 9. ubi præscribit Paulus ministris Ecclesiæ solarium ex bonis Auditorum: Ergo, inquit, disposuit de bonis temporalibus. Quod verò etiam in personas jurisdictionem exercuerint, probat *ex eadem Epist. c.* 6. ubi idem Apostolus judices in Ecclesia constituit & removet, unde ipse *c.* 7. *lib.* 5. *de Pontif.* jam sic argumentatus fuerat: Sicut enim novi judices constitui potuerunt, ita & novi principes ac Reges propter eandem causam, scilicet *ne cogerentur Christiani causam dicere coram judice Christi persecutore.*

An Apostoli sumserint sibi dominiũ in bona privatorum.

Mirari

Mirari autem meritò liceat, utrum penes se fuerit Bellarm. cum rem tanti momenti tam dissonis documentis probare aggrederetur. Docet Apostol. *1. ad Corint. cap. 9. & 1. ad Timoth. 5. Bovi trituranti non esse deligandum os, Deuter. 25. & servienti altari, ex sacrificio vivendum esse, quia operarius sit dignus sua mercede,* ut dicitur 1. *Tim. c. 5.* An inde ullo modo sequitur, Apostolos usos fuisse jurisdictione aliqua in bona privatorum. Quantò rectius idem demonstrasset ex eo, quod Petrus & Paulus jubeant Christianos subjectos esse potestatibus superioribus: Nam eo modo præcipiunt de ipsa jurisdictione & obedientia temporali: Item quod Dominos & principes dehortentur à Tyrannide & sævitia: Nam ea ratione ipsam supremam Majestatem limitant. Sed ut hæc jurisdictionis suæ vi non ordinant Apostoli; ita nec salaria sacerdotibus decerpunt è bonis Christianorum, sed quid ipsi debeant sacerdotibus, verbis & severis admonitionibus docent. Quod si illi detrectent admonitionibus cedere, nihil superest Apostolo agendũ, postquam omnis ejus jurisdictio expiravit, nisi ad excommunicationem propter gravitatem delicti, si sine delicto possit, properandum videatur. Cogere autem refractarios non magis potest, quam si subditi negent tributum pẽdere Cæsari. Suadet quippe & jubet, uti præbeatur Cæsari, quod ipsi debetur, sed cogere neminem potest, cum coactio pertineat ad potestatem secularem. Præterea nihil novi ordinat Apostolus, sed jus divinum & naturale confirmat, ex quorum præscripto, non tantum operariis in vinea Christi, sed cuicunque operæ addictis merces debetur. Deniq; Paulus non disponit de bonis privatorum, autoritate Apostolica, sed jussu & præcepto Dei, dum ait: *Ita & mandatum est à Domino, ut quicunq; prædicant Evangeliũ, ex Evangelio vivant.* Velim autem & Bellarminus præcepti divini ullam micam ostendat, quo jubeantur infideles, hæretici, in levioribus peccatis contumaces, possessionibus & regnis suis exui, nec nos experietur amplius refragantes. *Responsio ad cap. 9. Epist. ad Corinth.*

22. Alterum locum jam rejecit Barcl. *c. 21.* cui quid respondeat Bellarm. *cap. 21.* vix in suis adversariis invenit. Quin potius rem totam concedit, inquiens; *Non præjudicat Apostolus per illam judicum Christianorum constitutionem jurisdictioni & imperio principum infidelium, quoniam non jubet Christianis, ut non compareant coram Iudice infideli, si vocentur, sed tantum præcipit, ut sponte non accedant.* Si enim ita se res habet, malè ex eo infert Bellar. quod novos principes constituere Ecclesiæ liceat veteribus abdicatis, quia tales tantum judices constitui jubet Paulus, qui veteribus non præjudicent. Præterea cum veteribus non prohibeat Apostolus obedientiam præstare, procul dubio, quam alibi dederat, legem non revocat, sed confirmat. Alibi verò, quæ ex naturali jure profluit, obedientiam omnibus mortalibus inculcat, & ut demonstratum fuit, ipsis etiam Ecclesiasticis, cum nec ipse *Defensio Bellar. ad locum ex 1. Cor. 6. Rejicitur.*

N 3 contra

contra Felicem & Imperatorem de foro non competente exceperit. Rectè igitur Thomas hoc loco: *non potuisse Apostolum prohibere, quin fideles sub infidelibus principibus constituti, eorum judicio compareant, si vocentur: quia hoc esset contra subjectionem, quæ debetur principibus*, quæ verba Thomæ, quasi à Barclajo non allata, tacitis velis prætervehitur Bellarminus, & tantum ait: *D. Thomam sibi non repugnare*, de quo supra vidimus. Quod vero Barcl. ex verbis Thomæ asserit, non potuisse Apostolum contra jus naturæ & divinum dispensare aut statuere, id sic eludit:

Alia defensio. *Postquam enim magistratui aut principi potestas ablata est, per superiorem, ut quando Rex incidit in proscriptionem Ecclesiæ, subditos aut liberos esse ob obedientia, quam ex jure divino & naturali, non personæ debebant, sed potestati jam ablatæ.* Et in hoc aberrasse addit Barclajū, quod non demonstraverit prius, non posse potestatem à principe per superiorem auferri, quasi non eò eat totus Barclaii discursus, & quasi non plurimis argumētis ubiq; probaverit, pontifici jus auferendi principatus & regna non competere, cū non sit superior in jurisdictione temporali, sed inferior & subjectus, quod argumentum hîc solvere, & non tacito pede præterire debuisset Bellarminus. Con-

Rejicitur. fitetur autem hîc, contra propriam confessionem, principibus & Regibus dari superiorem potestatem, & quidem si exemplis sua constat veritas, temporalem, quia patriæ & herili potestati, aut magistratui subordinato, legē dare & auferre non posset princeps, nisi sub jurisdictione sua eos contineret. Jam verò Papa, quatenus Papa, potestatem non habet supra Reges, quia de jure subjectus est, tam divino, quam humano, aut quia exemtus est beneficio & liberalitate principum, nihil ipsi curatio est in regno, aut ditione aliena. Proinde, cum ex confessione Sanctorum patrum, principe absoluto nihil sit superius, non potest ullo jure principatus ipsi à potestate terrena auferri, imprimis, cum nec Apostolus hoc fecerit, eo in loco, ubi de constitutione Christiani judicii præcipiebat. Quid verò putas, dicturum fuisse Paulum, si in ea servatus fuisset tempora, quibus lites jam in Ecclesia judicabant Christiani principes. Satius, inquit, est & Ecclesiæ honorificentius, ut vel omninò lites inter vos non feratis, vel obortas potius inter vos suffocetis, quam ad externum judicem, indignumq;, cujus dicto Christianus, qui vel Angelos judicaturus est, audiens esse debeat, temerè profugiatis, quæ res non potest non vehementer in vestram cedere ignominiā. Non igitur vetat, ne Christianum, licet vitiis quibusdam inquinatum judicem, adeant, sed ne Ethnicum: nec prohibet, ne vocati eant, sed ne se eò proripiant, præterito & neglecto judice Ecclesiæ. Nullis igitur principibus potestatem aufert Paulus, nullos novos judices constituit in præjudicium legitimæ potestatis, nulla potestate directa vel indirecta aufert jus suum ordinariis magistratib. propter infidelitatem, sed qua autoritate jussit antea

omnes Christianos obedire potestatibus superioribus, eadem præcipit, ut arbitriis suis intra pomœria Ecclesiæ malint controversias suas terminare, quàm apud Ethnicos, in opprobrium religionis propalare. Ut autem vocati non compareant, quod sub pœna æternæ damnationis suæ factionis subditis Pontifices injungere solent, aut ut arma contra vocantes in manus sumant, nec Apostolus præcipit, nec præcipere potuit, cum ea rebellio vergeret contra subjectionem principibus debitam, ut ait Thomas *in comm. d. c. 6*.

Redeamus igitur ad eum locum, cui palmarium in hac palæstra tribuit Bellar. & audiamus argumẽtationes, quas inde deducit quod Petro dictum est: *pasce oves meas.* Nam quia triplex est officium pastoris: circa *Lupos*, circa *Arietes*, & circa *Oves* reliquas, ex triplici Analogia triplex deducit argumentum, quæ priusquam examini subjiciamus, Analogia ipsa perpendenda venit, utrum ab officio pastorum & qualitatibus ovium quæcunq; deducta argumenta valeant. 25. *Consideratur locus ex Iohanne.*

Traditum autem est à Logicis, quod in similitudine ex[illegible]da non sit identitas, seu convenientia per omnia, sed in eo tantum genere, in quo instituitur comparatio. Quando verò comparatio instituitur inter oviariam & Ecclesiam, à re corporea producitur comparatio ad rem spiritualem, quia Ecclesia typum gerit oviariæ spiritualis. Sicut igitur ovibus, in Ecclesia præbetur pabulum spirituale: Luporum atrocissimus spiritualis est, sc. Diabolus ipse qui in hæreticis & Infidelib. efficaciam suam exercet: Ita nec de potestate, aut armis aliis cogitandum est, quam spiritualibus, quia carnalia, præterquam quod Ecclesiæ non competunt. Lupos quoque non terrent, quia Diabolus non expugnatur gladiis & hastis, nec hæresis p ofusione cruoris expiatur, sed si potestate armata sit efferatur magis & evadit ferocior, quemadmodum non tantum Gregorius VII. Innocentius IV. Clemens VI Johannes XXII. Bonifacius IIX. Julius II. olim experti, partim cum maximo suo, partim Ecclesiæ damno, sed nostra quoq; memoria Clemens VII. Paulus III. & Pius V. quorum exemplo cautior factus Paulus V. rigorem solitum quẽ Venetis è longinquo ostenderat, mitigare maluit, quàm Italicos quoq; reditus suos in discrimen adducere. Stultus enim sit, qui Lupum, cui debellando nequeat esse, irritare malit, quàm declinando, cum copia detur, per ambages circumire, & ut nautæ balænas solent, aliis artibus eludere. Hæc si rectè considerentur, jam primo statim impetu concidit fundamentum, cui innituntur omnia Bellarmini argumenta, quod scilicet pastori Ecclesiæ tribuenda sit omnis potestas, quæ tribuitur pastori ovium, quod idem fundamentum substernit Bellarminus secundæ quoq; suæ rationi *in c. Eod.* quando comparat Ecclesiam Reipub. perfectæ, & hinc pergit concludere: *Sicut perfectæ Reipubl. competit omnis potestas necessaria ad finem*

Bellar. transiit limites similitudinis.

Solvitur etiam argumentũ secundum Bellarmini.

adfinem suum consequendum: Ita & competere debet Ecclesia, quia & ipsa perfecta est. Utrumque solvitur 1. ut declaratum fuit. Ne enim ultra cancellos similitudinis prorumpamus, concedimus Ecclesiam esse Analogicè Rempubl. & quidem perfectam, sed spiritualem. Non potest igitur alias potestates sibi deripere, quam spirituales & tum perfecta censetur, quando dotata est omni potestate, quæ spiritualem vel Rempubl. vel ovjariam conservare idonea est. 2. Unaquæque res tum perfecta est, quando continet omnes gradus perfectionis, qui sibi competunt. Nec enim homo imperfectus est, quia destituitur perfectione Angelica, aut quia non gerit cornua, quæ est perfectio Bovis, aut cervi, quoniam tales perfectiones essentiæ humanæ non conveniunt. Pariter Ecclesia propterea non est arguenda imperfectionis, licet non possideat regna mundi, aut utatur potestate temporali, quia temporalia ipsi non conveniunt magis, quàm cornua aut plumæ homini. Paulò secus Anton. de Rossel. *part. 1. c. 46. Qui habet principale, habet & consecutiva: Nisi alteri sint disposita. Sed administratio humanarum legum & [illegible] Deus distribuit per principes & Reges, non per Pontifices. 8. dist. c. quo jure. 9 [illegible] c. si imperator & c. duo sunt. Ergo non Pontifex &c. Pro hoc, quia concessio sequentium esset impedimentum concessionis principalis, id est, administratio temporalium esset impeditiva concessionis Spiritualium, ut pluries est dictum. Igitur non venit in consequentiam, id quod esset impedimentum, principalis &c.* 3. Negatur, potestatem & imperium Politicum per se esse necessarium ad assequendum finem Ecclesiæ, seu salutem æternam, quia ad defensionem membrorum Ecclesiæ comparatum est, non ad propagationem fidei. Fides enim per arma, & pœnas corporis vel bonorum non propagatur, sed tum maximè efflorescit, quando maximè premitur. Ecclesia nunquam extitit perfectior, quàm cum ejus præsides à potestate hac prorsus abstineret, & patientia Tyrannorum sævitiam frangerent, potius, quàm immodesta arrogantia. Confert quidem etiam externa disciplina, & coërcitio magistratus aliquid, sed distinguendum est inter ea, quæ sunt absolutè necessaria, & quæ propter melius, *Necessariaq;* vocantur Metaphysicis *ob expeditiam.* Nam & religionis veræ sincerus cultus plurimum facit ad tutamen Reipubl. imò plus, quàm vires principis ad tutamen Ecclesiæ, dum hæc corpus tantum cogunt, & metu corporis animum: illa verò ipsam animam ligat, & metu æternæ jacturæ obstringit subditos ad obedientiam. Quod si jam confusè & generatim propositum Bellarmini argumentum repetendum sit, non magis poterit Ecclesia sibi arrogare imperium in Rempubl. quàm hæc sibi viceversa in illam. Utrobique enim eadem ratio. Utrobique indulgendum erit. quicquid facit, quocunque modo ad finem obtinendum, & quia Resp. sine religione & metu Dei subsistere nequit, hujus quoque jura adjudicanda erit magistratui Politico, quod illibenter Bellarminus

Quid sit perfectio rei.

Duplex necessitas.

minus admittet, & tamen ex eadem consequentia sequitur. Imò, ut amplius absurditas consequentiæ patefiat, consideremus patremfamilias, qui quidem omnibus debet esse instructus instrumentis, quæ faciunt ad finem familiarum procurandum, sed Politicum tamen imperium invadere non potest.ad cogendum debitores,& pignora,depositave dimittendum, licet hęc ad ampliandas possessiones videantur necessaria. Consideremus ipsum sacerdotem, qui quidem omnem movere debet lapidem, nec quicquam omittere eorum,quæ faciunt salvandis animabus auditorum, quia & ipse tenetur Deo reddere rationem pro peccatis ovium sibi commissarum: sed tamen vi neminem in templum compellere potest, nec pro autoritate imperare, ut pertrahatur:nec, licet videat infantem non adductum iri ad baptisma, nisi ex utero execetur, ipsius propterea est manum laboranti puerperæ admovere & uterum aperire. Tantùm quippe ipsi laborandum est pro salute animarum, quantum religio & professio ejus patitur: cætera relinquit magistratui & Medicis. Licet enim mutuas sibi præstent operas, Respubl. & Ecclesia: tamen altera alterius limites idcircò sine religione invadere nequit,perinde ut in iis evenire videmus oppidis, quæ duplici divisa sunt jurisdictione. Si enim controversia aliqua incidat coram judice Ecclesiastico, quæ terminari non possit, nisi per testimonia coram seculari magistratu deponenda, aut non sine actu aliquo jurisdictionis secularis, an ex præscripto Bellarmini totum negotium, omnes actus ad unum judicium Ecclesiasticum rejiciemus, & de quo sæpe conquesti sunt Hispani, propter juramentum appositum, omnia juramento confirmata negotia, referemus ad forum Ecclesiasticum? Certè perfectæ rei omnia tribui debent necessaria ad finem obtinendum,quantùm fieri potest. Sed quæ salvo jure fieri non possunt,ne quidem fieri posse credendum est. *l. filius. 15. de cond. instit. l. nepos proculo de V. S. c. faciat homo. 22. q. 2. c. fin. de rescript. in 6.* Atque hoc primum est, in quo fundamentum argumentorum Bellarmini impingit.

24. *Lupi & hæretici quid differunt.* Altera dissimilitudo pullulat ex diversitate eorum,quæ inter se comparantur. Nam ut à *lupis* ordiamur, cum hi tota sua natura sint infesti tam ovibus,quàm hominibus,& tantùm ad damnum parati, possunt licitè non tantum à pastoribus, etiam antequam ovile invadant, ad declinandũ metum futuræ invasionis, sed à quovis obvio, quocunque modo, sive aperta vi; sive clandestinis artibus capi & transfodi. Si jam eandem potestatem in Hæreticos & Infideles,ex vi similitudinis habet Papa, non tantum potestati à regno ; sed & à vita degeneres principes dejicere non tantum legitima via & apertis armis sed & astu,clanculum, & per sicarios, quod an sit concessurus Bellarminus, ipse viderit: Certè ex similitudinis applicatione,quã exhibet Bellarminus omninò sequitur, & jam consequens hoc aliquoties

in Belgio contra principem Auraniæ, in Galliis, contra Henricos III. & IV. in Anglia & Scotia, contra Elisabetham & Jacobum I. in praxin deductum fuit.

Discrimen secundū. Deinde Lupi non fuerunt, nec possunt esse de grege: Sed Hæretici, ut defecerunt ab Ecclesia, ita ad eandem redire possunt, meliora edocti, aut Deo ducente, in regiam viam reducti, quod cum non sit sperandum de lupis, nulla causa est, quare in his arcendis ab ultimo remedio abstinere debeamus, & emendationem expectare, quàm frustrà expectaremus.

Discrimen tertium. Denique si lupi major esset vis, quàm pastoris, malè consuleret sibi pastor, & injuria spoliaret ovile suum custode, si in discrimen se contra eum temerè projiceret. Sed potentia Principum terrenorum semper major est, quàm Papæ: ideoque eos Papa nunquam adoriri potest, nisi cum sua & Ecclesiæ seu ovium pernicie. Nam & ipse Gregorius in exilio, & Julius in carcere, uterque ex mœrore animi mortuus est, & Otto Frisingensis *libr. 6. Chron. cap. ult. tot mala, tot schismata, tot tam animarum, quam corporum pericula, illius tempestatu*, qua ex culpa Gregorii *Rex super Regem, Papa* positus fuit *supra Papam, turbinem involvisse scribit, ut solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miseriæ infelicitatem sufficeret comprobandam. Vnde à quodam Ecclesiastico scriptore densissimis Aegypti tenebris comparatur.* Trithem. verò *in Chron. Hirsaug. an. 1244.* Fridericum II. scribit, post trajectionem in Italiam, *tantis malis Papam & subjectos illi populos afflixisse, ut Pontificem vivere taderet, voluissetq; se nunquam de positionem ejus cogitasse.*

Quid interfit inter arietes & malos principes. *Arietes*, quibus assimilat Bellarm. *principes Catholicos quidem fide, sed adeò malos, ut multum obsint religioni & Ecclesiæ, ut si Episcopatus vendant, Ecclesias diripiant*, plurimùm differunt à malis principibus, quia arietes prorsus sunt sub manu & regimine pastoris: Sed principes non tantùm, quatenus temporale dominium exercent, non subsunt pastori animarum, sed & in eundem potestatem habent, & non minus vocantur pastores, quàm Ecclesiastici, imò sunt pastores pastorum, & defensores totius ovilis. Esto igitur, habeat jus pastor ovium disponendi de Arietibus: non tamen pastor Ecclesiæ habebit jus disponendi de principibus deviantibus per omnia, quia per omnia ipsi non subsunt, sed in temporalibus quoque præsunt. Arietibus quoad subjectionem, nulla prærogativa præ cæteris ovibus data est: sed principes à vi coactiva tutos præstat Majestas, divino jure firmata.

Quid inter pastores ovium & Ecclesiæ. Denique, si *pastores* ipsos conferamus, pastor ovium contra corporales hostes non pugnat nisi corporalibus armis pro corporibus ovium, sed pastor Ecclesiæ contra Spirituales hostes pugnat, pro animabus suarum

ovium

ovium, quod quia exequi non poteſt carnalibus armis, *2. Corinth.* 10. *ad Epheſ.* 6. fruſtrà ea uſurpat, cum debeant arma, hoſtes & bellator eſſe in eodem genere. Nam ſicut ille non utitur armis Spiritualibus: ita nec hic utetur carnalibus.

Deinde notat VVidringt. *in Apol. nu.* 339. aliud diſcrimen, inter paſtorem, qui ſimul eſt Dominus gregis & inter eum, cui tantum commiſſa eſt cura paſcendi. Ille enim mactere poteſt oves ſcabie infectas, nec non ſternaces arietes, quia eſt Dominus, ſed hic tantùm ſegregare, quia ampliorem poteſtatem à Domino non habet. Cum autem paſtor Eccleſiæ ſuæ tantùm curæ creditas habeat oves, ad præſcriptũ veri domini, cujus oves ſunt propriæ, paſcendas, non poteſt in degeneres pro ſua libidine graſſari, aut Arietes quocunq; modo è medio tollere, quia præceptum expreſſum à Domino non recepit. Licet enim Laban Jacobo commiſiſſet gregem: tamen non licebat ipſi eum diſtrahere, aut mactare pro libitu, quàm tamen poteſtatem Bellarm. ex ſola ovium traditione, Petro his verbis facta: *Paſce oves meas,* elicere nititur, non advertens interim, eadem conſequentia parem, aut etiam majorem poteſtatem tribui principibus, quia cum ſint paſtores populorum, ut de Cyro, *Eſai.* 44. & Davide 1. *Paral.* 11 dicitur, nulla iis poteſtas deeſſe debet adverſus eos, qui Remp. impugnatum vel deſtructum veniunt, & cum plurimùm huc faciat excommunicatio, ea quoq; vi argumẽti principibus tribui debet. Bellarminus ubiq; excipit, *contra Barcl* quod temporalia quidem ſubordinentur Spiritualibus, ſed Spiritualia non ſubordinentur temporalibus, quod directò repugnat verbis Nicolai. *in d. Ep. ad Mich* qui ait: *Põtifices pro curſu temporalium rerum Imperialib. legibus uti, quatenus Spiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus.* Si enim princeps eſt nutritius & defenſor Eccleſiæ, oportet ipſum eatenus Eccleſiam ſibi ſubordinatam habere, quod innuit Iſidorus, *intra ipſam Eccleſiam nonnunquam principem gubernationis culmina adeptum* ſcribens. Ita enim ſe habent diſciplinæ, ut fines. Atqui Eccleſia in hac terra ſubjacet paci, & regitur legibus humanis, quatenus non ſeparatur à Republ. atq; ita ſalus Eccleſiæ, defenditur à Republ cui ſecundum quid, quoad defenſionem, ſubordinatur. Pax enim Reipubl. præbet quoq; pacem Eccleſiæ. Sed ſicut propter hanc ſubordinationem ſecundum quid, Reſpubl. nequit ſibi arrogare dominium Spirituale: ita nec Eccleſia corporale, quia ſejuncti ſunt cancelli utriuſque ditionis & non ſubordinatur una alteri ex integro, ſed reſpectivè tantum & ex parte.

Diſcrimen ſecundũ.

Principes quoq; ſunt paſtores unde argum: invertitur.

Exceptio Bellar. ãretertitur.

Proinde Bellarmini argumenta, licet ſubtracto fundamento per ſe concidant, tamen ſemper plus afferunt in conſequente, quàm ex Antecedente ſequitur. Nam quando ait: *Si princeps ex ove aut ariete fiat lupus, id eſt, ex Chriſtiano hæreticus, poterit paſtor Eccleſiæ eum arcere per excommunica-* 25.

Examinatur prima ratio ex officio paſtoris contra Lupos.

 tionem,

tionem, & simul jubere populo, ne eum sequatur, admittere possumus omnia, cum sana interpretatione, nisi fucum facere cupiat in verbo: *Sequendi*. Prohibere quippe potest, ne sequamur malum principem in hæresi & malitia, idque ex vi consequentiæ deducitur, sed ne sequamur eum justa imperantem, prohibere nequit, quia etiam Tyrannicis Dominis, quatenus Tyrannicè non imperant, sed legitimæ potestatis particulam retinent, obedientiam jubet Petrus exhiberi, id quod sæpius repetivimus ex Augustino, jubente distinguere inter ea, quæ sint Domini temporalis, & quæ æterni, item ex Hieron. qui ait *ad Tit. 3. super illud: Admone illos principatibus & potestatibus subditos esse: Si bonum est, quod præcipit Imperator, jubentis obsequere voluntati: si verò malum est, & contra Deum sapit, responde illi de Actibus Apostolorum: Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus.* Lupi quidem vestigia nunquam tutum est sequi, quia semper ducit ad perniciem: Sed princeps, qui hæreticus est, justa quoque & bona præcipere potest, qualia plurima de Juliano referuntur *ab Ammian. Marcell.* & in eo non est deserendus, quia non vadit, ut lupus, sed ut legitimus princeps.

Bellarm. effugium. Consequens igitur, quod subnectit Bellarmin. ex antecedente non sequitur: *Proinde posse pastorem Ecclesiæ privare principem dominio in subditos.* Transfertur enim argumentum à genere in genus, à jurisdictione Spirituali ad Temporalem. Nam si id genus consequentia attexere fas est, non minus verisimiliter colligendum erit, licere cuivis Ecclesiastico seu pastori Ecclesiæ principem, non tantum hæreticum, sed & pervicaciter malum, perinde ut lupum, aut sternacem arietem, vi vel per insidias interficere. Sed quod nec hoc sequatur, nec illud, facilè apparet, si major terminus idem repetatur in conclusione, qui positus fuit in majore. Bellarm. quidem vitium tacitè confitetur, sed brevitatem suam excusans, *non*, ait, *sibi propositum fuisse, ut in Scholis, syllogismos propriè formare secundum figuras & modos, sed more Theologorum vim rationum explicare. c. 30. contr. Barcl.* *Bellarm. effugium.* An igitur more Theologorum vestrorum, licet plus inferre in conclusione, quàm ex præmissis sequitur? Nam, quamvis in modo & figura non proponatur Syllogismus: tamen candidi disputatoris non est, detruncato modo, aut dissimulata figura, plus colligere, quàm sequitur. Majorem enim propositionem, sic proponit: *Pastori potestas necessaria est circa lupos, ut eos arceat, omni ratione, qua potest.* Ergo in conclusione vicissim inferri debebat idem major terminus: Ergo *Pontifex tenetur arcere hæreticos, omni ratione, qua potest.* Iam verò ea ratione, quæ in consequenti exprimitur, non potest, quia non potest privare Spiritualis judex quenquam dominio illius, quod non dedit, nec valet jurisdictio ejus, qui ultra jurisdictionem imperat. Sicut enim pastor ovium, non potest pro imperio cogere vicinos, ut insequantur lupum, quia potestas illa publica est, privato non competens: Ita nec

26. *Papa non potest pœnam inferre temporalem.*

Spiri-

Spiritualis pastor, saltum facere potest de foro in forum, quia temporalis jurisdictio, & temporalis pœna, eius personæ non competit.

Alibi verò videtur Bellarm *c.* 12. § 3. *contr: Barcl.* hoc argumentum velle effugere, quando potestatem Pontificis dicit quidem esse in *Temporalibus*, sed non *Temporalem*, quia ex consecutione sequitur tantum ad jurisdictionem Spiritualem; Sola igitur consecutio seu cohærentia mutat naturas rerum, & quod ex se temporale erat, quia incipit cohærere cum Spirituali, pristinam essentiam exuit & evadit Spirituale. Quàm citò omnia liceret Bellarmin. facere Spiritualia. Sed quod id fieri non possit, ex distinctione potestatum patet. D. enim Thomas omnem potentiam distinguit per *actus & objecta*. Hæc verò potestas, quæ consequi dicitur ad Spiritualem, objectum habet terrenum, & actu constat terreno. videl. abdicatione à regno, quæ pœna manifestè temporalis est, sive per abdicantem in actum deducatur, sive per alium, cui is mandatum dederit, quia & per seipsum facit, quod quis per alium facit. Spiritualis enim magistratus nihil auferre potest, nisi quod per ingressum in Ecclesiam tribuit, nimirum novum jus ad regnum cœlorum, ut ipse Bellarm. confitetur *in c. 3. arg. 2. l. 5. de Pont.* Princeps igitur deponendus, & depositio ipsa. cum ad temporaralia pertineant, quæ in iis versatur potestas, non potest non temporalis esse. Præterea non potest privari Dominio princeps à pastore Ecclesiæ, quia superior potestas id prohibuit. Si enim vetitum esset ex causa lupos occidi, posito, quod princeps id licitè vetare possit, pastor excusatus esset, quia incursantem lupum non tolleret. Iam verò vetuit divina Majestas principem deponi, sive obedientia eiusdem subtrahi subditos, quia si orandum est etiam pro Ethnicis principibus, ut tranquillam sub iis vitam vivamus, *Ierem.* 29. 1. *Timoth.* 2. non sunt cum perfidia deserendi, sed, ut inquit August. obediendum est terrenis Dominis propter Dominum æternum, quod Christus ipse fecit, quod Apostoli. quod milites Juliani & Constantii; quod Nazianz. Gregorius M. Ambrosius & tota primitiva Ecclesia, adeò, ut obedientiam magistratui debeamus propter conscientiam & ex jure divino simul & naturali. Contra hæc verò jura & in detrimentum conscientiæ non licet Pontifici dispensare, ut sæpe objicit Barcl. & Bellarminus non aliter solvit, quàm tam diu subditos obligari principi, quàm diu princeps manet, postquam verò à superiori, ipsi principatus aufertur, ut ipse desinit esse princeps, etiam subditi desinunt debere subjectionem.

Aliud effugium Bellarm. repudiatur.

Potestas in temporalibus non temporalis ardetur.

Aliud effugium eiusdem occluditur.

An Papa ex principe possit facere non principem.

Operæ pretium autem est videre, quoties hìc petat principium Bellarminus. Nàm, si quæratur, utrum possit pontifex facere, ut Monachus possideat propria & habeat uxorem, prius inquit Bellarm. facit, ne sit Monachus: si quæratur, utrum ex dispensatione Papæ quis possit duas simul

habere uxores, prius jubebit priorem abdicare, & matrimonium, quod Deus copulavit, dissolvet, prout sæpius nimis Papaliter in his causis dispensatum, proh dolor, scimus: si quæratur, utrum filio liceat arma arripere contra patrem: aderit Pontifex, qui parentem hæreticum declarabit non esse patrem, & hoc prætextu aperiet fenestram parricidiali nequitiæ. Perinde enim controversum est, utrum Papa possit facere ut Monachus, qui se voto semel obstrinxit, non sit Monachus maritus, qui legitima copula sibi junctam habet uxorem, non sit maritus, pater, non pater, & princeps, qui regnum nulla justa ex causa amisit, non sit princeps. Princeps enim & subditi, cum sint correlata, se mutuò ponunt & tollunt, & perinde est quærere: Utrum princeps possit deponi à solio, & utrum subditi possint eximi obedientia Nam Bellarminus *in d. arg. 1.* ex posteriori infert prius: *Potest*, inquit, *Papa prohibere, ne subditi sequantur principem, & proinde eum privare Dominio in subditos*, cum tamen, ex verbis & sensu hujus responsionis, ex contrario potiùs debuisset ex privatione regni inferre ad absolutionem subditorum à fidelitate. Sed non minus illud, quàm hoc invertit jus divinum, quia de jure divino & naturali nemini potest jus suum auferri sine causa; de jure divino propter hæresin aut alia vitia nemo cadit de regno: de jure divino nemo mortalium tollere potest, quod immediatè dependet & datur à Deo: de jure divino & naturali par in parem non habet imperium, multò minus inferior in superiorem. Demonstratum verò fuit supra, etiam ipsos Apostolos & omnes Episcopos, ipsum etiam Romanum de jure divino subesse potestati temporali, à quo totaliter non nisi de facto exemti sint. Qui poterit igitur temporale imperium Regibus auferre, qui ipse temporali potestati, quatenus terrenus est, subjicitur? Licet igitur auferri possit regnum, ab iis, à quorum autoritate sub Deo dependeret, tamen non potest à Papa, quia non est superior, nisi in Spiritualibus: nec ex causa infidelitatis aut hæreseos, quia non sufficit ad privationem regni, cum peccatum sit Spirituale, & nequeat corporali pœna castigari ab eo, cui potestas castigandi non competit. Alterum Bellarmini ex præmisso & subruto fundamento argumentum sic deducitur: *Potest princeps arietes furiosos destruentes ovile separare & recludere. Princeps autem est aries furiosus, &c. Ergo poterit pastor Ecclesiæ eum recludere, vel redigere in ordinem.* Verbum *recludere, in c. 33. contr. Barcl.* protestatur se accipere pro *includere*, ut sensus sit pastorem posse cornu ferientem Arietem aliquo includere, ne amplius præcedat gregem. Nam si per verbum *recludere*, separationem vel exclusionem intelligeret, totum argumentum facilè concederetur, quia per excommunicationem secluditur autoritate pastorali à grege & ovili Domini. sed is aliud quid majoris momenti inde elicit. *Non enim*, inquit, *Pastor arietem furiosum solùm excludit à grege, sed alligat & recludit.*

27. *Secunda ratio ex officio pastoris circa Arietes. Et ejusdem confirmatio.*

cludit, sive includit in aliquo angulo, ut non possit amplius Dux esse gregis: Et ad huius pastoris similitudinem successor S. Petri, & vicarius Christi principem Christianum destruentem Ecclesiam, alligat vinculis excommunicationis & quodammodo includit in angulum, dum non sinit, ut regat amplius populos Christianos. *Dejicitur.* Principio repetenda est dissimilitudo, quæ est inter brutos Arietes, & principes degeneres, quia in eos imperium est Domino & pastori, in hos, quoad sunt terreni principes, minimè. Proinde illi non tantum includi aut durius tractari possunt, sed etiam prorsus vita privari, quod imperium Papa in principes de facto sibi sumere, saltem verbis, nondum ausus est. Præterea includit pastor arietes, *quantum potest*. Sed pastor Ecclesiæ non potest includere principes, quia destituitur potestate ordinaria & legitima. Deinde, per extortam suam interpretationem, (de qua procul dubio ante non cogitavit, quia quod ante omnia debuisset facere, quodq; primariò sequitur ex argumento, ut vi princeps degener excluderetur ab ovili, in conclusione non omisisset) eò cogitur evadere, ut principem per excommunicationem, quæ nihil est aliud definientibus ipsis Pontificiis, quàm *separatio Christiani à communione Ecclesiæ*, fingat quasi in angulum includi, qui nec à nobis pervestigari, nec ab ipso explicari potest. Excommunicatus, inquit Christus, *Matt.* 18. sit tibi *tanquam Ethnicus & Publicanus*. De inclusione verbum nullum: Nec enim Corinthius exclusus à Paulo, in Vtopiam, aut in Insulam aliquò ablegabatur, perinde ac si excommunicatio esset relegatio, ad certum aliquem lapidem, ut apud Roman. ultra quem pedem proferre nefas. Excommunicatio separat & excludit: quomodo verò includat, quod *recludere* vocat Bellarmin. à nemine huc usque fuit exploratum, nec is effectus excommunicationis per se, quæ tantum separat à communione Ecclesiæ. Denique, ut in priori, ita & in hoc argumento confundit duplices jurisdictiones, & limites similitudinis supergreditur. Nam quòd dicit: *Non sinit pastor Ecclesiæ, ut princeps degener amplius regat populos Christianos* si de regimine ovium in ovili Christi intelligatur, rectè conceditur, quia id regimen ne pius quidem princeps sibi usurpare debet, nisi in causa, ut explicatum fuit à nobis alibi, sed malè accommodatur, quia, qui non usurpavit regimen ovilis, non potest ab eo excludi. Abire quippe non potest, qui nunquam venit. Rectiùs verò, quadrat in prælatos ipsos, qui præsunt Ecclesiæ, & propter maleficia ab officiis removeri possunt, ut degeneres arietes, ne sint ulterius gregis duces. Si verò transferatur ad regimen Politicum, qui scopus est Bellarmini, turpiter confunditur similitudo. Arietes enim removentur, ne sint duces gregis illius, in quem cornibus incursarunt: Sed principes removentur, non, ne sint duces gregis Ecclesiastici, quòd illi non ambiunt, sed ne sint duces suorum subditorum in Republ. Respubl. verò & Ecclesia seu ovile Domini,

sunt:

sunt res propriis actibus & limitibus distinctæ, nec remotio ab Ecclesia, magis removet aliquem à Republ quàm relegatio separat à communione Ecclesiæ. Nova enim hæc Pontificum doctrina è diametro repugnat doctrinæ D. Petri. Petrus enim etiam pravis Dominis, à quibus injusta patiuntur, jubet subditos obedientiam præstare: Successor eius negat principi degeneri deberi subjectionem, quia atrocis arietis instar removendus est ob ovili, ne per errorem quis eius vestigia amplius sequatur. Cur autem Petrus ipse non usus est tradita sibi potestate solvendi, & potius Dominis pravis abrogavit imperium, quàm, ut patienter injuriam illam ferre juberet?

Ratio ab Ovibus. Superest argumentum tertium: *Pastor potest ac debet oves ita pascere, ut eis convenit. Ergo potest ac debet Pontifex omnibus Christianis ea jubere, adq; ea cogere, ad quæ quilibet eorum secundum statum suum tenetur, id est, singulos cogere, ut eo modo serviant Deo, quo secundum statum suum debent. Debent autem Reges Deo servire defendendo Ecclesiam, puniendoq; hæreticos & schismaticos. Ergo potest ac debet Regibus jubere, ut hoc faciant, & nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliasq; commodas rationes.* *Diluitur.* Hoc argumentum candidè in conclusione repetit limitationem majoris termini, ideoque si pro Pontifice, qui solus pastor non est, pastorem Ecclesiæ in genere substituas, non video, quid inde concludatur contra negantes potestatem temporalem Ecclesiæ, vel pro opinione Bellarmini. Concedimus enim ab utraq; parte admonendos & cogendos esse principes excommunicatione, & aliis commodis rationibus: Sed si subsumat Bellarm. *c. 36. in fi contr. Barcl.* commoda ratione privari principes suo dominio, negamus subsumtionem, quia nulli Regum unquam obrogatum fuit regnum, sine scandalo & detrimento Ecclesiæ: nec remedium incompetens unquam commodum dici potest.

29. Indirecta potestas aliis argumentis impugnatur. Quod verò depositio regum, & Abdicatio à regnis non competat saltem indirectè Ecclesiæ, licet jam supra demonstratum sit, tamen his quoque argumentis porrò stabilitur 1. Quia virtus & fides sua nemini debet fraugi esse. Alias, ait Bellarm. *c 3 lib. 5. de Pontif. obesset regibus Christi beneficium, & gratia naturam destrueret.* Esset autem fraudi, si principes ad Christianam religionem conversi potestatem summam perderent, & superiorem admittere cogerentur, quia non manerent absoluti principes. Nihil hìc respondet Bellarm. *c. 2. contr. Barcl.* sed tantum *c. 8. Eiusd.* super jactura potestatis regiæ consolatur principes, ne eam molestè ferant, cum hac jactura lucrentur possessionem æternam. 2. Deterior quoque fieret conditio principum, quàm privatorum, quia hi per baptismum bona sua non subjiciunt Ecclesiæ. Quod respondet Bellarm. *c. 3. contr. Barcl.* de Apostolo Paulo, mercedem exigente ob prædicationem Evangelii, *1. ad*

Cor. 9. & judices constituente, 1. *Cor.* 6. jam abundè supra refutatum fuit. 3. Si licet Papæ, vi consecutionis & propter cohærentiam cum bono spirituali, invadere pœnas Politicas & privatione regni principes multare, ejusdem consecutionis prætextu aut autoritate, licebit eidem vitæ jacturam inferre & jugulum principibus petere: nec obstabit, quod pæna sit temporalis & cruenta, Ecclesiæ non conveniens. Nam consecutio ex temporali potest facere Spirituale. Sic enim Bellarm. *c.* 12. *contr. Barcl.* §. 3. ratiocinatur, privationem regni esse quidem pænam in temporalibus, sed non temporalem, si proficiscatur à Pontifice in ordine ad Spiritualia. Si tanta vis est consecutionis, jam poterit Papa judicium sibi sumere de quibusvis feudis, vel propter interveniens juramentum, vel si successor fortasse sit de fide suspectus, aut si commodius visum fuerit Ecclesiæ, ut hic succedat, quàm ille. Philosophica quæstio, Philosophicis argumentis disputata, etiamsi ad finem Theologicum adhibeatur: tamen Theologica propterea non evadit. Sic nec potestas temporalis abit in Spiritualem, licet hujus fini subordinetur, quia æstimatur non ex respectu accidentario, sed ex veritate suæ naturæ. 4. Principe absoluto in temporalibus nihil est invenire superius, ut docent Sancti patres. Esset autem, si Pontifici liceret ipsum temporaliter judicare. Nec quicquam pro Bellarmino facit exceptio, quod directè quidem non habeat superiorem, sed indirectè. Nam 1. Tam insciti non fuerunt patres, Ecclesiæ non minus, quàm Reipub. studiosi, ut si exceptionem hanc indirectæ potestatis agnovissent, eam tam obstinatè reticere voluissent, nec vel uno saltem loco exprimere. Quin & Innoc. *in c. per venerabilem, qui fil. sint leg.* etiam respectu Papæ negat Regem habere superiorem, & Clamens V. *in c. meruit Extrav. com. de privil.* revocat, quod Bonifac. *in c. unam sanctam de maj. & obed.* Regem Galliæ indirectæ suæ potestati subjecisset. Nam aut erràvit Bonif. *in d. c. unam* & sic totum rescriptum nullum erit, quod negat Bellarm. *c.* 2. *contr. Barcl.* aut locutus est de potestate indirecta, secundum Bellarm. Et tamen hanc legitimam potestatem, legitimè sibi ab Innoc. abrogatam, audet successor in præjudicium Majestatis Papalis revocare & irritam pronuntiare. 2. Nihil refert, utrum quis directè alicui imperet, vel indirectè. Nam sæpe per indirectum plus obtinetur, quàm per directum, quod tamen jura ubique improbant. Sive autem directè imperet Papa, sive indirectè, semper se constituit supra principes & magis quidem hoc modo, quàm illo. Quia, si directè dominium sibi usurparet, nec sceptra regum prius subjiceret fini Ecclesiæ, religionis obtentu animos tantopere non terreret. 3. Directè & indirectè nihil designant nisi modos per quos acquiritur potestas. Indirecta enim competit per modum consequentiæ. Deme hunc modum acquisitionis, potestas eadem est, quæ aliàs competeret directè. Quocunq;

Tam improbè perit quis per indirectum, quam per directum.

igitur prætextu mitiget opinionem Bellarminus, principis omnes actiones subjicit Pontifici, cum omnia temporalia Spirituali fini subordinet, quia ubiq; intervenire debet Papa & prævidere, ne quid in præjudicium Ecclesiæ geratur. 5. Reddimus Bellarmino sua argumenta. 1. Indirecta potestas deberet constare aut ex scripturis aut traditione Apostolorum. Sed ex neutro, ut huc usque disputatum fuit. De traditione, ne ipse quidem verbum addit Bellarminus: Ex sacris literis non attulit. *5. de Rom. Pontif. c. 7.* nisi unum locum *Iohannis* 20. quem abundè refutavimus, ut & alterum, *Matth. 16. & 1. Cor. 6. & 9. Psalm.* 44 *&c.* Nicolaus tamen Sanderus *lib. 2. c. 4. de visib. Monarch.* ad quem *in fine capitis.* 7. nos ablegat Bellarm. prædictis adjicit exempla quædam ex sacris petita, quorum duo, inconsiderato proposito, transtulit Bellarm. *in pr. c. 8. lib. 5.* de Ozia & Athalia, & ne sacrarum literarum documentum aliquod omisisse videamur, horum quoq; vim & pondera operæ pretium fuerit ad limam revocare.

30. Exemplū Ozia lepra percussi & ejecti è templo.

30 Ab Ozia sic argumentatur: *Si propter lepram corporalem poterat sacerdos, ut patet ex Levit. 13. olim Regem judicare & regno privare, quare id non poterit modo propter lepram Spiritualem, id est, propter hæresin,* ut August. docet in qq. *Evang. lib. 2. q. 40. præsertim, cum 1. Cor. 10. Paulus dicat, contigisse Iudæis omnia in figuram.* Hoc à lepra tractum argumentum totum leprosum est, & nihil sani continet à talo ad verticem, nec timidius alibi respondit Bellarm. quam *cap. 37.* ad hoc exemplum. Nam & antecedens prorsus falsum est, recteq; refutatum à Barclaio, & consequentia nullo modo cohæret. Nam quod in Antecedenre dicit: A sacerdote judicatum fuisse Regem & à regno amotum. nullibi in historia Oziæ legitur. Lex quidem *Levit.* 13. dabat potestatem sacerdotibus judicandi de lepra, ut publico testimonio infecti à communione arcerentur: Sed Regem prohibitum fuisse à congressu publico & adactum in ædes privatas, jussu & potestate Pontificum, neq; 4. *Reg.* 15. neq; 2. *Paral.* 26. invenitur. Quin potius, ejectum ex templo, Oziam ultrò properasse ad domum privatam, 2. *Paral.* 26. additur, quia malum suum sentiebat inflictum à Domino: Sed licet de consilio & judicio sacerdotum abstinuisset Ozias à regia, tamen non à solo summo Pontifice, sed ab omnibus sacerdotibus, qui ingredientem comitati erant usq; ad octuaginta, judicatus fuit & ejectus è templo. De dejectione verò à regno, nullibi in universa scriptura fit mentio, quia separata habitatio non trahit secum privationem regni; sicut nec excommunicatio per se conjunctam habet privationem dominii, ut nomine reliquorū docet Francisc. Suarez. *tom. 5. disp. 15. sect. 2. n. 3* imò contrarium, quod per lepram nō exciderit autoritate & possessione regia, manifestè declarat Barcl. *c. 37. de pot. Pap.* quia 4. *Reg. 15. vers. 2. & 2. Paral. 26. vers. 3. Ioseph. 6. Antiq. c. 11.* dicitur Ozias regnasse annos 52. quo spatio comprehēditur & illa ætas, qua separatim habitavit, & tamen tum quoq; regnasse dicitur.

Refutatio Antecedentis.

Re-

Respondit Bellarm. *Oziam lepra percussum retinuisse quidem nomen Regium, sed in ane filium verò eius sine regio nomine Regnum cum plena potestate administrasse*, quod probat ex Joseph: dicente: *Oziam privatum vixisse in domo solitaria & filium eius Rempubl. administrasse.* Josephi verò autoritas potior non est autoritate sacrarum literarum, quæ tantùm dicunt, Oziam habitasse in domo privata & separata. 2. *Paral.* 26. *v.* 21. Nec aliter accipi possunt verba Josephi, quàm quod privatus, id est, sine administratione & actibus regiis vixerit, cum eum Regem mansisse dicat annos totos 52. quod & Lyra & gloss. asserunt *ad d. c.* 26. *Paral.* Verba enim in sacris literis accipienda sunt cum effectu, nec quando dicitur Saul regnasse, de nomine regio, sed regimine intelligendum est, cum verbum regnandi, actionem importet & potestatem significat. vim prius facere oporteret Bellarm. quàm regnum eriperet Oziæ. Apertè enim dicit, ipsum *coactum fuisse regnum renunciare filio: & à sacerdote regno fuisse privatum*, quod nunc meliora edoctus à Barclajo, interpretatur de auctoritate & non de nomine. Auctoritatem enim & potestatem omnem, recidisse ad filium, idque *coactum* fuisse patrem concedere *à Pontifice.* De Pontifice & coactione, ut paulò antè dixi, ne verbum quidem reperitur in sacris literis, nec verisimili aliqua consequentia inde deduci potest, quia ejectio è templo non infert privationem autoritatis regiæ. Quod si ab administratione abstinuit Rex, nullius sacerdotis jussu, id fecit, sed propria autoritate, quia alibi demonstravimus, nec coactum fuisse, nec cogi potuisse quenquam Regum Judæ ab ordinaria jurisdictione sacerdotum. Verum, quod omnis autoritas regia resignata fuerit filio, non tantum ex sacro contextu non elicitur, sed ex eodem evidenter redarguitur, quia administratio tantum tradita dicitur. 4 *Reg.* 15. *v.* 5. his verbis: *Ioathan filius regis regebat palatium Regis, & jus dicebat populo.* Rex enim etiam separatus domum & palatium habebat, cui præerat filius, non tanquam Rex, sed tanquam gubernator, & hoc nomine judicabat populum, quia verba eiusdem tenoris eodem sensu accipienda sunt, cum simul & non interrupta consequentia simul ponantur. Nam, & tutores & curatores, insanis, stupidis, & pueris regibus dari solent, qui administrant omnia, sed autoritate legitimorum Regum, penes quos tam diu manet autoritas, quàm diu manet proprietas regni. Proprietas autem & possessio regni mansit penes Oziam, Danæ. 6. *Polit. in Aphor.* ne de solo regio nomine id interpretetur Bellarm. quia mortuo demum Ozia, dicitur: 4. *Reg.* 15. *v.* 7. *Et regnavit Ioathan filius eius pro eo.* Quod situm demum successit: Ergo regnum mansit penes patrem, & cum regni possessione, etiam autoritas: Alias nec Joas aut Josias autoritatem regiam possederunt, cum pueri essent, & ipsi munia Regis non obirent,

Responsio Bellarmini.

Refutatur.

 Satis

Refutatio consequentiæ.

Satis constat de falsitate Antecedentis, pergendum est ad consequentiam, quam non superficie tenus, amba dedit, sed intus & in cute corrupit vitiorum profundissima calamitas. Stabilitur enim primum dicto Apostoli, 1. *Cor.* 10. ubi Paulus fingitur dicere, quod *omnia Iudæis contigerint in figuram.* Non enim universaliter loquitur, sed determinatè de iis omnibus, quæ in principio capitis, *usq; ad v.* 11. ordine enarrat. Quod si ultra trahatur intentio Apostoli, præter mentem determinantis trahitur, quia non dicit Paulus, *Omnia*: sed *Hæc omnia*.

Ad locum 1. Cor. 10.

Improbè persequitur Bellar. similitudinem propositam.

Sed largiamur Bellarmino à lepra corporali & exemplo Regis ejecti è templo & separatim habitantis, ad lepram Spiritualem & dejectos reges à solio, valere consequentiam ob similitudinem & figuram, certè consequens similitudinis nequaquam proportionaliter redditur Antecedenti. Nam 1. Si consecutio rectè deducitur, non tantum summo Pontifici competet potestas abdicandi reges, sed & sacerdotibus minorum gentium, quia Oziam omnes, qui præsto erant, sacerdotes ejiciebant, 2. *Paral.* 26. & de lepra non tantum Aaron, sed quilibet filiorum eius cognoscebat. *Levit.* 13. 2. Quia per lepram Spiritualem non tantum hæresin, sed & alia vitia & peccata intelligit Bellarm. *lib.* 3. *de pænit. c.* 3. non tantum Reges, sed & quivis ex privatis subditis, ob peccata graviora possessione sua à sacerdote exui poterit. 3; Sacerdotes de lepra tantum cognoscebant, & ubi de ea constabat, jubebant ex mandato divino expresso infectos à conversatione sanorum abstinere: dominium verò rerum suarum nemini abrogabant. Sacerdotes igitur Christiani, non possunt, nisi de lepra Spirituali cognoscere, & eâ infectos à communione arcere Ecclesiæ, ne alios inquinent. Sed privationem bonorum irrogare nequeunt, quia nec eam sacerdotes Judæorum irrogabant, nec ad eam mandatum divinum habent, nec, licet irrogata fuisset à sacerdotibus veteris Testam. irrogari itidem potuisset, in novo, quia, ut suus constet ordo comparationi: sicut lepra Spiritualis est, & punitur segregatione à communione corporis Spiritualis, scilicet Ecclesiæ: ita & cæteræ, quæ hinc deduci possunt, pœnæ Spirituales esse debent quia typus & quod per typum designatur, non possunt idem esse re, sed similitudine. Atqui in exemplo Oziæ proponitur privatio autoritatis regiæ, tanquam typus pœnæ lepræ Spiritualis. Ergo eadem privatio nequit repeti, in re per typum designata, sed pœna lepræ Spiritualis altioris gradus est, quia, ut ipse Bellarm. ait. *c.* 37. *contr. Barcl. res figurata est perfectior, quàm figura*, qui inde deducit, quod, licet Oziæ relictum sit nomen regium, non tamen debeat relinqui excommunicatis ob lepram Spiritualem, quia hæc lepra requirit pœnam graviorem. Quantò verò gravior est lepra Spiritualis, tantò gravior debet esse pœna, quia pœna exurgit cum delicto. Sed infinitis modis gravius est delictum, Ergò & pœna.

Secundum Bellar. autem eo ipso fit gravior, quod præter autoritatem Regiam, etiam nomen Regium auferatur, quasi nominis regii amissio infinitis modis gravior sit, quam amissio regni. Sed quæro porrò à Bellarm. cum contra edictum divinum profanus homo ingressus esset templum & præcipuisset sacerdotibus demandata munera, ac si quis ex Laicis missam involaret, & panem transubstantiandum in manus, renitente sacerdote, arriperet, an non infectus fuerit itidem lepra Spirituali, ut ita abdicari potuerit etiam à nomine Regio, & subditi absolvi à juramento, cum propter hoc scelus Corath, Dathan, & Abiram vivi absorpti sint à voragine terræ. Cur verò Pontifex Maximus hîc pepercit eâ autoritate uti, quam hujus exemplo Romanus sibi dat, & tum hunc, tum infinitum numerum Idololatrarum, & Apostatarum, à regio solio amovere. Nam, ut Ozias amotus sit, non propter peccatum, sed propter lepram externam, quæ non sinebat ipsum versari in publico, amotus fuit: sed ex reliquis, lepra Spirituali multò profundius corruptis, cur nullus unquam à regno depulsus fuit, ut hodie depelluntur Reges Christiani, aut saltem depelli posse à Bellarm. & sequacibus creduntur? Præposterè igitur reprehendit Bellar. Barclaium, quod similitudinem non observet, cum concedat Ozia propter lepram corporis non rexisse regnum, & tamen contendat *pag. 312.* excommunicatum regẽ propter lepram animi non posse amoveri à gubernaculo. Nam confundit Bellar. figuram cum re figurata: Typum enim pœnæ lepræ Spiritualis repetit pro ipsa pœna præfigurata, quod accuratè distinxerat Barclaius hoc modo: *Rex propter lepram corporalem abigitur de mandato divino à conversatione & regno corporali: Rex propter lepram Spiritualem abigitur de mandato divino à conversatione & regno spirituali*; nec ex proposita similitudine quicquam amplius sequitur.

Alterum exemplum, quod ex multis delibavit Bellar. *ex 4. Reg. 11. & 2. Paralip. c. 23.* adeò præter rem affertur, ut tam Barcl. *c. 38.* quam VVidringt. *n. 354.* mirentur, quid ipsi, cum Sanderum in hoc temere sequeretur, in mentem venerit. Athaliam enim *in c. 38. contr. Barcl.* jussu Pontificis Jojadæ & vita & regno privatam dicit, non propter Tyrannidem; quia licet per vim regnum invasisset, tamen consensu tacito populi per sexennium, ut Augustus, & Vespasianus, in occupato regno tanquam legitimo, cõfirmata fuit, sed propter Idololatriam, cujus documentum desumit ex iis verbis, quę ponuntur immediatè post ejus occisionem. *& ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam* &c. Certè ipsum argumentum longè à scopo controversiæ alienum, sed interpretatio & defensio longè est absurdior, & Christiano Doctore prorsus indigna. Nam si Athalia exuta fuit vitâ & regno, non propter Tyrannidem, quam lapsum sexennii jam dicit expiasse: 1. Cur non eodem jure usi sunt pontifices æquè cordati in alios reges Idolis

31. *Exemplũ alterum de dejecta Athalia.*

Rejicitur ex parte Athalia.

 dedi-

deditos? 2. Si propter idololatriam jure exuta fuit Athalia vitâ, ſequitur, quod idem liceat ſubditis in legitimum principem, ſi hæreticus fortè evadat. 3. Populus & pontifex inibant fœdus contra Athaliam: An contra legitimum principem itidem licet cõſpirationes inire ſubditis? 4. Quicquid ſit de Idololatria, certè Athalia non tantum idolis ſerviebat, ſed & contra manifeſtum Dei vetitum, Tyrannidem exercebat in populo Iſraelitico, cujus reges non ex peregrinis, ſed ex inquilinis eligi volebat Deus, *Deut. 17.*
31. quod ex eorũ ſtirpe Chriſtus originem trahere deberet. Abſurdum autem eſt, idem jus ſtatuere in principem legitimum, ſi deviet in religione, & in injuſtum Tyrannum, ſi præter Tyrannidem, alio vitio ſe faciat odioſiorẽ. 5. Quod de conſenſu præſumit, quo putat Athaliam confirmatam in ſolio, prorſus repugnat narrationi *c. 23. li. 2. Paral.* quia ſeptimo anno dicitur Jojada ſeſe animaſſe, & cum viris cordatis re communicata circumiiſſe regiones, & congregaſſe populum ad fœdus ineundum contra Athaliam, qui, cum tam promtè Zelo Pontificis ſe conjungerent, ſatis ſpectatum dederũt documentum, quo eſſent in tyrannum animo, quo conſenſu aut applauſu eam pertuliſſent totos ſex annos. Nam ne conſenſu quidem ſuo confirmare potuiſſent, quod expreſsè Deus prohibuerat, quod indicant verba Jojadæ: *Ecce filius Regis dominabitur vobis, prout locutus eſt Dominus filiis David.* 6. Ex his enim verbis deducenda eſt cauſa depoſitionis & cædis Athaliæ, quia à Jojada proferuntur, ut perſuadeat populo, regnum deberi Joæ, tanquam filio Regis, & non Athaliæ, tanquam fœminæ & peregrinæ. Idololatria poſtea acceſſit, ut cauſa ſecundaria: Tyrannidem verò & excluſionem hæredis legitimi proponit Jojada in ipſo fœdere, quo armabat populum in Athaliam: quia, inquiens, *Regis filio debetur regnum, ſecundum verbum Dei.* Ex hac igitur & non alia cauſa invadebant Athaliam, quod regis filio regnum præripuiſſet, & injuſtæ dominationi incubaret. Poſt ejectam demum & occiſam Athaliam pepigit Jojada fœdus inter ſe, Regem & populum, ut Domino fideles eſſent, cujus effectus ſtatim ſubjicitur in deſtructione domus Baal. Hæc autem deſtructio non ſequitur ex primo contra Athaliam, ſed ex ſecundo fœdere, quod coram Deo feriebatur, occiſà jam & ejectà Athaliâ.

Item ex parte Pontificis.

Tam vitioſum eſt exemplum, ex parte Athaliæ, quæ nec legitima regina fuit, nec propter Idololatriam, ſed Tyrannidem regno exuta, imò non regno tantum, ſed & vitâ: Veniamus ad Pontificem, ubi vitiorum non minorem licet demetere ſegetem. Nam 1. Nullâ ſacræ ſcripturæ aſſertione affirmatur, Jojadam conſtituiſſe regẽ autoritate aliqua ſacerdotali, quia nihil fecit, quod non licuiſſet cuivis ex ſubditis. *In perduellem quivis hoſtis eſt*, ait Tert. & Tyrannus in titulo, cui nemo obſtrictus eſt fide aut juramento, omnium expoſitus eſt manibus. Ex facto igitur Jojadæ nulla Pontificis po-

teſtas

testas ordinaria arguitur, sed præ cæteris autoritas & vires majores, quibus in effectum dare potuit, quod omnibus aliis pari jure licuisset. 2. Non solus Jojada, sed centuriones & universus populus cum eo, inito inter se fœdere, exagerunt Athaliam, nec quicquam plus hîc præstitit Jojada, quàm ut Ducem se præberet confœderatis. Nam quod præcepta dederit conjuratis, & arma officiaq; singulis distribuerit, idē capiti conjurationis semper incumbit, & cæterorum Duci, nec potestatem aliquam specialem in sacerdote notat. Nam & quivis ex centurionibus potuisset, si paris apud vulgum autoritatis & æquè cordati fuisset animi, primas sibi sumere, & reliquis exequenda imperare.

Adducit præterea Sanderus, profugus Anglus, *libr. 2. c. 4. de visib. Monarch.* ad cujus scriptum nos Bellarminus remittit *cap. 7. in fin. libr. 5. de Pont.* exemplum Saulis, dejecti à Samuele, Salomonis, cui adhuc vivo prædictū fuit ab Ahia Silonite, Jeroboamum præfuturum decem tribubus, *3. Reg. 11.* Item Elisæi, cujus gladius dicitur inevitabilis, licet Azaëlis aut Jehu potentiā aliquis evasisset. *3. Reg. 19.* Sed quia pueriliter & obtorto collo historiæ ad propositum trahuntur, nec ullo modo cum quæstione, de qua contēditur, conveniunt, adeò ut ipse quoq; Bellar. ea non tantum sicco pede prætereierit, *in c. 8. li. 5. de Pont.* sed probabilia quoq; tantum esse ultrò largiatur. *c. 37. in pr. contr. Barcl.* nolumus iis redarguendis immorari, præcipuè, cum à Barcl. *c. 35. & 36.* non tantum improbabilitatis, sed manifestæ falsitatis cōvicta sint, quib. cum respondere nequiret Bellar. *per se quidem sola negavit argumenta Sanderi vim persuadēdi habere, addita verò firmiorib. non parum juvare, ad rem, de qua agitur, confirmandam.* Cæterum falsa & distorta, & nō propius ad rem accedentia, quàm cupressus ad naufragium, quid lucis aut cōfirmationis possunt rei per se obscuræ & profundissimis tenebris immersæ afferre? Thesin ipsam suspectam facit qui improbis eam argumētis probat. Si enim meliora in promtu habuisset, cur affert deteriora? cur plumbeis armis incendit audaciam hostis, quem ferreis superare posset, & destruere. Cum igitur potestatem suam Indirectam ex sacris literis probare non potuerit Bellarminus, suo argumento jugulatur, quo negavit agnoscere potestatem Temporalem Pontificis, quæ non sit deducta ex jure divino, quod ipse collocat in scripturis & traditione Apostolorum.

Alia exempla ex Sandero.

2. *Christus non aufert regna iis, quorum erant, quia non venit destruere ea, quæ benè se habebant, sed perficere. Ergo quando Rex fit Christianus, non perdit regnum terrenum, quod jure obtinebat, sed acquirit novum jus ad regnum æternum. Alioquin obesset regibus Christi beneficium, & gratia naturam destrueret.* Hoc est alterum argumentum Bellarm. contra potestatem Papæ directam, quod non minus efficax est, contra Indirectam. Nam & indirecta aufert regibus regna & supremam Majestatem, quæ consistit in eo, ut neminem agnoscant 32.

Retorquētur in Bellarm. propria argumenta.

supra

supra se. Tolle supremum dominium, & impone moderatorem superiorem, jam princeps non habet amplius liberam & regiam in subditos potestatem. Sed, inquis, potestas illa superior, tantum incumbit Regibus, cum ordine & respectu ad finem Spiritualem: Esto, verùm quia omnes actiones regum fini Spirituali subordinantur, secundum Bellarm. & omnes possunt Deum offendere & Ecclesiæ nocere, omnibus per indirectam suam providentiam intervenire potest Papa, & ex officio pastoris tenetur. Præterea principatus & feuda regia, quæ cum plena jurisdictione traduntur, non judicantur à Domino, nisi si vasalli feloniam committant, & tamen non desinunt esse feuda aut subjecta. Ita respectiva illa subjectio non impedit, quò minus principes Papæ cogantur comiter majestatem observare, licet per omnia ipsius dictis audientes esse non cogantur.

3. Tertio argumentatur Bellarm. *Si Papa est Dominus orbis: Ergo singuli Episcopi sunt Domini urbium, quia quod est Papa in universa Ecclesia, id est Episcopus in particulari.* Pariter: si Papa potest dejicere de regno reges, & privare principes dominio rerum suarum: Etiam Episcopi possunt removere ab officio magistratus urbium, & principes provinciales unâ cum quovis privato exuere proprietate possessionum suarum: quia & ipsi sunt pastores Spirituales, eundem finem cum Papa sibi præfixum habentes.

4. *Quicquid Imperatores habent, à Christo habent*, ut ait Nicol. *in Epist. ad Michael. Peto igitur, vel potest summus Pontifex auferre à Regibus & Imperatoribus executionem, tanquam summus ipse Rex & Imperator, aut non potest. Si potest. Ergo est major Christo. Si non potest. Ergo non habet verè potestatem regiam.* Quis nôn videt idem argumentum valere contra sententiam Bellarmin. Nam si Papa potest auferre regna, quæ Deus dedit, saltem indirectè, major erit Christo, saltem indirectè, quia tollit & confundit, quæ Deus dedit & distinxit. Bellar. *c.5. contr. Barcl.* latibulum quærit in eo, quod potestas principum non sit immediatè à Deo, sed ex consensu & consilio hominum, quæ ut mutari possunt, ita mutantur principatus, nec tollitur, quod Deus dedit, quia quod per media datum fuit, sublatis mediis vicissim tollitur. Nunquam licet Bellarmino simpliciter peccare. Nam 1. repetit principium, & canit antiquam cantilenam: potestatem principium non esse immediatè à Deo, quod & *in 3. c. & hoc ipso*, in explicanda sentētia Thomæ refutavimus. 2. Sed ut jam postulatum hoc suo autori indulgeamus bona cum gratia, nihil subsidii ex eo auffert, & potestatem Pontificiam inopinato vulnere concidit. Nam *in c.3. lib.5 de Pontif.* adducit Leon. *Epist. 38. & 43.* Gelas. *in c. duo sunt dist. 96.* Gregor. *lib. 2. Ep. 61.* Nicol. *in Ep. ad Michael.* quibus si adjeceris Gregor. eundem *lib. 4. Ep. 32. 34.* Lyram *ad c. 6. Sap.* & alios qui divinitus accersunt originem potestatis regiæ, statim paratam habet responsionem: *Eos loqui de potestatis traditione mediata*: Et tamen inde audet inferre, majorem

tem Christo futurum pontificem, si mediatè à Deo concessam potestatem principibus auferat. Ideoque distinctio inter potestatem mediatam & immediatam prorsus nihil facit ad argumentum eludendum, quia & ipse Bellarm. præsupponit potestatem principum, quam auferendo Papa fit major Christo, esse mediatam. Quod verò hac responsione opinionis suæ robur prorsus enervet, inde patet, quia si principes constituti sunt ex autoritate summa, de consensu & consilio hominum, & propterea citra injuriam in Deum tolli possunt, nihil juris in quenquam obtinebit Pontifex, quia, si quæ potestas competit Papæ, competit ipsi, non ex titulo humano, nec quod autoritate sua reges in solium elevaverit, sed, quia fingitur vicarius Dei in terris. Principes autem constituuntur, ait ille, per homines: Ergo per eosdem ex causis humanis deponi & abdicari possunt. Quo igitur titulo abdicandi potestatis partes primas sibi vendicabit Papa, si non jure divino regnant reges, sed per titulos humanos. Qui enim titulum regni non concessit, non habet autoritatem eum vicissim excutiendi, sed illa pertinebit ad eos, quibus ratione officii Ephoria in reges incumbit. Papa hîc se immiscere nequit: nisi ratione jurisdictionis Spiritualis. Sed satis jam expugnata est potestas Pontificia, quatenus eam ex sacris literis & rationum momentis deducere & probatam facere laborant adulatores Pontificii.

CAPUT VI.

DE DONATIONE CONSTANTINI, UTRUM FACTA SIT, VEL FIERI POTUERIT, ET QUID Juris inde sibi Pontifex possit arrogare.

SUMMARIA.

1. *Autores varii, variaq; formula donationis.*
2. *Quæ sibi mutuò adversa sunt & fidem derogant.*
3. *Nec certos & fide dignos autores demonstrare possunt.*
4. *Cum de ea coætanei omnes dedita opera taceant, aut contraria narrent.*
5. *Falsa multa & absurda infarcta in instrumenta donationis, imò etiam contradictoria.*
6. *Autores, qui dubitant de donatione Constantini.*
7. *Qui eam apertè negant & impugnant.*
8. *Palea verba & ritus non consentire cum tempore Constantini.*
9. *Ius, quod quæritur Pontifici ex donatione Constantini, deterere jus Pontificis, quod trahitur ex sacris literis.*
10. *Donatio Caroli M. & Ludovvici Pii detrahit donationi Constantini.*
11. *An donatio, si facta esset, valeret.*
12. *Imperatorem non potuisse effusam hanc donationem præstare.*
13. *Pontificē non potuisse dimidiū imperii in præjudiciū totius Resp. accipere.*

COnsequens est ut pergamus ad titulum donationis à Constantino, 1.
Carolo M. & Ludovvico Pio factæ. Nam ex hac quoq; licet non in universos Reges Christianos, saltem in eos, qui Imperii occidentis partem occupant, jus & imperium sibi arrogant multi Pontificum. Dona-

tionem hanc diversis verbis, diversoque sensu proferunt, Melchiades, *in c. Futuram.* 12. q. 1. & Acta beati Sylvestri, quæ Gelas. apud Burchard. *lib. 3. cap.* 217. *inter hagiographa reponit, quanquam autorem ignorari confitetur*, quem Augustinus Eugubinus *in libr. de Donat. Const. ab Eusebio Cæsariensi scriptum falsò disputat contra Vallam, cum non tantum stylus cum Eusebio non conveniat, sed nec historia, quam Eusebius in vit. Constant. vel non enarrat, quod maxime facere debuisset, vel planè aliter, imò modo contrario.* Eandem aliter Palea, *c. Constantinus* 96. *dist.* aliter Leo IX. *in Epist. 1. ad Michael.* aliter Balsamon, in Photii *nomocanon t.* 8. *c.* 1. & Matthæ. Blastar. JC. *in synops. Iur. Canon. c. De Bulgar. Cypr. & Iber.* aliter Nicolaus III. *in c. Fundamenta. de Elect. in 6*, aliter Petrus Damian. *in discept. Synodali*, Martin. Polon. *sub Sylv.* Alber. de Rosat. *rit. C. de off. præf. Vrb.* Anselmus, Deus dedit, Ivo Carnut. Eugubinus: aliter alii proponunt: Ità ut vel hoc nomine donatio suspecta esse debeat, cū duodecim ejus diversa instrumenta proferri posse scribat autor *comment. ad Donat. Const. ad Regem Britan.* quia tabulæ plures ejusdem actus inter se congruere debent, ne ipse Constantinus eas rejiciat, qui dicit: *l. scriptura* 14. *C. de fid. instrum. Scriptura diversæ & fidem sibi invicem derogantes, nihil habere firmitatis possunt.* Et ubi repugnantia inter se in testamento jubentur, neutrum ratū est. *l. ubi repugnan. ff. de R. I.* Et quod plurib. datur, quando non apparet, cui datur, nulli competit. *l. si quis de pluribus* 27. *de reb. dubi.* Acta enim Sylvestri & Palea, *Palatium Lateranense, Romanam urbem & omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca & civitates* Sylvestro attribuunt. Ansel. *libr. 4 in rubr. c.* 32. Deus dedit, *lib. 4. c. 1.* Edicti summam talem proponunt, quod *Constantinus Imperator Papæ concessit coronam & omnem regiam dignitatem in urbe Romana, & in Italia, & in partibus occidentalibus.* Melchiades: *dona immensa contulit, & fabricam templi primæ sedis beati Petri principis Apostolorū instituit, adeò ut sedem imperialem, quā Romani principes possederant, relinqueret, & beato Petro successoribusque suis profuturam, concederet.* Nicolaus III. *solius urbis Romanæ* meminit: Petrus Damianus ait: *Palatium Lateranense, quod eatenus aula regalis extiterat, perpetuo jure concessit: regnum Italiæ judicandum tradidit.* Alius igitur, sedem imperialem, alius Romanam urbem, alius Palatium Lateranense, alius habitum, & dignitatem regalem traditam scribit, alius totum imperium occidentale, alius Italiam tantum judicandam cōcessam: cuinam creditis? cum omnium sit eadem fides. Certè quia non apparet, utri credendum, satius fuerit, neutri fidem habere, *per d. l. si quis.* Nam qui de toto regno occidentali loquuntur, incertæ sunt autoritatis, ut acta Sylvestri & Palea; quorum illa autorem suum laudare non possunt, & continent multa fabulosa, hæc vero, incertūm est, quomodo in Gratiani Codicē ingressa fuerit. *Vide Gilbert. Regium ἐναντιοφανῶν lib. 1. c. 24. in fi.* Sive enim Paleam interpreteris, antiquam consuetudinem, sive à Protopalea

2. *Diversa & sibi mutuò repugnantes formulæ.*

3. *Incerti autores, qui de toto regno occiden. loquuntur.*

quo-

quodam,ut putat Joh. Andr. *in addit. ad specul. t. de disp. & alleg at. ad fi.* quem Jas. *in rubr. t de actio. Cardinalem fuisse dicit*, ingestam dicas, testatur Antoninus Florenti. *prima part. hist. 8. t. c. 1.* quod nō habeatur in antiqnis decretis: unde Nicol. Cusanus: *lib. de Concord. Cathol. 3. Absq; dubio*, inquit. *si non fuisset. illud dictamen Apocryphum, Gratianus in veteribus codicibus & Canonum collectionibus invenisset, & quia non invenit, non posuit*: nec Damasus Papa ejus mentionem facit in gestis Sylvestri. Qui verò tum Paleam prædictam, tum acta Sylvestri pro veris acceptarunt, ut sunt Gelasius apud Burchard. VVormat. *d. loc. & in 1. tom. Conc. & Leo IX. in Epist. 1. & Nicolaus III.* hi sunt, quorum testimonia in hac controversia non valent, quia nemo potest in causa propria vel testis esse vel arbiter. *tot tit. C. ne quis in causa propr. l. nullus. de testib. l. pen. ff de arbit.* Capitulum verò *Futuram*, Melchiadi Papæ falsò attribuitur, perinde ut *c. 1. dist* 88. quia Melchiades, de cōversione Constantini & Synodo Nic. testari non potuit, cū jam ante tempora Constantini martyrio affectus fuerit, aut saltem ante Nic. Synodum, quia Sozomenus Julium Papam illi interfuisse scribit *lib. 2 c. 17.* & post Constantini conversionē Ecclesia in occidente tota quieta fuit, idq; notavit ipse Eugub. *lib. 2. de Donat. Constant.* Covar. *pract. qq. c. 31. n. 2. & li. 4. var. resol. c. 16. n. 8. post gl. ad d. c. futuram.* Ideoq; non aliunde, quàm ex Apocrypho quodā scripto, quod tomis conciliorum insertum est, desumitur. Reliqui verò autores veritati historiarū, ab autorib. illius seculi partim Ethnicis, partim Ecclesiasticis & Episcopis scriptarū præjudicare nullo modo queunt, quia, cū Niceph. *lib. 7.* secuti sunt fidē Ecclesiæ, id est, ita scripserunt, prout Pōtifices credi volebant in Ecclesia Romana. Neq; enim Eusebius, qui Constantini vitam diligētissimè describit, neq; Socrates, neq; Sozomenus, neq; Theodoretus, neq; Victor, neq; Zosimus, neq; Ruffinus, neq; quisquā istius seculi donationis Constantini mentionem facit, quam tantam rem verisimile est tam tacito pede prætermissuros non fuisse, qui multo minutiora memoriæ tradiderunt. Imò contrariū potius ex omnib. historiis liquet, quod Constantinus totum imperiū diviserit tribus filiis, ad quos, ut ait Victor, *orbis Romani dominatio redacta est*, ea lege, ut referente Eusebio *lib. 4. de vit. Constant.* & Socrate *lib. 3. Eccl. hist. c. ult.* Constantinum occidentalium partium, Constantium orientalium, Constantem interjectarum principem constitueret. Interjectas autē regiones, quas intelligant, explicat Zosim. *libr. hist. part. 2.* videl. Italiam & Illyricum. Falsum igitur hoc primum est, quod in Palea dicitur: *Constantinū contradidisse & reliquisse occidentales partes Sylvestro*, quia ex historia planum est, & notat Crantzius *lib. 4. Metrop. c. 11.* donationem, nullam secutam fuisse traditionem, cum Constantinus jurisdictionem urbis Romæ, nedum reliquarum provinciarum, nūquam abdicaverit, & postea inter liberos distribuerit, quemadmodum inter partes hæreditatis Constantini à filiis ercifcundæ recen-

4. *Antiqui non faciūt mentionē donationis.*

Donatio sine traditione.

recensetur Italia & Roma ipsa à Zosim. *lib.* 2. Zonar. *tom.* 3. Victor. *in Const.* Euseb. 4. *de vit. Const. c.* 49. 50. 51. adeò, ut ipse Agatho Pontifex Rom. ad Cõstantinum Pogonatum scribens: *Vrbem Imperatoris servilem*, vocet. *In Epist. ad Const. ex actis 6. Synod.* Nec potuisset ullo modo Cõstantinus regiones distribuere inter hæredes, post factam donationem, quia testamento locus non est in ea re, quæ jam inter vivos alienata est, *l. 6. C. de test. l sequẽs. ff. de legat.* II. aut si donatio post divisionem facta fuit, pro lusoria haberi debet, quia partitio inter liberos facta à patre, ultimę volũtatis locũ obtinet. *l. pen. l. ult. C. fam. ercisc.* Incurrit etiã Constantinus ipse maledictionem, quam in Palea minitatur iis, qui audeant eam infringere, *Petri* scil. *& Pauli irã, æternam condemnationem & ignem inferni.* Nam ipse contra venit, filium suum sibi substituendo, qui nequaquam veritus eodem in loco morari, cum capite Christianæ religionis, sedem suam Romam transtulit, & caput illud, cum videretur Mago cuidam patrocinari, Papatu suo exuit. Ita enim Constantius tractavit Liberium, ut Cassiod. *in Tripart.* & Marcelli. *lib.* 15. scribit.

5. *Absurda & contraria ex textu donationis.*

Ridiculum enim est, quod tum *in d. Palea.* tum *in c. fundamenta. de Elect. in 6.* dicitur: *non justum esse, ut ubi sacerdotij principatum & Christianæ religionis caput Imperator instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem*, cui sententiam omninò contrariam habuit Henricus VII. Imperator, quandò ad Abbatem VValdsass. scribit: *Magnus Dominus & laudabilis valdè, in excelso divinitatis suæ solio residens, Imperium suum transire voluit ad Romanos, ut illic præiret imperialis excellentiæ thronus, ubi erat sacerdotalis sedes & Apostolica affutura: Ita quod in eodem loco summi Pontificis & Imperatoris autoritas reniteret.* Christ. Vrstist. *tom. 2. histor. Illustr. in Cat. Veterij* &c. Malè enim fecisset Petrus, quod se Romam contulisset, & sacerdotes maximi, quod cum regibus Judæorum in eadem manerent urbe, aut Ambrosius, quod Theodosium Mediolani admitteret. Quin & Constantinus Patriarchatum Constantinopoli propterea instituit, ut secum religionis Antistitem haberet. Atq; in eadem urbe cum Pontificibus dominati sunt Imperatores, usq; ad Augustulum, quo ejecto, cum successerint Gothi, & regum Romanorũ nomen usurparint, & illi quoq; Romæ dominati sunt, ut vel ex Epistolis Cassiodori patet. Post eos exarchi, licet Romæ non habitarent, urbi tamen unà cum reliqua Italia leges dederunt, donec Longobardi dominium suum in superiori Italiæ parte auspicarentur, qui licet Romam non tenerent, reliquam tamen Italiam ita in potestate sua habuerunt, ut Papa ne unũ quidem annum demonstrare possit, quo possessionem ceperit. Imò tempore Phocæ, ne tantum quidem ditionis Romæ habuit, ut Sacellũ ædificare potuerit, nisi concedente Phoca: *Beda tom. 6. de sanct.* ac ne jus suum quidẽ unquam postulasse legitur, imò, quod magis mirêre in tot contentionibus, contra reges & Imperatores donationem illam vix quisquam ex prioribus

Papa nunquam cepit possessionem Italiæ.

Ponti-

Pontificibus ausus fuit allegare. *Clement. 1. de jurejur. d. c. Fundam.* Certè Gregorius VII. etiamsi omnia jura per caput & pedes huc traheret, nunquam tamen hanc donationem ausus fuit allegare, ut exprobrat etiam Mornæ. *in Myster. Iniquit. in Greg. 7.*

Si enim constitutionis ipsius verba considerare velis, mendacem hunc videbis non fuisse admodum memorem, & præter styli difformitatem, quam Laurentius Valla maximè notat, quamque Bartholomæus Picernus & Eugubinus promulgatione Græcæ constitutionis non excusant, quia nec Græcus sermo tersus est, sed ad Latinæ fictionis barbaras phrases per vim detortus, retentis multis vocabulis Latinis, quæ Græcè reddi non potuerunt: & quia præsumitur Constantinus Romæ ad Roman. potius Latinè scribere voluisse, imprimis cum cæteræ eius in codicibus *Theodos. & Iustin.* constitutiones latinæ sint, & vel in ipsa Synodo Nicæna Latinè locutus sit, ut Eusebius testatur, *libr. 3. de vit. Constant.* multa alia absurda, & quæ contra veritatem manifestè currunt, admiscuisse, quale est illud, *quod Papæ Romano dicit tributum fuisse principatum super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam, utq; eius judicio omnia disponerentur.* Nam eo tempore de primatu Papæ Romani nulla adhuc fit mentio, sive Julius sive Sylvester interfuerit Concilio Nicæno, certè suo judicio acta eius neuter eorum disponebat. In Concilio Carthaginensi paulò pòst decretum legimus, *Can.* 42. ne quis appellaretur *princeps sacerdotum*, aut *summus sacerdos* aut tale aliquid, imò in ipsa Synodo Nicæna, *cap. 6.* statuitur: *Antiqui mores serventur, qui sunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem habeat, quandoquidem & Episcopi Romani hoc idem est consuetum, similiter & in Antiochia. &c.* Vide prolixè Mornæ. *in myster. Iniquit. sub Sylvestr. contra Baron. & Bellarmin.* Quod in Concilio Constantinopolitano repetitur, ubi & *confundi* dicuntur *Ecclesiæ, si una se immisceat negotijs alterius.* In Synodo Antiochena. *cap. 15.* apertè prohibetur, *ne semel judicatus à provinciæ Episcopis ulterius judicetur, sed illius provinciæ Episcoporum firma maneat sententia.* In Melivitana, *Can. 22. Ad transmarina, qui putaverit appellandum Concilia, à nullo intra Africam ad communionem recipiatur.* Atq; illud sub Constantio Constantini filio, hoc sub Arcadio & Honorio latum est, unde apparet, quàm bellè nostræ Paleæ conveniat cum moribus & consuetudine, qua tum Ecclesia utebatur. Quin imò Constantinopolitanam sedem Romanæ adæquatam invenimus, ut sicut urbs veteris Romæ prærogativa lætatur: ita etiam Ecclesia. *l. omni innovat. C. de sacros. Eccles.* & in Concilio Calcedonensi, *Can.* 28 dicitur: *Si jure patres πρεσβεῖα tribuerunt sedi Romanæ, quia urbs illa imperabat, eadem consideratione moti 150. Episcopi sanctissimo novæ Romæ throno, æqualia privilegia tribuêre.* Vnde Justinian. *l. Con-*

ſtantinop. in princ. C. de ſacroſ. Epiſcop. ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησία πασῶν τῶν ἄλλων ἐστὶ κεφαλή.

Conſtantinopolitana ſedes nominatur, antequam eſſet

In eo verò omnium craſſiſſimè erratum eſt, quod Conſtantinopolitana ſedes hìc ſubjicitur, quæ tum nulla erat in rerum natura, quia donatio facta dicitur, antequam Conſtantinus Romanam urbem relinqueret. Atqui tum Conſtantinopolis nondum erat, nedum Eccleſia, quæ annis aliquot póſt demum fuit inſtituta. Niceph. *lib.* 8. *c.* 4.

Figmentum de lepra Conſtantini.

Porrò illud *de lepra & ſanguine humano, ad eius curationem collecto*, commentum tale eſt, ut Platina *in Marc.* quanquam Conſtantinum baptizatum à Sylveſtro concedat, leprâ tamen eum laborâſſe non credat. Quod ipſum licet Eccleſiaſtici ſcriptores fortaſsè diſſimulare voluiſſent, Zoſimus tamen tacitè non præteriiſſet, quippè, qui dedita opera cogeſſit omnia, quæ ad denigrandam Imperatoris vitam invenire potuit. Et Baptiſta Mantuanus. *lib.* 1. *de patien. cap.* 30. *ex Plin. lib.* 22. *cap.* 1. docet Lepræ morbum jam tum temporis in Italia extinctum fuiſſe, & *ſi extinctus fuit*, ait, *tempore Plinij, qui vixit ſub Veſpaſiano, quomodo veriſimile eſt, Conſtantinum eo labbrâſſe, qui longo pòſt tempore imperavit.* Nec illud facilè ſibi quiſquam perſuaſerit, quod propter Petri & Pauli viſionem ſolam, Sylveſter ſtatim baptiſmum Conſtantino conferre voluerit, niſi qui ignorat, quàm diligenter prius inter Catechumenos inſtrui ſoliti ſint candidati Baptiſmi, priuſquam admitterentur, quique non legit, quod vel in ipſo Nicæno concilio Conſtantinus adhuc inter Catechumenos recenſeatur. Sozomen. *libr.* 3. *cap.* 19.

Figmentum de baptiſmo.

Baptiſmus verò ipſe totam rem aperit vel potius deſtruit, quia nec Romæ à Sylveſtro jam tum mortuo, nec ſub initium converſionis, ſed propè mortem, Nicomediæ, circúmſtante Epiſcoporum multitudine, quibus de dilatione baptiſmi rationem reddiderit, *quod* ſcilicet *in Iordane baptiſari voluerit*, ſacra baptiſmatis unda reſperſum fuiſſe, optimi quique hiſtorici teſtantur, Euſeb *lib.* 4 *vit. Conſtant.* Theodore. *lib.* 1. *c.* 32. Socrat. *lib.* 1. *c. penult.* Sozomen. *lib.* 2. *c. ult.* Euagr. *lib.* 3. *cap.* 41. Ruffin. *lib.* 1. *c.* 11. quibus accedunt Ambroſ *de obit. Theodoſ.* Hieron. & Herman contractus *in Chronic.* qui duo poſteriores tamen eum ex hoc Baptiſmo Arrianiſmi ſuſpectum faciunt, quod eo infectum Euſebium Cæſareenſem, qui baptiſma adminiſtravit, dicant. An verò Niceph. *lib.* 7. *c.* 33. 34 35. & *lib.* 8. *c.* 54 *Legendam.* Martyrologij Romani, Ivonem Carnuteuſem, aut Caſtald. *in tr. de Imp. q.* 51. *n.* 25. 27. & alios multis ſeculis poſt viventes
6. oculatis teſtibus, aut ſaltem iis, quorum autoritas ubique major, aut minus ſuſpecta eſt, præjudicaſſe putabimus? Imprimis cum partim ipſi confiteantur, ſe in hac re fidem Eccleſiæ Romanæ tantum ſequi, *ut Nicephorus*; Reliqui rem in dubio relinquant, qui Eccleſiæ contradicere non auſi,

Ipſi Pontifices dubitant de donatione,

veri-

veritatem tamen manifestè negare noluerunt. *De eius baptismate, uti variant autores, si constanti fide, quæ de imperij donatione circumferuntur, uti minus similia veri non probant. Sed alij hoc viderint*, ait Johan. Bapt. Egnat. *lib. 1. Roman. princ. in Constan.* Kranzius scribit: *in Saxon: libr. 2. cap. 1. Tribuunt nonnulli Constantino M. donationem illam Italiæ & Germaniæ, & nescio quarum provinciarum Ecclesiæ Romanæ factam, de qua ipsi viderint.* Bartol *in pref. ff. num.* 14 cum multa non obscurè contra hanc donationem disputasset, tandem, *videte*, ait, *quod nos sumus in terris Ecclesiæ, idcirco dico, quod illa donatio valet, &c.* Nec dubito, quin maximus numerus eorum, qui prædictam donationem defendunt, id faciant non alia ratione, quam Bartolus, quia scilicet sunt in terris Ecclesiæ. Covartuv. certè *lib. 4. variar: resol. cap. 16. num.* 8. Licet veritatem apertè confiteri cogatur, tamen *autoritatem Ecclesiæ sibi obstare* dicit, quo minus eam profiteri possit, unde addit *multos alios esse titulos, ex quibus Ecclesia jus suum defendere possit*, quasi tabulas donationis minus sufficientes crederet. Et ipse Baron. 3. *tom. Annal. an.* 324. *Absit sit Romanæ Ecclesiæ amplitudinem ab humano edicto Constantini potius, quàm à Christo per Petrum accersamus.* Et ita rem totam quoq; in dubio relinquunt Antonin. Archiepisc. *part. 6. t. 8. c. 2.* Alciat. *lib. 7. Parerg. c. 19.* Cagnol. *in proœm. ff. n. 79.* Volaterr. *l. 3. Geogr.* Hieron. Cathalanus *in praxi Cancellariæ Apostolicæ.* Nicolaus Cusan. *in lib. de Concord. Cathol.* Hieron. Balb. *in lib. de Coron. ad Carol. V.* Schneidevv. *in proœm. Instit.* Petrus Aliacens. Zoanett. *in tr. de Rom. Imper.* Balduin. *d. ll. Constantini lib.* 1. Cujac. *lib. 1. Resp. Papin. ad l. Legatus 20. ff. de off. præsul.* Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2. cent. 6. Cas. 559. n.* 10. Vasq. 1. *cont. c. 5. num.* 27. Et alij.

Apertè verò negant & impugnant Gloss. Spec. Saxon: *lib. 3. art. 63. gl. in Authent: Quomodo oportet Episc. & Cler. verb. conferens generi.* Molinæ. *in addit. ad Alexand. cons. 24. libr. 5. col. ult.* Igneus *in l. donationes n. 22. C. de donat. inter vir. & uxor.* & Felinus. *in c. solit. de major. & obed. col. ult.* Eberhard *in Top. in lo. à verisim. n. 15 & seqq.* Longovall. *in Rep. l. imperium ff. de jurisdictione. part. 4 c. Lex autem foramen. n. 45. vers. Unde orta* Pruekman. *in § soluta potestas membr. 2 eff. 7.* Matth. Steph. 2. *de jurisd. c. 1. membr. 1. n. 35. & seqq.* Johan. Bed. *Ch. 9. de droict des Rois.* Autor innominatus *de donat. Const. ad Iacob. Regem Angl.* Guiccard *lib 4. quem Inquisitores propterea castrarunt.* Tileman *disp. in pand. 2. th. 51.* Mornæ. *in Myst. Iniquit. de Sylvestr. pag.* 19. Wiclefus damnatus fuit *art.* 33. quod dixisset: Sylvester Papa & Constantinus Impp erraverunt Ecclesiam dotando. Accedunt cæteris Laurent. Vall. & Æneas Sylvius ipse *in Dialogo, quem in Germania edidit, chart. 21.* Avent. *in Annal. Boi.* Camerar. *cent. 1 hor. subces. c. 61.* Catalan. *in prax. Cancell. Apost.* Nā quæ Eugubinus *in lib. de donatione Constant. contra Vallam.* objicit, ij partim in hoc discursu præoccupavimus, partim historiæ veritate adeò

apertè-

apertè oppugnant, ut nemo possit esse tam parum versatus in historiis, qui id non deprehendat, quale est illud, quod baptismum ab Eusebio & aliis descriptum interpretetur balneum calidarum aquarum, ad quas Constantinus sanitatis recuperandæ gratia accesserit, cum prædicti autores conceptis verbis de baptismo testentur. Ad balneum enim non tot Episcoporum concursu opus erat, sed medicorum.

A quibus autem Palea hæc substituta sit, tum stylus ipse satis indi-
8. cat, tum etiam nonnulla alia, quæ minus cautè inserta sunt. Quod enim principatum sedis Romanæ inserit, indicat eam compositam esse, postquam jam Romanus Episcopus in Tyrannide Ecclesiastica se stabiliverat: quod tot sumtus largitur in continuationem luminariorum, indicat post longa tempora eam natam, cum iis Ecclesiæ nonnisi longo tempore post oneratæ sint: Quod Imperatorem frenum equitanti Sylvestro tenuisse, & aratoris officium subiisse, narrat, indicat eam conflatem eo tempore, quo Pontifices ceperunt majestatem imperatoriam conculcare. Nam quod Augustinus Steuchus *lib.* 2. producit exemplum Justiniani, quod ingrediente Pontifice Romano Constantinopolin, *cum regno in capite sese prostraverit, & pedes Pontificis osculatus fuerit*: item quod Pipinus Rex Francorum, *in terram cum conjuge & filiis & optimatibus prostratus, Stephanum susceperit, cui & vice Stratoris usq; in aliquantulum locum juxta eius sellam properarit*, apud probatum historicum non inveniet, nisi inter fabulas Ivonis Carnotensis aut similes Romanæ sedis bibliothecarios. Sed Adrianum IV. eò superbiæ aut majestatis, quam, dicente Krantzio *lib.* 8. *Vand. cap.* 2. principes seculares dicunt *præsumtionem*, progressum, ut passus sit Fridericum I. sibi ex equo descendente strepam tenere, Barnus *in Vit. Pontif.* Naucler. *gener.* 39. mirum non est, cum Alexander III. eiusdem collo ausus sit pedem imponere, repetito versu *Psalm.* 91. *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis & conculcabis Leonem & Draconem.* Funcc. *in Chronol.* Naucler. *gener.* 40. Quæ historia in templo quodam Avenionensi, quasi res benè gesta esset, unà cum aliis eiusdem argumenti, magnificè depicta ostenditur, contra quod genus picturas, arrogantiæ Pontificiæ testimonia, & Imperatoriæ Majestatis opprobria meritò excipere deberent cordati Reges, sicut olim stomachatus est Fridericus I. contra ambitionem Innocentii II. qua ad pedes suos cum corona adjectum depingi curaverat Lotharium. Radevv. *lib.* 1. *c.* 10. & 16. Imò non tantum Imperator, sed omnes Reges & principes Christiani tacito vultu pinguntur, sceptra & diademata sua supponere Paulo V. Vice Deo, Christianæ Reipub. Monarchæ invictissimo, & Pontificiæ omnipotentiæ conservatori acerrimo, cum hac asscriptione: Vultu in terram demisso pulverem pedum tuorum lingent. *Es.* 49. Vnde & *in lib.* 1. *ceremon. tit.* 2. retulerunt, *Imperatoru & regum esse, si Papa civitatem*

Palea contra non consentiunt cum tempore Constantini.

Superbia posteriorum Pontificum.

tatem intraverit, freno ducere eius equum, aut si sella vehi maluerit, eam subire cum primoribus per aliquot passus, donec, jubente Pontifice, ascendant equum, & equitent suo ordine. Quin & nullo modo consentit cum statu illius temporis, quod Constantinus dicit, *se cum omnibus satrapis suis, & universo senatu, optimatibusq; suis, & cuncto populo Romanæ gloriæ imperio subjacenti, utile judicasse.* Nam præterquam, quod populus Romanus satrapas ignorat, & nomen optimatum, constat ex Zosimo *lib. 2.* senatum Ethnicæ religioni deditum, ità odio habuisse religionem Constantini, ut multi maluerint cingulum deponere, quam superstitioni suæ renunciare, & quod ea res Constantino mutandæ sedis occasio extiterit. Eodem animo continuasse senatum sub Constantio Marcellinus autor est, & adhuc sub Valentiniano Symmachus nomine senatus petit Idolorum cultus in urbe restitui, *l. 10. Epist. 54.* Cassiod. *lib. 9.* Tripart. *c. 23.* nedum ut voluerit Papæ in se imperium concedere. Inutilis labor esset reliqua itidem sigillatim ad limam revocare, cum pauca hæc pro pluribus sufficere possint, nisi fortassè maximè ad institutum facere putes, quod modò subjiciam, nimirum, Pontificem tali pugnare gladio, qui ipsum jugulet.

Papa hac donatione juri suo plurimum detrahit.

Volunt enim per hanc donationem Romanam sedem obtinere, plenam potestatem disponendi, tum de temporalibus, tum de sacris supra omnes Ecclesias. Et sanè, Constantinus non dicit se id permittere, sed *decernentes*, inquit, *sancimus, ut Romana Ecclesia sit princeps, utq; suo judicio disponat, quæ ad cultum Dei & fidem pertinent.* Item *decernimus ornari Ecclesiasticam militiam, ut ornatur secularis: volumus, eiusdem sint distincta officia;* Item *decernimus, quo habitu, tum Pontifex, tum Clerici eius uti debent.* Quæ omnia non possunt non vehementer præjudicare libertati Ecclesiæ, dum patitur Imperatoriam potestatem disponere de iis rebus, quarum jurisdictio merè est Ecclesiastica. Quod si jam Canones vim suam exerunt, quod statuta Laicorum de rebus Ecclesiasticis non valeant, propter defectum potestatis, ut communiter tradunt Doctores *ad c. Eccl. S. Mariæ de Constit. & ad Authent. cassa C. de sacros. Eccles. per c. benè quidem. c. cum ad verum. cum concord. dist. 96.* Sicut Symmachus in concilio 3. à se celebrato irritum facit statutum Cæcinnæ, perfecti urbis, *Quia Laico non liceret statutum facere in Ecclesia*, quod in hunc sensum allegant, quasi Laici de rebus Ecclesiasticis decretum ipso jure nullum sit, propter diversitatem jurisdictionum: jam illorum ipsorum judicio nullum erit statutum Constantini, de primatu Ecclesiæ Romanæ, de eius potestate in rebus ad cultum & fidem spectantibus, & quod Clerici, id est, Cardinales, *uti ibi exponit Cardinal.* debeant uti albis equis, quod Papa diadema debeat gestare, quod ipsius officia debeant distincta esse. Omnia enim hæc à Laico statuta in aliena foro, vim nullam obtinent, cum multi sint, qui putent, ne favorabili quidem

Constantinus peccat contra Canones.

statuto Laicæ potestatis includi Ecclesiam, Panormit. *in Rep. d. c. Eccl. S. Mar. de Const.* quia statutum non extenditur ad non subditos. *c. à nobis de immun. Eccl.* Jason. *in l. ut inter divinum C. de sacros. Eccl.* Bartol. *in l. filiusfamilias. § Divi. n. 11. ff. de legat. 1 & ibi Dd.*

9. *Donatio minuit potestatem pontif. divinitus datam.* Præterea, dum donationem hanc agnoscit Papa, incautè detrahit melioribus juribus, ex quibus supra audivimus, eum sibi vendicare imperium totius mundi, ut & ipse Baron. advertit *tom. 3. Annal. sub. an. 324.* dum ait, *Cæterum justa possessio, quam, si careret humano, divino saltem jure, quo subordinatæ sunt ipsi rerum dominia, Romana Ecclesia legitimè sibi vindicat, ac posteriores, Reges & Imperatores amplissimis privilegijs ratam habuere, à Iohanne Diacono, ex depravato illo à Græcis mutuato Donationis edicto, ambigua redditur potius, quam probetur, quod cuique rē perspicacius intuenti redditur manifestū &c.* Quod enim suū cuiusq;, ex pluribus causis eius esse non potest, *l. 159. l. 45. ff. de R.I.* quandoquidem dominium non ex pluribus, sed una tantum contingat, *l. 3. §. ex pluribus. ff. de acquir. & amitt. poss.* Et quod jam nostrum est, proprium magis, aut amplius nostrum fieri non potest. *§. 10. Inst. de legat. §. 14. Inst. de action.* Si ex donatione Constantini, quia donatio est ex mera liberalitate & nullo ex debito. *l. donari. ff. de Donat. l. donari. de R.I.* Gomez. *de donat. n. 1.* Azo *in sum. C. de donat. n. 1.* non igitur obligatus fuit Imperator per jus divinum reddere possessionem malè usurpatam. Non enim debuisset dicere: *concedimus, contradimus, relinquimus*: sed permittimus Papæ, ut ex plenitudine potestatis, jure divino sibi debitæ, sanciat, ita, ut verbis edicti repugnet, quod Lancelot. dicit *lib. 1. de Imper. c. 1. §. 2. q. 2. n. 12.* & Petr. de Andlo. *lib. 2. de Imp. c. 9.* alienationem Constantini fuisse potius *relaxationem, resignationem, & restitutionem, quàm donationem.* Nam in actis B. Sylvestri dicitur, Constantinum, à lepra per baptismum liberatum, remunerandi Pontificis gratia, Romam Papæ cessisse, Item, quod injustum putaret, eodem loco morari cum summo sacerdote, quam rationem addit & Nicolaus III. *c. Fundam. de Elect. in 6.* Nullus tamen, quod maximè pro autoritate Papæ fecisset, ausus fuit addere, Constantinum id fecisse ex debito. Nam iniquè partitus fuisset, Imperator, cum non tantum occidentales partes, sed & orientales resignare debuisset, quippe jure divino non minus debitas Papæ, quam illas, siquidem omnis potestas vicario Apostolico relicta fuit. Quod si igitur jus in regna occidentalia sibi vendicat Papa, propter donationem Constantini, in orientalia nullum ipsi competet, quia illa contradita nōn fuerunt, & proindè non erit Dominus mundi, sed occidentalium tantummodo partium.

10. *Incautè praetendi* Deniq; sicut donatio Constantini diminuit, jus totius mundi: ita vicissim Caroli M. donatio & Ludovvici, agnita *in c. ego Ludovv. dist. 63.* dimi-

diminuit jus occidentalium partium, dum præter Romam, & circumsitas proximè provincias nihil includit. Circumferuntur enim duo diversa instrumenta, quorum alterum refertur à Gratiano, *in c. ego Ludovvicus. dist.* 63. alterum ex Vaticana bibliotheca excerptum est à Volaterra. *lib. 3. Geog.* quod multò plura, quam illud, continet, Ravennam, Ferraram, Siciliam, Sardiniam, Corsicam &c. Ideoq; in curia magis receptum est, quia vi ejus donationis Clemens V vocat regem Siciliæ subditum Ecclesiæ, Vasallum & hominem ligium *Clement. pastora. de sent. & re jud.* Ferrariensem quoq; Ducatum sibi adjudicavit. Sed si jam omnia regna occidentalia donasset Constantinus. quorsum opus erat liberalitate nova, Pipini, vel Caroli vel Ludovvici? Inutiliter enim stipulamur rem nostram, ratione Dominii: *lib. 31. ff. de verb. oblig* inutiliter legatur nobis eadem res eodem respectu: §. 10. *Inst. de leg at.* neque pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emtio, neq; locatio rei suæ consistere potest. *l. 45. de R. I.* Pluribus quidem ex causis res mihi deberi, sed semel tantum mea esse potest, *lib. 14. §. 2. ff. de excep. rei. jud.* nec acquirere possum, quod jam meum est. *l. 4. C. de cont. emtio.* Albertus Pighius *lib. 5. Hierarch. Eccl. c 6.* videtur hoc argumentum velle aufugere, sicut & Ludovv. Molin. *tr. 2 disp. 25 de just.* dum aliud jus dicunt olim servatum fuisse in Imperio Græcorum, aliud in Imperio Germanorum. Non advertunt, quod hac responsione eludant totum de translatione Imperii figmentum. Si enim Imperator jus nullum habet, nisi per concessionem Pontificis, quare Pontifex suum jus sibi non reservavit? An non vulgata est regula, quod res transeat cum suo onere? Et quod contra Ecclesiam, & ut ipsi loqui videri volunt, contra totius mundi utilitatem vergit, id nullo jure unquam subsistere potest? Ne interim bis objiciam, quod non tantùm Romanæ sedis patroni, sed & ipsi Pontifices donationem hanc, tanquam adhuc hodiè validam non semel allegent. Parum igitur prudenter Papæ, qui cum jam plus possiderent, ex nova donatione minus recipere maluerunt.

tur donatio Caroli M. & Ludovvici.

Cum igitur ex prædictis obscurum non sit Paleam istam Constantin. *dist. 96.* esse suppostitiam, meritò ridet Æneas Sylv: *in d. dial.* eos, qui disputant, an donatio illa valeat, quæ nunquam facta fuit: Sed tamen, ut quam inconsideratè efficta sit, adhuc magis innotescat, uno atq; altero argumento planum faciemus, quod nec Imperator tam profusa prodigalitate regnum potuerit exhaurire, nec Ecclesiæ honorificum fuerit, tantum recipere, quicquid de validitate hujus donationis disputent Canonistæ, & præcipuè Abb. *in c. venerab. qui filij sint leg. & conf.* 82. Battol. Bald. *in proœm ff.* Rufus *contra Molin. pag. 645.* Castald. *in tr. de Imper. q. 51.* Anton. Rosel. *in tr. de Pot. Imp. & Pap. §. & bis* Augustin. de Anchona *in lib. de pot. Eccl. q. 43. art. 1. cum seqq.* Oldrad. *conf. 85. prolixè* Alban. *in addit: ad Bartol:*

II. *An donatio si facta esset, valeret.*

in proœm: ff. ad v. valeat vel non. Pacian: *de probat. lib. 2. cap. 43. num. 26.* Scissel. *in spec. feudor:* Bursa: *consf. 124. lib. 1.* Fachinæ: *libr. 8. controv. cap 1.* Ludovv. Molin: *tr. 2 de just. disputat: 25. §. Hinc dubitant Dd.*

12. *Imperator nequit imperium alienare.* Nam illud constat primum, estque certi juris, Imperatorem non posse bona Imperii alienare in detrimentum Reipub. ex qua causa Franciscus primus revocavit quod Carolo V. promiserat, Bellai: *libr. 3. comm. histor.* Guicciard. *l. 16.* & Carolus VI. quod Johannes Anglo concesserat. Frossard. *lib. 3.* Thomas Mor. *in supplic: an: in purg:* Johannem Regem Angliæ negat *unquam regnum suum Papæ dono dare potuisse, nec terram suam vectigalem facere, etiamsi id maximè vellet,* quod etiam Philippus Galliarum Rex his verbis protestatus est, ut refert Parisien: *in ann. 1216. Regnum Angliæ patrimonium B. Petri non erat, nec est, nec erit. Nullus Rex vel princeps, potest dare regnum suum, quod c illReſp. sine assensu Baronum suorum, qui regnum illud tenentur defendere. Et si Papa errorem hunc defendere decreverit, perniciosam regnis omnibus exemplum perhibetur, &c.* Ecquod verò majus detrimentum Reipublicæ potest accidere, quam si plusquam dimidia parte sui privetur. Et hoc est, quod gl. dicit *in Authen. quomo: opori: Episcop. & Cler. in ver. conferens generi: quia tunc non esset Augustus* dictus, *ut in rubr: proœm. Instit:* ubi Augustum derivat ab augendo; ut & Egesipp: *5 bell. Iuda:* & Eutropius, quam ineptam Etymologiam Germana phrasis sequitur, ut ipse Fridericus III. *in constit: Reformator: An: 1442.* dicit: Darvon das H. Reich / des wie ein mehrer genand sein / gar schädlichen gemindert / licet constet Augusti nomen, quod inter acclamationes postea remansit, perindè ut Cæsaris, & aliquandò Antonini, Octaviano datum, Munatii Planci sententia, cum quibusdam consentientibus, Romulum appellari oportere, prævaluisset, ut Augustus potius vocaretur; Flor: *lib. ult. c. ult.* non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoq; religiosa, & in quibus auguratò quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu vel ab avium gustu, gestuve, gustatuve, ut ait Festus *lib. 1.* sicut etiam Ennius docet scribens:

Imperator unde dictus Augustus.

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Et Ovid. *lib. 1. Fast.*

Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu.

Suet. *in August.* Et Virg. *7. AEneid. Augusta ad mœnia regis Ire jubet.* Et Cic. *de Natu. Deo:* Deorum simulachra *Augusta & sancta* indigetat. Dion. *lib. 53.* Wesenbec *in proœm. Inst. in ver. Augustus.* Hottoman. *ibid.* Corras *in Misce. l. 3. c. 29. n. 6. & 7.* Matth. Steph. *2. de jurisd. c. 1. memb. 1. n. 21.* Nihilominus, licet illa Accursii derivatio sordeat Mynsingero & Schneidevv. *in præfat. Inst. in ver.*

in ver. August. tamen res ſub nomine comprehenſa vera eſt, quod Imperator teneatur augere imperium, & non diminuere, ſicut non tantum Imperator jurat: ſed & quilibet Rex & princeps. *c. intellecto de jurejur.* Unde ipſe Honorius III. negat valere alienationes à Rege Ungariæ factas in damnum regni. *d. cap. intell.* Sed præſtat audire verba, quibus alienatio Conſtantini prorſus reſcinditur: Sic igitur ſcribit ad Archiepiſcop. Colloſſenſ. *Intellecto jamdudum, quod Cariſſimus in Chriſto filius noſter Hungariæ Rex illuſtris alienationes quaſdam fecerit in præjudicium regni ſui, & contra regis honorem: nos eidem regi dirigimus ſcripta noſtra, ut alienationes prædictas non obſtante juramento ſi quod fecit de non revocandis iiſdem, ſtudeat revocare.* Ex quo facilè redarguimus id quod Bald. notat, *ad. d. cap. num. 4. Imperatores prius confirmare donationem Conſtantini: poſt de non alienandis bonis imperij jurare.* Nam licet juraſſet Imp. ſe eam ratam habiturum tamen propter ſummum incommodum non teneretur ſervare; *argum. d. c. & per Felin. in c. ad audientiam num. 4. extr. de præſcript.* Item Hilarius ſimili ratione, de illicita alienatione bonorum Eccleſiæ loquens, *ut explicat gl. in c. quod quis commiſit. in verb. quod quis 35. quæſt. 9.* vult, *ut quod quis commiſerit illicitè, aut à prædeceſſoribus ſuis invenerit admiſſum, ſi proprium periculum velis vitare, damnet.* Cum igitur alienatio Conſtantini ſit illicita & detrimentoſa, judicio & mandato ipſius Papæ revocari debuit. Eſt verò detrimentoſa non ſolum Reipublicæ, ſed etiam ſucceſſori & hæredibus, quibus legitimam ſuam hæreditatem aufert, & transfert in extraneum, quod patrem quidem, niſi graviſſimis de cauſis, facere non poſſe JCTI docent, & illi ipſi tradunt, quod donatio immenſa & inofficioſa extraneo facta, ſuperſtitibus liberis, quæ horum legitimam tangat, revocari poſſit, *per l. 1. & per tot. tit. C. de inoffic. donat. Authen. Unde ſi parens C. de inoffic. teſtam.* Gomez *tom. 3. reſolut. c. 4. de donat. num. 13.*

Quin etiam ad donationem non tenetur donator, niſi in quantum facere poteſt, id eſt, habita ſui ratione, ne ipſe egeat. *l. ſunt qui. l. inter eos. ſ. Neſennius ff. de re judic.* Martin. Abbas *in addit. ad Azon. ſum. Cod. de donatione.* Addit gloſſ. *ad d. Autent. Quomo. oport. Epiſc.* quod Conſtantinus non potuerit imperare ſucceſſori, ut donationem ratam haberet *per l. nam magiſtratus ff. de arbitr. l. ille à quo. §. tempeſtivè. ff. ad Trebellian.* Succeſſor enim non tenetur, niſi quod honeſtas & utilitas publica ſuadet, ex actis prædeceſſoris complere, ut alibi abundè diduximus. *libr. 1. cap. ult. de jur. Majeſt.* Atqui, quod hæc donatio diruat utilitatem publicam, nemini dubium eſſe poteſt.

Sed & quod nec honeſtè potuerit à Pontifice accipi, paucis itidem demonſtrari poteſt. Nam, *ut gloſſ. ad dict. Auth.* & Alber. *ad l. benè à Zeno. C. de*

Immenſa donatio nō valet.

13. Pontifex nō potuiſ-

fet honestè donata à Constãtino recipere.

Cod de quadr proscript. allegant, inconcinnum est, ut unus duo habeat officia, quia difficilè est, ut unus duorum vicem gerere possit. *l. si plures in med. ff. de pactis.* Imò non convenit dignitati Ecclesiasticæ, nec verò permissum est Clericis, rebus temporalibus se miscere, ut supra abundè demonstravimus. Nec Imperator jura Pontificatus arripere, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpare debet. *c. cum ad verum. dist. 96. cum gloss. ibid. & in c. quoniam. in ver. sic actibus, & in ver. discreverit, distinct. 10.* Et in Concilio Lateran. sub Innocent. III. *cap. 42.* sancitur: *sicut volumus jura Clericorum non usurpent Laici, ita velle debemus, ne Clerici jura sibi vendicent Laicorum:* idque innuit gloss. *ad d. Authent.* quando dicit: *ne turbetur opus Dei, si Clerici intromittant se in temporalibus. l. placet Cod. de Episcop. & Cler.* Legatum autem vel donatio incapaci facta inutilis est. *§. non solum. Instit. de legat. l. mortuo §. Labeo. ff. de legat. 2. l. multum interest, de verborum obligat.* & ibi Corras. & Gothofred. Ideoque dicere possemus, sicut Ambrosius, cum Valentinianus Basilicæ copiam ab ipso peteret: *nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit, libr. 1. Epist. 33. c. convenior. 23. quæst. 8.* Præterea Ecclesia non debet lucrari cum alieno incommodo, sicut Gratianus notat, *c. si quis irasc. 13. quæstion. 2.* Augustinum dehortari, *ne quis iratus filium suum exhæredet, atq; totum Christo relinquat,* & addit Augustinus, *in sermo. 2 de vit. Cler.* bonam rationem, *quia decet Ecclesiasticæ professionis hominem omni modo eniti, ut placetur pater, eique filius reconcilietur. Quomodo autem, cum filio suo, volo, ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem.* Item ibidem. *Quicunque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alium, qui suscipiat, non Augustinum: imò Deo propitio, nullum inveniet. Quàm laudabile factum sancti & venerandi Episcopi Aurelij Carthaginensis? quomodo implevit os omnium, qui sciunt, laudibus Dei? Quidam enim cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes (retento sibi usu fructu) donavit Ecclesiæ. Nati sunt ei filij postea, & reddidit Episcopus, nec etiam opinanti illi, quæ donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli. c. quicunque 17. quæst. 4.* Patet igitur, quia jure poli non potuit Episcopus retinere bona patris, in præjudicium filiorum, quod nec Sylvester potuerit accipere, quæ Constantinus dicitur obtulisse cum sui, suorum liberorum & totius imperii interitu. Vide Jacob. Bellovis. *in proœm. ff.* Eberhar. *in Top. legal. in loco à verisimil. num. 35. & seqq.* Longoval. *in rep. l. Imperium. ff. de jurid. part. 4. c. Lex autem num. 45. &c.*

CAPUT VII.

DE TRANSLATIONE REGNORUM ET IMPERII, UTRUM A PAPA FACTA SIT, VEL fieri jure potuerit.

SUMMARIA.

1. *Regnum Siciliæ quo jure pertineat ad Ecclesiam.*
2. *Quid juris, quo titulo sibi vendicare possit Pontifex in Angliam.*
3. *Galli potestatem Pontificis in regem nec agnoverunt, nec agnoscunt.*
4. *Childericus Rex non depositus fuit à Papa, sed à proceribus, quibus Papa nõ nisi consilium dedit rogatus, & iniquum factum suo consensu stabilivit.*
5. *Iniqua fuit depositio Childerici, quã nullus Papæ applausus ratam justamve efficere potuit.*
6. *Quantam potestatem Pontifices sibi sumserint in Imperatores Romanos.*
7. *Temporalem Pontificum in Imperatorẽ potestatem frustrà conatur Bellarminus probare exemplo Ambrosii, Theodosium à limine Ecclesiæ sequestrantis.*
8. *Multò minus ex eo, quod Gregorius II. scribitur Italos abduxisse ab obedientia Leonis.*
9. *Quinam Imperatorum & Regum, sub specie excommunicationis, regno sint exuti.*
10. *Argumenta & ratiunculæ nonnullorum pro potestate Pontificis in Imperium rejiciuntur.*
11. *Imperium non dependere à Papa.*
12. *Liberalitas Pontificum prædicatur, qui dederant, quod jam meliori jure possidebatur.*
13. *Historia translationis Imperii breviter proponitur.*
14. *Populi consensus in translatione justa, excludi non potuit.*
15. *Demonstratur ex historiis, populi consensum intervenisse, nec solum Pontificem transtulisse Imperium.*
16. *Respondetur argumentis & effugiis Bellarmini.*
17. *Respondetur autoritatibus eorum, qui Pontifici videntur totum translationis negotium adscribere.*
18. *Pontifex nihil attribuit Carolo præter nomen & coronam Imperatoriam.*
19. *Nec quicquam præterea attribuendum habuit.*
20. *Carol. M. Imperiũ acquisivit jure belli & spontanea subditorum submissione.*
21. *Ipsi Pontifices fuerunt jurisdictioni Caroli subjecti.*
22. *Ex consecratione & benedictione, seu coronatione malè infertur ad communicationem potestatis.*
23. *Imperator non est æstimandus ex titulo seu nomine, sed potestate.*
24. *Imperator habet plenam potestatem etiam ante coronationem.*
25. *Papa coronatio, quam confirmationem vocant, nihil potest legitimè electo Imperatori addere.*
26. *Imperatorium nomen nihil addit Regi, præter amplitudinem dignitatis.*
27. *Electio successit in locũ successionis, & proinde idem operatur, quod successio.*
28. *Imperator statim à primo die Electionis suæ suscipit administrationem Imperii.*
29. *Imperator nullo jure cogitur petere coronationem à Papa.*
30. *De coronatione Imperatoris multa pro diversitate temporum & circumstantiarum, sæpius mutata.*
31. *Ex verbis, quibus Pontifex translationem proponit, deducuntur aliquot absurda & contradictiones.*
32. *Examinatur, an transferre imperiũ potuerit simul in personam Magnifici Caroli, & in Germanos.*
33. *Francos quidem & Carolũ M. oriundũ ex Germanis, sed patriam deseruisse.*
34. *De juramento, quod præstat Imperator Pontifici.*
35. *Iuramentum Imperatoris nõ esse fidelitatis, sed defensionis.*

Atque

ATque hoc unum caput est, ex quo Pontifex Romanus in Imperatorem, & per consequens in reliquos reges, principes & Respubl. jus majestatis sibi vendicat. Alterum sequitur ex eo, quod imperium dicat se transtulisse à Græcis in Germanos, cui cohæret jus coronandi, à Pontificibus administrari solitum, usque à tempore Leonis qui primus Carolo M. coronam imposuit, unde occasionem sumsit arrogantia Pontificum, coronationem pro creatione interpretantium, sicut eodem errore Roffæus *in lib. de Reipubl. in reg. autor. c. 2.* perversè admodum ex actu coronationis evincere laborat, regum autoritatem dependere potissimum à manu Episcopi, nec minus malè Lancelot. *libr. 1. c. 2. de Reg. § 3. num. 7.* colligit: *Reges, Hierosolymitanus, Gallus, Siculus, & Anglus unguntur ab Ecclesia. Ergò quasi vasalli Ecclesiæ dicuntur.* quod & Sfortia Odd dicit *de rest. in integ. part. 2. q. 92. a. 9. num. 95.* qui addit & Lusitanum. Nec enim ob unctionem id fit, quod quidam eorum sint vasalli Pontificis, cum ab eo ne inungantur quidem, nisi casu fortuito, sed ex pacto, ita ut vel hinc nullum argumentum Eugubinus petere possit pro veritate donationis Constantinianæ, licet probet Papam omnibus regnis aliquandò imperasse. Non enim jure Apostolatus, vel vi donationis Constantini, quicquid in ea habuit imperii, sed ex pacto humano obtinuit.

De translatione Regnorũ.

Unctio regum non tribuit Ecclesia jus in eos.

1. *Regnum Siciliæ.*

Regnum enim Siciliæ in tabulis donationis Ludovvici *apud Volat. lib. 3. Geog.* reperitur Paschali concessum, quanquam in alio instrumento, *c. Ego Ludovvicus, dist. 63.* unà cum Sardinia & Corsica absit. In divisione enim imperii inter Carolum M. & Irenem, huic relictum fuit, quicquid cótinetur Neapoli, Siponto & capite d' ottranto unà cum Sicilia, quæ manserunt, una cum Neapoli in fide imperatorum Græcorum, usq; dum à Rogerio Normanno occuparentur. Joh. Carolus Summonte *hist. Neap. lib. 1. c. 12.* Sigon *libr. 7. hist. Ita:* Cæterum Clemens V. Regem Siciliæ, Ecclesiæ Vasallum & hominem ligium vocat in Clement. Pastora. *de re judic. c. Apostolicæ. de sentent. & re judic. in 6.* Et Guicciard. *lib. 1.* vocat regnum Neapolitanum feudum antiquissimum Ecclesiæ. Et Pontifices illud regnum, cui voluerunt, nunc Arragonibus, nunc Gallis, nunc Germanis detulerunt. *Vide lib. 1. de Iure Majest. c. 5. n. 7. 8.*

2. *De regno Angliæ.*

Regnum Anglorum non prius delapsum est ad Ecclesiam, quam Johannes Rex, res suas, contra Ludovvicum & regni proceres, desperatas videns, ad sacram anchoram confugiturus, se & quicquid ex tot tamque amplis provinciis perditis adhuc superat, in sinum Ecclesiæ recipiebat, ut ejus bullis ex Anglia avocaretur, quem arma pellere non potuerunt, id quod non tantum ab Anglis: sed & Italis memoriæ mandatum fuit. Blond. *lib. 6. Dec. 2.* Anton. Florent. *hist. part. 3 tit. 9. § 5.* Polyd. Virg. *libr. 15. hist. Angl.* Higden. *in Polychron.* Paris & VVestmonasteriensis *in Ioh.* Nam quod Steuchus

chus producit, ex regestis Alexandri III. argumentantis à nummo Petri ad subjectionem Angliæ convincẽdam, quem sine ratione sequitur Claude de Rub. *lib.3. hist. Lugdun. cap.35.* parum habet momenti, cum quia Saxonum facta, non obligabant Normannos, quippe, qui hos una cum Danis vi exegerant, & non alio, nisi belli jure regnum possidebant, tum quia nummus Petri non erat signum subjectionis, sed pensio annua, quæ dabatur ad pios usus, ad sustentationem scholæ Anglorum & Ecclesiæ. Verum primus Johannes coronam resignavit Pandulpho legato Apostolico, eamque ab ejus manu recepit, quod Polydor. Virgil. *libr.15.* eum tantum fecisse putat pro persona, & non pro posteritate sua. Ranulphus tamen Higdenius *in Polychron.* cui potius fides habenda, eum obligasse etiam hæredes testatur, id quod manifestè continetur in tabulis, ubi legimus: *Successores nostros, & hæredes de uxore nostra in perpetuum obligantes, ut simili modo summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ, sine contradictione debeant fidelitatem præstare & homagium recognoscere.* Paris *in ann.1216.* VVestmonaster. *in Ioh.* Smitius de Rep. Angl. *lib.1.c.9.* aliter effugit, *That act,* inquit, *being neither approoved by the peopie, nor establisched by act of parliament, ar forthe VVith, and ever sithens taken for nothing, either to binde the King, his successors, or subjects.* Et sanè cum præcipui Barones sequerentur partes Ludovvici, Johannes justis comitiis rem deliberandam nunquam proposuit, nec ejus factum ullo consensu statuum confirmatum fuit, quod ad jus inducendũ in Angliâ omninò requirunt: imò non nisi invita obsecuta sunt comitia bullis, quas Henric. III. ab aula Romana eblandiebatur, Stovv *in Hen.3.* & inter causas abdicationis Richardi II. ponitur, quod ad Papæ subsidium confugisset, cum Angli non agnoscant superiorem, præter Deum & regem. Hal. *in hist. Late Anglica Apolog. Protestant. pro Roma. Eccl.* Nec quisquam ex regib. investiturã accepit aut petiit à Papa, nec, ut ait Thomas Mor. *supplic. anim. in purg.* pecuniam vectigalem unquam solvit. Quicquid igitur jurisdictionis Papa exercuit, in invitos Anglos exercuit, ad id exoratus ab Henr. III. qui aliud contra vim comitiorum, quæ tum vires sumebant, contra jus regis absolutum, remedium non inveniebat, post cujus tempora ita decrevit autoritas Papæ ut ejus bullæ non majoris æstimarentur, quàm illæ, quæ innatant aquis, ipsius legatis etiam portus clauderentur, & Italorũ, quos Papa in Angliam miserat, bona confiscarentur. Helinsh. *in Eduar.3.* Nec enim mirum, si proceres ejus regis factum agnoscere noluerunt, quo pejor in illis oris nullus regnavit, quem Paris. *in Ioh.* à procerib. vocatum scribit, *Regum ultimum, principum abominationem, nobilitatis Anglicanæ confusionẽ,* quique regnum per Tyrannidem, excluso & clanculum interfecto nepote, cui regnum debebatur, invaserat, & crudeliter sub jugo deprimebat, & qui regnum non subjiciebat alteri, nisi desperatione coactus. Quæ autem metu

& vi facta sunt, præses non patitur rata haberi. *lege septima, & per totum. C. de his quæ vi metuve.* Et vetus est illud Baldi: *in rubr. de controv. invest. Spiritus sanctus posuit in ore prætoru: quod metu gestum est, ratum non habebo.* Vis autem est *major, vel, ut mavult* Cujac. *majoris rei impetus, qui repelli non potest*, ut ait Julius Paulus. *lib. 1. recept. sentent. t. 7. de in integ. restit. Non ea sola vis est*, ait Cicer. *pro Cæcin. quæ ad corpus nostrum vitamq; pervenit: sed etiam multo major ea, quæ periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco sæpè & certo de statu demovet.* Et sic vi & mole bellica oppressus Johannes, cum exitum alium non videret, veritus, ne vita simul cum regno exueretur, maluit se Papæ beneficiarium facere, & ut ait Platin. *in Innocent. divino Papa auxilio uti*, quàm aut vita cadere, aut peregrini hominis, suorumque subditorum jugum subire. Episc. Cicestr. *in Tortura Tort. pag. 216.*

5. Quod verò regnum Gallorum attinet, nec illic unguntur Reges à Pontifice, nec ejus majestatem agnoscunt, ut testantur omnes fere JCTI Gallici, quanquam libertati isti non semel insidiati sint multi Pontificum, Urbanus II. & imprimis Bonifacius IIX. de quo scribit Plati. *in ejus vit. qui dare regna & auferre, pellere homines & reducere conabatur, aurum undiq; conquisitum, plus quam dici potest, sitiens.* Is igitur ad Philippum IV. scripsit in hunc sensum: *Scire te volumus, quod in Spiritualibus & temporalibus nobis subes: beneficiorum atq; præbendarum ad te collatio nulla spectat, & si aliquarum vacantium custodiam habeas, usum fructum eorum successoribus reserva, & si quæ contulisti, collationem haberi irritam decernimus. Aliud credentes, fatuos reputamus.* In capitulo quoque *unam sanct. Ext. de major. & obedien.* non est dubium, quin includatur Rex Galliæ & subjiciatur gladio Papæ, cum *in fin.* dicatur, *de necessitate salutis esse, ut omnis anima sit subjecta Pontifici.* Unde & pendente excommunicatione Philippi, cum scribi aliàs soleret: *regnante Philippo*, ejus loco positum est: *regnante Christo*, quasi regnum ad Ecclesiam recidisset, cum Philippus eo exutus esset. Ivo *Epist. 134.* Aemil. *lib. 3.*

Injuria Bonifacii in regem Gall.

Cæterum Philippus IV. hoc Bonifacii ex pelui fulgere parum perturbatus totidem verbis rescripsit: *Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse. Aliquarum Ecclesiarum & præbendarum vacantium collationem ad nos jure regio pertinere & percipere fructus earum contra omnes possessores, utiliter nos tueri: secus autem credentes fatuos reputamus, atq; dementes.* Nicol. Gillius *in Phil.* Steph. Aufret. *in repet. Clem. 1. de offic. ord. n. 57.* Pasq. *li. 3. des Recherch. c. 11.* Joh. Bed. *c. 6. de jur. Reg.* Quin & Platina addit, legatum pontificis conjectum fuisse in carcerem, & ipsum Bonifacium à Sarra Columnese, à Philippo subornato, ope Gibellinorum captum & Romam perductum, trigesimo quinto die post, mœrore animi contabuisse. Non minus concisè, sed sensu paululum diverso scripsit VVoldematus Rex Dan. ad Pontificem: *Notum tibi facimus, vitam nos habere à Deo, nobilitatem à parentibus*

Responsio Regum.

bus, regnum à subditis, fidem ab Ecclesia Rom. quam, si nobis invides, remittimus per præsentes. Haiminsf. *c.9.contr.Gretser.* Alius porrò ejusdem nominis Rex Philippus, cum Papa solitis suis minis ipsi obstreperet, ne filium suum Ludovvicum ab Anglis petitum mitteret in regnum, quod esset in patrocinio Ecclesiæ, respondit: *filium suum vocatum esse legitimo modo à proceribus regni: Papæ autem traditam potestatem à solo rege, in cujus manu non sit, regnum, invitis proceribus, alienare, cum hæc sit curatio omnium statuum,* & sic contemta fulminatione Papæ, nihilominus perrexit filio suppetias etiã contra ipsum Papam ferre. Paris. *hist. min. in an.* 1216. VVestm. *in Ioh.* Carolus VI. quoque Benedicti XIII. qui Avenione sedebat, bullas & legatos, de cõsilio universitatis, & senatus Parisiensis, satis ridiculè excepit, ut constat ex Nihem. *tr.* 6. Papon. *lib.1. Arrest.t.5.art.27.* Pasq. *lib.3. des recherch. de Franc. c.12.* Contra Gregorii XIV. in Henricum III. bullam, il est dit par Arrest, *que ceste bulle sera bruslee en la place publique par les mains du Bourreau: decret est decerne contre Landriano Nonce: Deffences sont faictes de porter, ni envoier argent à Rome, ne de soy pourvoir pour l'expedition des benefices: Gregoire XIV. soy disant Pape declarè ennemi de la paix, de l'union Catholique, du Roy & de son Estat, adherant à la conjuration d'Espagne, fauteur des rebelles, coulpable du tresdetestable parricide, commis en la personne du Roy Henry troisiesme. Arrest. de Tours & de Chaalons.* Nam Innocentius III. jam scripserat de Rege Francorum, quod in temporalibus superiorem minimè recognosceret *c. per venerab. Qui fil. sint legit.* Et Clemens V. *in c. meruit ext. com. de privileg.* irritam facit definitionem Bonifacii, qua regem regnumque Franciæ Ecclesiæ subjiciebat, *& volumus,* ait, *omnia intelligantur, in eodem esse statu, in quo erant ante definitionem præfatã, tam quantum ad Ecclesiam, quam etiam ad Regem, regnum & regnicolas.* Jacob le Chass. *in tr. de ant. liber. Eccles. Galli:* ap. Bochell. *lib.4. decret. Eccl. Gall. tit.21. cap.1.* inter summa capita libertatis recenset: *Neque Papam, neq; totum omninò Clerum, habere jus de ulla re temporali statuendi, multò minus de Regno, seu imperio supremo.* Imò ne decretum quidem Synodi Trident. *Sess. 25 c. 19.* de interdicto duello, conventus ordinum Paris. recipere voluit, ex hac causa, *quod vergeret contra autoritatem Regis, qui non potest privari dominio suo temporali, cujus respectu nullum omninò recognoscit superiorem.* Bochell. *lib.5. tit.20. c.* 46. Anno 1561. damnatus fuit ad παλινῳδίαν Tanquarellus, qui disputarat: *Papam, ut vicarium Christi, Spiritualem & temporalem habere jurisdictionem, & dignitatibus Ecclesiæ rebelles principes posse multare.* Bochell. *libr. 5. tit.3. cap. 6.* quod decretum hoc anno repetitum contra Jacobitam, qui ejusdem argumenti thesin affigere non erubuerat. Curia quoque, *in edicto contra libr. Bellarm. de pot. Papæ juxta finem, inhibet ac vetat, ne quis Doctor, Professor, aut alius quicunq; supra dogma de potestate Papæ in scholis, Collegiis, aut aliis locis tractet, disputet scribat aut doceat, directè vel indirectè.* Haiminsf. *in replic. cõtr. Grets. c.9.*

Gloss. *ad d. c. meruit.* affingit mirabilem glossam, quod hoc procedat *de facto*, & non *de jure*, quia de jure subest Rex imperatori, *ut dicit Hostiensis*, & sic consequenter Papæ, qui est super Imperatorem: Nam ne repetam, quod alibi demonstravi, falsum esse: *omnia* scilicet *regna subesse Imperatori*, glossa tota est contraria textui. Nam quod legibus conceditur, id propterea conceditur, ut de jure esse cognoscatur, & in eum finem Papa id c. inter jura repositum voluit.

4. *De depositione Childerici & substitutione Pipini.* Superest adhuc scrupulus ille, propter quem Pontifices jus sibi in reges Gallorum arrogarunt, qui est depositio Childerici & substitutio Pipini, à Zahatia, ut dicunt, facta. Ita nimirum de ea re Canon. *Alius 15. q. 6. Alius item Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, regem Francorum nō tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ potestati erat inutilis, deposuit & Pipinū Caroli M. Imperatoris, patrem in ejus locum substituit, omnesq; Francigenas à juramento fidelitatis, quod illi fecerant, absolvit*: quæ verba Gloss. *in d. c.* & vulgati codices Gelasio adscribunt, cum tamen constet Gelasium antè Caroli M. tempora mortuum, ità, ut nec de autore quicquam certi habeamus, sed cogamur refugere ad Ivonem *part. 5. c. ult.* qui refert Epistolam Gregorii VII. *ex lib.* 8. *Epist.* 21. quam & Vercellensis habet, unde verba hæc tractata sunt, quæ quantum roboris habeant, ex collatione reliquorum historicorum patebit, quibus tanquam publicis monumentis fidem derogare temerè nō possumus. *arg. l. 1. in pr. ff. de offic. quæst. l. 11. ff. de prob. & præs. l scripturas. C. qui pot. in pig. hab. c. cum causam de probat. c. ad audientiam. de præscrip.* Quis enim Papæ in propria causa testimonium sibi perhibenti tam facilè crederet? Francos, quos Egnatius *in præf. in Cæsar.* & Aemil. *lib. 3. hist. Gall.* naturaliter scribit odio habere externa imperia, libertatem suam voluisse alienigenæ tam sine causa prodere, præsertim, cum nec antè, nec post tale quid fecisse reperiantur.

Sed quid opus est conjecturis, quandò rerum testimonia aperta sunt. Primum igitur Monachus Cænobii Egolisnensis, *quem* Rhegino Abbas Prumiensis *ad ann.* 814. *se secutum ait, in vit. Caroli M.* scribit: *Pipinus Pius de illa linea generationis elevatus est primus à Francis in regem, cum consilio domini Papæ Zachariæ, & nobilium Romanorum*: quomodo autem Papa intervenerit, ex appendice Hunibaldi discimus *ad Trithem. Coacto n. Concilio procerum cœpisse eos consiliū de abdicando Childerico dicit, req; eo modo conclusa, ut Childerico Pipinus substitueretur, uq; recusaret regnum suscipere absq; consilio Zachariæ Romani Episc. misisse Romā, qui de sententia ejus certi fierent.* Rogationis summa quæ fuerit, *in fragmento de Major. domus* à Pithoeo *edito*, legitur: *Pipinus dux legatos ad Zachariam Papam dirigit, interrogans eum, si ità manere deberent Reges Francorum, cum penè nullius essent potestatis, solo Regio nomine contenti, quibus legatis Romanus Pontifex respondit, illum debere regem vocari, qui Remp. gereret.*

Atque

Atq; hoc est *jussum*, quod intelligit Eginhart. in vit. Caroli M. quando dicit: *jussu Stephani Romani Pontificis depositum ac detonsum Childericum*. Nam mandati verba hæc sunt: *Proindè fas est, & licet ipsis Francis Germanisq; repudiato degenere monstro eligere, eum, qui bello, domi, sapientia conjuges, liberos, parentes omnium deniq; vitam & fortunas tueri ac defendere queat & valeat. Data pridie Nonas Novembr. Imperante Domino piissimo Augusto Constantino Imperatore, imperij eius anno 33. Indictione quinta.* Aventin. *libr*: 3. *Annal*: Brevius Antoninus. 2. *part: hist. t.* 14. *c.* 1. §. 2. *Is meritò debet regnare, qui Rempub: strenuè gubernare sciat & possit.* Item Blond: *lib.* 10. *Decad*: 1. ex Alcuino: *Is, qui Regia melius obire munera novit, habendus Rex.* Atque hæc totidem verbis Annales incerti quidem, sed tamen ut ex narratione apparet, Germani autoris referunt, *sub annum* 751. *Orat*, ajunt, *sibi decerni, quis eorum justè Rex debeat dici & esse, is, qui securus domi sedeat, an ille, qui curam totius regni, & omnium negotiorum molestias afferat.* Iidem tamen *sub annum* 752. addunt: *Zacharias Papa ex autoritate sancti Petri Apostoli, mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur.* Mandabat verò? At qua potestate? An forte ut donatus occidentali imperio? Atqui Franci Imperium nunquam agnoverant, quin potius præfectos Imperatorum vi ejecerant. An ut dominus totius mundi? atqui paulo post Leo, ut pauperculus Episcopus, sat habet, terras quasdam, beneficii loco, à Pipino accipere; quas ut Dominus mundi ipsi donare debuisset. Qui hic integrum regnum donat, paulo post pauca quædam oppida vicissim emendicat? Cautius aliquantulum Gloss. *in verb*: *deposuit* & *ibidem* Hugo *add. c. alius dicitur*, ait, *deposuisse, quia deponentibus consensit.* Et vehemens alias regiæ dignitatis oppressor Rossæus *de Reipub. autorit: in reg. c.* 8. *n.* 7. *Principes & populum Gallorum, deposito veteri, novum sibi regem creasse* confitetur, *sed consilio pontificis.* Nam & alii ferè omnes historici rem explicant hac serie, hisq; verbis, ut primùm dicant Francos destinasse Pipinum Regem; uno consensu & una voluntate, tum petitum consilium Papæ, quia Pipinus sine prætextu aliquo religionis noluit tantum onus suscipere, & Papam rogatum respondisse: Sine specie religionis dico, quia & Hugo per ministros suos sparsit rumorem, se divina revelatione ad occupandum regnum incitatum. Meger. 2. *hist. Flan.* Nanger: *in Chron: An.* 897. & Carolo M. creditum est destinatum fuisse divinitus imperium; tum per visionem Constantini Copronymi, ap. Vinc. *lib.* 24. *Spec. c.* 4. *cuius meminit etiam Illyr. de translat: Imp*: tum per baculum Petri in Germaniam transmissum. *gl. in c: un: de sacr: unct.* Petr. de And. *lib.* 1. *Imp. Rom. c.* 14. Imò, sicut Pipinus ad regnum Franciæ sine opprobrio occupandum, colorem & prætextum Roma quæsivit, ita de Caroli M. imperio ait Alciat: *Vt justum aliquem titulum adepto Imperio prætendere posset, Cæsarem se*

Responsum Pontificis,

S. 3.

rem se & Rom. Imper: à Pontifice, populoq; Rom. designari procuravit. Novum enim non est, ut injuriæ gravissimæ pallio religionis tanquam dibapho strumæ tegi soleant.

De tota vero re Aimon: *lib.* 4. *cap.* 61. *Procerum suffragijs* Pipinum scribit electum Regem. Ado: *at:* 7. *sub annum* 749. *Papa Zacharias*, ait, *respondit, interrogatus à legatis; Illum esse dignum, ut declaretur Rex, qui jam gubernaret Remp: cuius consilium secuti Franci deposuerunt Childericum &c.* Viterbien: 17. *par. Chron. c.* 4. *Pipinus factus fuit Rex per Electionem Francorum & per Papam Zachariam.* Sigebert. *in Chron. Ann.* 750. *Auctoritate Apostolica & electione Francorum.* Trithem. *in compend. Annal. de orig. regum & gent: lib.* 1. *in fi. De unanimi omnium procerum consensu, Zacharia quoq; Romano præstante consilium.* Nec aliter rem explicant Frisingens. *l.* 5. *c.* 21. 22. & ipse Fasciculus temporum. Occam. *in dial.* Johann. Parisiens. *in tr. de potest. reg. & Pap. c.* 15. Almain. *de auctor: Eccl. c.* 1. Marsil. Padua: *de translat: Imp. c.* 6. Hottoman. *in Francogall. c.* 13. Lupol. Bernbur. *de jur. Imper. cap.* 12. *obje.* 7. P. Æmilius *lib.* 2. Waltram. Episcop. Naumburg. *lib.* 1. *Apolog. contra Epist: Gregorij VII. c.* 2. Naucl. *gener* 26. *in ann.* 750. Sabell. *Enn.* 8. *lib.* 8. Haillan. *lib.* 3. *in Childer: III. ann.* 750. *ubi Burchardi Episcopi ad Papam persuasoria oratio inseritur.* Nicol. Gill. *in Pipin.* Prolixè Michaël Coccin. *in lib. de translat. imp. in pr.* Widdringt. *in Apog. Bellarm: n.* 404. *& seqq.* Barclai. *de potest. Pontif. c.* 41. Mornæus *in myst: Iniq. in Zach. & Steph.* Tholos. *de Republ. lib.* 26. *c.* 5. *n.* 14. Ex quibus omnibus patet à Papa, ad hanc rem nihil profectum fuisse, præter consilium, & quod illud ne potuerit quidem communicare, nisi rogatus.

5. *Papa non potuit Childericum deponere.*

Alioquin non abs re miretur aliquis, quare Papa rem tam injustam sibi attribuere, quam populo maluerit, nisi fortasse nihil interesse putaverit, dummodò potestatem suam sibi stabiliret. Nam hæreditatem alicui eripere, & sine sufficienti causa ad extraneum transferre, quis non cum summa iniquitate conjunctum putet? Quin potius meminisse debuisset Zacharias, quod alibi scriptum est ad Bonifacium Moguntinum; *Nimis reprehensibile esse manifestum est, ut te vivente tibi alium substituamus, c. petijsti* 7. *q.* 1. cui potius curator dari debuisset ex sententia Gregor. *lib.* 11. *Epist.* 7. & Ictorum Bald: *c.* 1. §. *hoc quoq; de success: feud. & in Auth. hoc amplius C. de Fidejuss.* Paul: Montan: *tr. de jur: Tutel. & Curat.* 2. 28. *n.* 87. Tholos. 25. *de Rep. c* 5. *n.* 14. 17. sicut & Innocentii IV. consilio, regi Portugaliæ nobilitas & clerus curatorem substituerunt. Duardus Nonius *in hist; regum Portug. & in censuris de vera geneal reg. Portug. c.* 2. *de suppl. neglig: prælat. in* 6. Et Augustus Archelao Cappadociæ regi tutorem addidit, quam diu mente captus erat. Dion. *lib* 57. Ozias, cum lepra percussus cogeretur conversatione hominum abstinere, non poterat Remp. administrare, nec tamen à regno

regno exclusus fuit, sed Joathan filius regis pro patre regnum administravit. 4. *Reg.* 15. Nec adduci potuit Pontifex ullo modo, ut Carolo Gallo, ex morbo desipienti, regnum abrogaret & in Henricum V. Anglum transferret, licet is jam bonam partem Galliæ occupasset, & ducta in matrimonium filia Caroli, cum ipso & proceribus pepegisset. Monstrol. & Liv. *in hist. sui temp.* Quia si Episcopus mente captus propterea non excidit Episcopatu, sed officium facit per vicarium, *c, quamvis* 7. *q.* 1. multò minus ob vitium multò tolerabilius ab hæreditate sua potest removeri Rex, imprimis, quia agitur de præjudicio tertii, vel invito defuncto successuri, qui non vocatur à defuncto vel deposito, sed à majoribus, vel ex lege regni; *l.* 3. *de interd. & releg.* Quid enim hoc vitii, quod inutilitatem vocat c. alius, & gl. *in ver. inutilis* explicat, quod designet, *dissolutum cum mulieribus & effæminatum*, quam gl. sequitur Lupold. Bebenbur. *de jur. Imp. Rom.* *c.* 17. Si enim propterea fas est aliquem cum tota posteritate regno exui, proh Deum, quam pauci principes stabili sedent throno. Sed contra id genus brutos & Monarchomachos jam alibi disputavimus; ubi & Bellarmini instantias 2. *de Rom. Pont. c.* 17. diluimus, qui inepto argumento ex eventu, & ministerio Bonifacii Pontificis translationem justam facit, quemadmodum *in lib. de translat. imp. c.* 12. justè in Carolum translatum Imperium scribit, quia feliciter Carolus præfuit imperio: qua ratione & latrocinia Alexandri M. & imperia injusta Romanor. & Tyrannidem Cæsaris compendio probare potuisset. Verum idem Bellarm. *c.* 12. *contr. Barcl.* facta Pontificis excusat ex eo; quod regibus abjudicata regna, non sibi tribuat, nec illegitimis possessoribus, sed legitimis hæredibus. An verò Pipinus Childerici legitimus hæres erat ex lege Salica? Populo verò non licebat in principem, lege & hæreditatis jure confirmatum insurgere: multo minus Pontifici tantum injuriam suo calculo probare. De quib. videantur plura *in tr. de vi in princ. injust.* hæc fusius aliquantulum hic quoque diducere voluimus, quia Viterb. *par.* 17. *Chron. in an.* 745. & Ott. Frising. *lib.* 5. *c.* 23. hoc dicunt exemplum esse, unde Pontifices traxerint consuetudinem transferendi regna, quodq; Gregorius VII. & Adrianus IV. in suis Epistolis Imperatoribus ubiq; objiciunt, ut constet, ex quam furili principio potestatem suam auspicati fuerint.

6. *Potestas Pontificibus usurpata in Impp.*

Nec enim solis Gallis hoc exemplo persuadere voluerunt sibi in eos competere summum jus, sed etiam Germanis, propterea quod Innocent. III. *in c. venerab. de Elect.* scribat: *jus & potestatem eligendi Imperatorem ad principes ab Apostolica sede pervenisse, quæ Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos*, ibid: Bernardus & gl. *in ver. in German. c. Romani in Clem. de jurejur.* ex quo gl. *in c. in apibus* 7. *q.* 1. infert: quod, *qui dicat Imperatorem jurisdictionem habere sine Papa, dicat.*

dicat nos Imperatore carere. Et Bellarm. his juribus & domesticis testimoniis confisus, necessariò scribit Imperatorem obligari ad fidelitatem Papæ præstandam, quia hanc conditionem potuit Pontifex adjicere. *lib. 5. Rom. Pont. c* 8. quod & Bodin. & Tholos. concedunt, Immemores, quod illi juri sive potius injuriæ subjiciant Imperatorem, cui suos Reges nolentes volentes coguntur implicare. Bellarm. n. *de transl. Imp.* potestatem constituendi Imperatorem non aliunde deducit, quam ex potestate Papæ indirecta. At hæc non magis extenditur ad Imperatorem, quam Reges Christianos quoscunque, quibus easdem conditiones adjungere ex eadem providentia debuisset, *ne* vid. *contingeret hæreticos vel schismaticos creari*, ut ipse ait, aut admitti. Iam ante Innoc. II. Imperatorem Lotharium curaverat ad pedes suos prostratum pingi, asscriptis his versibus:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,

Post homo fit Papæ, sumit, quo dante, coronam.

Chron. Hirsaug: *in vit: Abbat: Hartuingi.* de quibus picturis ait Radevv. *lib.* 1. *c.* 16. conquestus est Fridericus I. coram legatis Pontificis: *A pictura* inquiens, *cepit: Ad scripturam pictura processit: Scriptura in autoritatem prodire conatur. Non patiemur, non sustinebimus: coronam ante ponemus, quam Imperij coronam unà nobiscum sic deponi consentiamus. Picturæ deleantur, scripturæ retractentur, ut inter Regnum & Sacerdotium æterna inimicitiarum monumenta non remaneant.* Gregorius VII. Rudolpho misit coronam cum hac inscriptione:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Avent, *lib. 5. Annal.* Adrianus scripsit ad Fridericum primum: *Romanum imperium à Græcis translatum est, ad Alemannos, ut Rex Theutonicorum non, antequam ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur. Ante consecrationem Rex: post Imperator. Vnde igitur habet Imperium, nisi à nobis? Ex Electione principum suorum habet nomen Regis, ex consecratione nostra habet nomen Imperatoris & Augusti & Cæsaris. Ergò per nos Imperat. Roma nostra sedes est. Imperatoris est Aquis in Arduenna, quæ Sylva Galliæ. Imperator quod habet, totum habet à nobis. Sicut Zacharias transtulit imperium à Græcis ad Theutonicos: ità nos possumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate nostra est, ut demus illud, cui volumus: propterea constituti à Deo super gentes & regna, ut destruamus, & evellamus, ædificemus & plantemus.* Avent, *lib. 6. Annal. Boi:* Hinc exscripta videri posset Johannis XXII. Epistola de Friderico & Luvvico Imp. *posteaquam à decessoribus nostris, res Romana, à Græcis ad Germanos translata, Carolo M. in fidem atq; tutelam commissa est, summus ille honor beneficium pontificis Max. esse solet. Decretum siquidem est, ut cum Germani principes Regum jussissent, id demum ratum esset, si Rom. Pontifex universi orbis Christiani pater atq; princeps author fieret, nec ante cuiquam comitijs Cæsaren, suffra-*

suffragiis principum designato Regi, neq; administrandi, neq; regii tituli usurpandi jus est, quam primarius sacerdos Dei opt. Max. legatus suo numine faveat & aspiret. Avent. *libr.* 7. *Annal.* Et hac potestate complures Imperatores imperio jussi sunt abire per varios Pontifices, inter quos Henricus IV. primus fuit, de quo Trithem: *in Chron. Hirsaug. c.* 4. *A Gregorio VII. excommunicatus & ab imperio Synodali Episcoporum decreto fuit depositus: quamvis non curaret. Ipse autem primus est inter Imperatores per Papam depositus*, imò, si Frisingensi credimus *libr.* 6. *hist. c.* 35. inter omnes Imperatores, *nisi forsan quis pro Anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus à Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à B. Ambrosio, propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sequestratus est.*

Nam quod Bellarm. *lib.* 5. *de Rom. Pontif. c.* 8. objicit Theodosium & Leonem Isaurium Imperatores Orientis, in quos Ambrosium & Gregorium II. ait exercuisse jurisdictionem & imperium, jam dudum refutatum est à Barclai: *de potest: Papæ c.* 39. & à VVidringt: *in Apol. n.* 347. & 402. Nam quod attinet exemplum Ambrosii, propter cædem injustam Thessalonicensium prohibuit Theodosium à limine Ecclesiæ, ut loquitur Otto Frising. *lib.* 6. *c.* 18. ex Niceph: *lib.* 12. *c.* 41. quod sic interpretatur Gregor. VII. *in Epist. ad Metens. Episc. B. Ambrosius licet sanctus, non tamen universalis Ecclesiæ Episcopus, pro culpa, quæ aliis sacerdotibus non adeò gravis videbatur, Theodosium M. Imperatorem, excommunicans ab Ecclesia exclusit.* Ruffinus verò non obscurè innuit, Theodosium ultrò abstinuisse. Ruff: *l.* 2. *c.* 18. VVaremund. ab Erenb. *c.* 2. *de subs. reg. n.* 35. Sed ne de Zelo Ambrosii disputemus, & ut non ultrò, sed jussu Episcopi Imperatorem à conventu Ecclesiæ abstinuisse credamus, & hanc à limine templi sequestrationem interpretemur cum Hildebrando & Bellarmino pro Anathemate: nihil tamen hinc ausus fuit inferre directè Hildebrandus, *nisi, quod fuerit Imperator seclusus ab Ecclesia:* Bellarminus verò stabilire inde nititur etiam jurisdictionem temporalem, duplici argumento. 1. *Quia non potuit Ambrosius de criminali causa cognoscere, quæ ad forum externum pertinet, nisi in foro externo legitimus judex Theodosii fuisset.* Duo verò absurda ex hac ratiocinatione liquidò pullulant, ipsius etiam Bellarmini thesibus & opinioni contraria. Nam judex, qui sedet in foro externo, jurisdictionem exercet fori externi seu temporalem. Quid enim per forum externum intelligere potest Bellarm. nisi forum soli, cui opponitur forum internum, poli, seu conscientiæ. Nam si de foro aliquo in Ecclesia id acceptum velit, nihil pro sua opinione concludit, quia nemo negat, quin in foro Ecclesiæ cognoscantur crimina & puniantur, sed quæstio est de pœna non Ecclesiastica, sed abdicatione à regno temporali. Iam verò Ambrosius sedet Imperatoris judex in foro externo. Ergo exercet jurisdictionem temporalem, quod est adversum ipsius Bellarmini decretis,

qui principem in temporalibus negat habere superiorem, & potestatem Pontificis astruit quidem versari in temporalibus, sed non esse temporalem. Quod si porrò causarum civilium & criminalium cognitio, quæ fit ab Ecclesiasticis, arguit jurisdictionem in foro externo, omnium rerum directi judices erunt Ecclesiastici, quia omnia crimina, quibus peccatur in Decalogum, subsunt cognitioni Ecclesiasticorum judicum. Deinde Ambrosius, licet Episcopus particularis Ecclesiæ, *ut ait Hildebr.* fuit legitimus judex Imperatoris in foro externo: Ergo quilibet Episcopus poterit in Regem & Imperatorem jurisdictionem fori externi usurpare, quod quasi absurdum rejecit Bellarm. *lib: 5. Roman. Pontif. c.* 3 Fallaciter autem & Sophisticè concludit argumentum, quia de causa fori externi, non tantum cognoscit judex fori externi, sed & interni, quatenus eadem causa pertinet ad forum Ecclesiæ. Sacrilegos nuptiarum, homicidas, Latrones plectit secularis judex gladio seculari: non tamen præripit supplicia, quæ impœnitentibus imponit Ecclesia, secundum illud: *Qui non fecerit omnia, quæ scripta sunt in libro legis, morte morietur.* Theodosius, quam Imperator, secularem gladium non horrebat, quia potestatem supra se non habebat: sed Spirituali tamen nolebat cervicem subtrahere, quo solo feriebat Ambrosius, quando non à Republ. sed Ecclesia tantùm arcebat Imperatorem, ideoq; non cognoscebat, tanquam judex in foro externo, quia non puniebat pœna externa, sed Ecclesiastica. 2. *Cogere Imperatorem,* inquit, *ad legem politicam ferendam, & præscribere ei formam legis: nonne manifestè ostendit, posse Episcopum interdum temporali potestate uti, etiam in eos, qui potestatem super alios acceperunt.* Manifestè verò Bellarm. hoc argumento ponit Temporalem potestatem, supra Imperatoriam & Regiam, quod *in respons. ad Barclajum* ubiq; negat, & Tertulliani, Ottonis Frisingensis & aliorum verba, qui nulli potestati subjectam confitentur Regiam, non aliter eludit, quam quod Pontificis potestatem super principes neget esse temporalem: Nunc verò eam vel ipsi Episcopo tribuit in Imperatorem, & callidè dicit: *Etiam super eos, qui potestatem super alios acceperunt,* ne apertæ contradictioni se implicasset, si, quod res est, tribuisset Episcopo potestatem temporalem in Imperatorem, qui est supra omnem potestatem temporalem, vel ipso Bellarmino arbitro. At quam quæso futili argumento: *quia* scilicet *coegit Ambrosius Imperatorem ad legem perferendam, ne sententiæ latæ de cæde vel bonorū publicatione, ratæ essent, nisi post triginta dies à sententia pronunciatione.* Qua verò vi putas Ambrosium cogendo usum fuisse, sc. quia nolebat admittere Imperatorem ad Ecclesiam, seu metu pœnæ Spiritualis: Estne verò hoc, uti potestate temporali? Ergo, qui sic scripsit in testamento: *Mævia centum ex legato non habeat, nisi nubat Sempronio,* potestatem publicam sibi asscribit cogendi Mæviam; qui metu aliquem deterret,

terret, aut inducit, jurisdictionem sibi sumit in eum, quem deterret, aut inducit. Quid ni igitur eodem argumento transferre licet principi ad se jurisdictionem Ecclesiasticam, quando metu supplicii corporis aut jacturæ bonorum adigit hæreticos ad externam conversationem Ecclesiæ? Multi Judæi, quod sperent effugere manum lictoris, aut ad minimùm acerbitatem suppliciorum, fidem Christianum profitentur. An hos, quia coguntur ad Ecclesiæ fidem suscipiendam, putas cogi potestate Ecclesiastica? Eadem sc. virisimilitudine, qua Ambrosius metu Ecclesiastici supplicii, coëgit Imperatorem mutare legem civilem. An verò etiam mutare coëgit? Certè post receptionem demum injunctam fuisse mutationem legis, non tanquam pœnam, sed tanquam cautelam, ne iterum in eundem vel ipse, vel successorum aut magistratuum quisquam impingat, apud Theodoretum legimus.

3. Quod de abdicatione Leonis Isaurii objicit Bellarm. pari facilitate redarguitur, quâ Waltramus *lib. 2. Apol c. 15.* redarguit exemplum Philippi, à Constantino damnati, & allegati à Gregor. 7. *in Epist. ad Met.* unâ cum Arcadio excommunicato ab Innocentio. Nam quanquam Magdeburg. *in Centu.* & Mornæ. *in myst. Iniquit*: Gregorium II. perfidiæ accusent & graviter insectentur, quod, ut Onuphrius *confitetur in Annot. Plat: in Constant. Constantino majora ausus Italicum Imperium, quod de Longobardis supererat, Leoni III. eripuerit*, id quod Zonar. *Tom. 3.* Cedren. & Sigon. *lib. 3. hist. Ital.* affirmant: Contrarium tamen apertè asserit Platin. *in Greg.* 2. cujus narrationi subscribunt Paul. Diacon. *lib. 6. de gest. Longob: c. 49.* Blond. *dec.* 1 *lib.* 10. adeò, ut veritas exempli prorsus in dubio sit & incerta, quod tamen etiamsi pro vero acceptemus, proposito Bellarmini nihil inserviet, quoniam & qui à Gregorio dicunt ereptam Italiam Imperatori, non afferunt processum aliquem judiciarium, quo per sententiam subditi jussi sint abire ab obedientia Leonis, sed suasu vel conniventiâ Gregorii tradunt subditos ipsos insurrexisse. Sigon. *lib.* 5. Otto Frising. *lib. 5. cap.* 18. Suasus verò non arguit potentiam, cum Petrus Eremita & Bernhardus concionibus suis protuserint homines agminatim in terram Sanctam, nec tamen potentiam ullam aut jurisdictionem sibi arrogarunt. Sarvanorola, qui divinis credebatur frui revelationibus, maximam partem Florentinorum traduxit ad partes Gallorum, quos venturos brevi in Italiã prænuntiabat. Comin. *l. 4. & 5. bell. Neap.* & quotidiana experientia testatur vulgum concionibus Ecclesiasticorũ non aliter quã tubis agi, & in quãcunq; partẽ impelli, quippe, qui minus malè vel posse vel velle suadere putãtur: Sed, si quis ex hac causa cõcionatoribus potestatẽ assignare velit, næ is nescius sit, quid intersit inter suasum & præceptũ: inter consiliũ & coactionem. Verũ ne sic

T 2 quidem

quidem quicquam pro se obtinebit Bellarm. ut saltem potestas fiat pontificibus, persuadendi subditis rebellionem, quia non, quid factum sit Romæ, spectandum est, sed quid fieri debeat. Factum quippe Pontificum non facit fidei articulum. & factis non regitur Ecclesia, sed Legibus. Imperator ad leges & non ad facta remittit judices, *& illud spectari vult, non quod maximus quisq; magistratuum fecerit, sed veritatem, & Legem & justitiæ vestigia. l. nemo judex.* 13. *C. de sent. & interl.*

9. *Quinam ex Impp. dejecti à Papis.* Propterea primus Henricus IV. expertus est Tyrannidem Pontificiam, quæ, ut semel viam sibi facere ausa fuit, instar rapidi torrentis, in successores quoscunq; grassari perrexit, alios ad tempus saltem demergens, alios prorsus voragine infida absorbens. Ita enim tractati & excepti sunt, Fridericus I. ab Adria. IV. & Alexandro III. Henricus V. à Paschali. 2. Philippus Fridericus I. filius ab Innocentio III. Otho. IV. ab eodem Frideric. II. à Gregorio IX. & Innoc. 4. Conradus IV. ab eodem. Ludovvicus IV. à Clemente & Johanne XXII. In quibus abdicandis cum Papæ viderent suam potestatem contemtui futuram fuisse, nisi terrorem religionis admiscuissent, ita se gesserunt, ut sub specie religionis, non vi potestatis politicæ, regno spoliati viderentur, quo Sophismate (sic enim hoc genus vocat Aristoteles) non tantum contra Imperatores, in quos peculiare quoddam jus sibi vendicarunt: sed & cæteros Monarchas usi sunt: contra Guilielmum Angliæ Regem, & Johannem, qui tum temporis sedem Apostolicam pro Domino nondum agnoscebant: Philippum & Carolum VI. Gallos: Boleslaum Polonum, quem ità regio nomine privavit Gregorius VII. ut longo tempore post Regis nomen in Polonia non audiretur. Michov. & Cromer. *lib. 4. hist. Polo.* Crantz. *lib. 3. Vandal. c.* 13. 14. Ladislaum Vngarum, quem Alexander V. in Concilio Pisano regno privavit, Plat. *in Alex.* id quod Innoc. III. *c. licet. de voto.* etiam filio regis Vngariæ minatur: Georgium Bohemiæ regem, Bonfin. *Dec.* 4. *lib.* 1. *&* 3. & contra plures alios, quos metu religionis, imperiis, honoribus, nec non vita ipsa sæpius privaverunt. Sed in Imperatoriam dignitatem peculiariter grassati sunt, ut potè in eam plus sibi licentiæ dederunt, propterea, quod à sua manu illam accipi dicebant. *A quo* enim *habet, si à Papa non habet imperium*, dixerunt legati Adriani, cum Fridericus cum iis expostulasset. Radevic. *lib.* 1. *c.* 9. *&* 10. quasi imperium non profflueret ab eodem principio,

Imperium à Deo. unde oritur Pontificatus. *c. Duo sunt. dist.* 96. *c. cum ad verum. dist.* 63 *de concept. ff.* § 1. *Novell.* 6. *in pr. Novell.* 73. *ibi, Quia Deus de cœlo imperium constituit,* Nov. 81. *cap.* 2. *ibi imperio sequente Deum;, c. quo jure. dist.* 8. *c. si imperatori. dist.* 96. *c. quæsitum* 23. *q.* 4. Cum autem duorum idem per se est principium, neutrum ab altero dependere potest. Hieron. Balb. *in lib. de coronat.*

Nec

Nec enim, quod Petro de Andlo. *lib. 2. de Imper. c. 9.* difficultatem facit, aut quod Oldrad. *conf.* 180. Cardin. *in c. quoniam* cum gl. 10. *dist.* Hippolyt. *in l. fin. nu.* 148 *ff. de jurisd. om. jud.* Lancelot. *lib.* 1. *c.* 1. *de Imp.* §. 2. *q.* 2. pro defensione potestatis pontificiæ adducunt, quicquam continet præter scopas dissolutas & confusionem Ecclesiæ & politiæ. Quod enim *Ezechiel. c.* 37. de uno rege, *Ioh. c.* 10. de uno ovili dicitur, de unitate Ecclesiæ manifestò explicatur, nec magis inde licet inferre ad unitatem omnium regnorum, quæ jure gentium distincta sunt, *l. ex hoc jure. ff. de just. & jur.* Petrus de Ancha. *consil.* 311. & 341. quam ex eo, quod Monarchia inter Resp. est optima, sequitur, quod eadem præstet in Ecclesia, ut argumentatur Bellarm. *lib. 1. de Pont. Rom. c. 1. 2. 9.* Sicut ex contrario Couvar. *de rest. part. 2. §. 9. nu. 6.* negat sequi: *Omnes tenentur obedire uni soli Pontifici. Ergò & uni imperatori, tanquam Monarchæ totius mundi.* 10.

Vna Eccl. non infert unum regnum.

Nec quod regna transferantur à gente in gentem, *Dan. c. 2. & 4. & 5.* propter iniquitates, *c. Ecclesiastici. c. si de rebus.* 23. *q.* 7. ex eo sequitur, Papam habere potestatem ea transferendi, Gilles. *in Pipin.* ut argumentatur Bellarmin. *c. 8. & 12. de transl. Imp. & c. 21. contr. Barcl.* quia, ut Occam objicit *in Dial. in princip.* Si Papa eam potestatem habet, quam Deus in regnis transferendis, poterit quemlibet nostrum suis exuere bonis sine causa, quia negari non potest, quin Deus id possit. Deus autem transfert regna & impellit reges occulto consilio, quod quamdiu revelatum non habet Pontifex, tam diu participem potestatis transferendi, sese facere non potest.

Deus transfert regna: non Papa.

Nec quod Saul unctus fuit à Samuele, 1. *Reg. c.* 10. propterea ab eo accepit regnum, quia *elegit eum dominus & unxit in regem, principemque populi sui,* ut dicit ipse Samuel. Ceremonia autem externa non facit regem, sed potestas, quam Saul habebat ex postulatione populi & concessione Dei: *ibid. cap.* 9.

Proindè Otto Comes, cum ab Adriano scriptum intelligeret, Imperatorem accepisse imperium à manu Papæ, tanquam beneficium, vix se continuit, quin Legato in oculos involaret, & Fridericus audacter respondit: *se coronam nemini acceptam referre, præter Deum, & principes Germaniæ.* Radevvic *lib. 1. c. 10.* Sigon. *lib. 9. hist. Ital.* Fridericus II. cum audisset coronam sibi ab Innocentio in Concilio Lugdunensi detractam, coronam afferri jussit, eaque capiti imposita: *Nondum, ait, eam vel Pontificis vel concilij decreto amisi: an vero principem, cui non est par, de culmine imperialis dignitatis Pontifex deturbabit? Atqui multò meliore nunc, quam ante, conditione sum. Nam ante in aliqua re saltem tenebar ipsi obtemperare, nunc verò omni obedientiæ, venerationis & pacis solutus vinculo sum.* Sigon. *libr.* 18. *hist. Ital.* Ludovvici Bavari de hac re extat declaratio, quod *Imperialis dignitas non sit à Papa, nec ejus approbatione, confirmatione, autoritate, consensuve indigeat, sed quod subsistat ex sola* 11.

Imperium non dependet à Papa.

Electione, cum à Deo non aliud medium detur, quam per Electionem. Et contra afferentes, aut facientes, læsæ majestatis reos pronunciat, feudisque, quæ ab imperio habét, & omnibus gratiis, jurisdictionibus, privilegiis, & immunitatibus, ipso jure & facto, privatos esse decernit. Marsil. Patav. *in defens. pac.* Petrus de Vineis *in Epist.* Eos etiam hæresis accusat Ant. de Rosell. *in tr. de pot. Pap. & Imp. §. ne prolixius.* Durum certè nimis fuerit primos Romanorum aut Græcorum Imperatores, aut cæteros principes, qui Romanum Pontificem nunquam recognoverunt pro Domino, injustos usurpatores, & Tyrannos proclamare. Driedon. *de libert. Christ. libr. 1.* Nam Pilati potestatem legitimam ipse Christe agnoscit, sicut & Paulus ad Imperatoré tanquam ad ordinarium suum judicem provocat, & illi ipsi, qui Imperatorem Pontifici subjiciunt, quando jus Imperatoris universale, quod ipsi in universum mundum competere dicunt, probare volunt, utuntur maximè illorum Imperatorum jure, quos injustos possessores faciunt. *ut l. deprecatio ff. ad l. Rhod. de jact.* Quod si illi legitimo titulo non possederunt, nec alii legitimè eorum nomine id repetere possunt, quia hæres etiam ignorans, in vitia defuncti succedit. *l. cum hæres ff. de divers. tempor. præscript. l. 4. § 15. ff. de usurpat.* Constantinus verò, cum donasset, ut fabulantur, dimidium Imperii Ecclesiæ, annon dicetur eodé argumento injustus possessor partium orientalium, quod illas ab Ecclesia instar feudi non recepit? id quod concludet etiam de omnibus Christianis Imperatoribus orientis, quorum nullus unquam Papam recognovit in superiorem. Nec id negãdum putat Joh. *in gl. in c. In apibus in ver. Vnus. 7. q. 1* Concludet etiam de regibus Hispaniæ, quos gl. *in c. Adrianus, dist. 63.* excusat, quia eruerunt regnum illud de faucibus in-
12. fidelium, quæ tamen ratio in regno Hierosolymitano non valuit: Et sicut illud jure belli possident Hispani; ita & Angli & Franci, & paulo post ostendemus, Imperatorem maximam partem Italiæ, unde nomen Imperatoris meritus est, non alio nisi belli jure possidere, juxta antiquos versus:

Sanguine Romanum sibi regnum Carolus aptè
Associat proprio, proprioque sanguine servat.

Papa donat res jã possessa. Thom. Michael. *in disputat. de jurisd. Rom. thes. 2.* Cur igitur ab alio peteret, quod jam possidebat? Meritò putarunt Romani se ludibrio haberi à Vologese, Parthorum rege, cum literis petitum veniret, quod jam eripuerat Tacit. 15. *Annal.* Alexander M. ridebat Darium, quod cum omnem regionem inter Hellespontum & Alyn amnem sitam dotis loco cum filia offerret, aliena sibi promitteret, & vellet partiri, quod totum amisisset, quodque ipse jam teneret, victoriæ suæ præmia. Curt. *lib. 4.* Et nos risum contineamus, cũ videamus à Papa dari, quod jam jure occupatum est? Frustra enim ab Imperatore petitur, quod jure cõmuni obtineri potest, *l. Imperatores. ff. de reb. aut. jud.* ubi Zas. *nu. 2.* ait: *Frustra utitur baculo, quo se sustentet, qui sine baculo inam-*

inambulare potest, l. uni. C. de thesaur. lib. 10. l. 1. ff. ad municip. meritoq; risit Carolus M. Nicephori Constantinopolitani arrogantiam, quod Caroli legato Helmogando Saxoniam jam Carolo subactam his verbis dono dedisset: *Ego, qui terrarum orbis imperium teneo & cœlesti numine electus, rerum sum Dominus, ac quos volo, ex humilimo loco ad summam dignitatem jure meo produco, te ducatu harum gentium dono*, quantò magis risisset, si Clientem suum, hominem de Ecclesia, simili, aut etiam arrogantiori oratione usurum aliquando suspicatus fuisset. Avent. 4. *Ann. Bojor.*

Quantillum enim sit, quod à Pontificibus Imperatores receperunt, ne solis Innocentii, aut Clementis verbis credere cogamur, age rem ipsam ex historiis illorum temporum consideremus, ubi invenimus Carolum M. triplici expeditione Italiam sibi subjecisse eo ordine, ut primam susciperet rogatu Adriani Pontificis, *c. hortatu. 23. q. 8.* Eginard. *in Car.* contra Desiderium regem Longobardorum, quem Papiæ inclusum cepit, & ea vice totam ditionem Longobardorum sui juris fecit: alteram contra Argisum ducem Beneventanum, qua acquisivit universa ejus dominia, & ob hæc merita primum advocatus S. Petri contra Longobardos, deindè patritius Romanus electus est à Romanis, ut refert Monachus Egolismensis *in vit. Caroli M. &c.* Adrianus Papæ *dist. 63.* Tertiò deniq; ulturus injuriam Leoni III. à Romanis illatam, facta levi in Beneventanos excursione, Romam venit, & ipso die natali Leo Papa coronam capiti ejus imposuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum est: *Carolo Augusto à Deo coronato, Magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Hæc prædictus Monachus *in vit. Carol.* qui & paulo ante dixerat, quod *Romani sibi elevaverint Carolum in Imperatorem & Augustum*, id quod totidem ferè verbis referunt Annales Germanici *ad annum* 801. Aimon. *lib. 4. cap. 90.* Ado. Vienn. *at 6.* Thegan. *in vit. Ludovv. Pij in pr. Carolum,* ait, *Leo Papa Romanus consecravit & unxit ad Imperatorem* de traditione autem Imperii nullum verbum: Egnat. *li. 3. de princip. Rom* qui omnia ex reliquis autoribus contraxit, ita scribit: *Leo Pontifex Romani populi, Cleriq; rogatu, Carolum Francorum Regem ob egregia in Christianum nomen & Romanam sedem merita, Romanorum Imperatorem primus appellat, inunctumq; cum Pipino filio Augustum consecrat: subsecutaq; mox Rom. pop. acclamatio.*

13. *Expeditiones, quib. Carolus obtinuit jus Italiæ & Roma.*

Acclamationem interpretatur Bellar. *de translat. imp. c. 4. & 10. laudem Imperatoriam, seu applausum festivum*, quo populus gaudium suum ex Leonis insperata coronatione testatus fuerit. Non posse autem quenquã irrefragabile argumentum petere ex phrasibus & locutionibus autorum, qui rectius eo tempore senserunt, quam scripserunt, ipse Bellarmin. confitetur *c. 10. contr. Barcl.* cum à Barclajo *c. 10. de pot. Pont.* ex autoritate Ottonis Frisingensis *li. 7. Chron. c. 8.* objectum esset, *Henricum filium contra patrem Henricum*

Quid sit acclamatio.

cum IV. in Noricis partibus, consilio Theobaldi Marchionis, & Berengarij Comitis, sub specie religionis, eò, quod pater à Romanis Pontificibus excommunicatus esset, rebellionem excitasse & molitum fuisse. Et alibi à nobis demonstratum fuit, Hottomannum *in Francog.* errare, dum facit regnum Francorum Electitium, eò quod istius ævi scriptores, Reges Merovingios scribant *electos, pro consensu receptos*, seu in signum consensus super scutum *elevatos* fuisse. *Frequenter,* ait Lupold. *de jur. Imper. c.* 12. *tales expositiones in historiis & Chronicis fieri necesse est. Alias multas absurditates in ipsis continget reperiri.*

14. Ad rem igitur ipsam potius & historiarum seriem recurrendum, quando de interpretatione dubii alicujus vocabuli agitur, quam ad significationem Grammaticam, cum istius seculi scriptores vocabulis plurifariam abusi esse deprehendantur, idque paulò post faciemus, modò fiduciariâ concessione adversarii freti, vulnus prius detegamus, quod inopinus, dum ictum nimis callidè oculis exire cogitat, sibi infligit. Nam, si acclamarunt, & vitam victoriamque Carolo precibus exorarunt, certè in imperium ejus consenserunt, cum factis magis, quam verbis voluntas declaretur. *l. si tamen § Ei qui. de ædil. edict. l. Paulus. Rem. rat. hab.* Cujus verò consensus in re aliqua necessarius est, is nisi consenserit, nihil in ea re agi potest, sicut & Platina *in Pelag.* 2. cum Pelagium inscio Mauritio Imperatore, thronum Pontificalem occupasse scripsisset, *Nibil,* addit, *à Clero fuisset actum in eligendo Pontifice, nisi Electionem Imperator probasset.* Populi verò consensu stabiliri regna prolixè docuit Bellar. *lib.* 3. *de Laic. c.* 6. adeò ut potestatem omnem jure divino & naturæ radicem statuat habere in populo seu tota multitudine, tanquam in subjecto: Et *ab hujus consensu dependere, constituere supra se Reges, vel Consules, vel alios magistratus.* Hoc fundamento posito, licet non concesso, cum VVidringt. *in Apol. num.* 437. sic inferimus: Quicquid ex jure divino, & naturali populo competit, absque injuria in Deum & naturam, ipsi ab homine eripi nequit. Populus autem ex his juribus habet potestatem constituendi supra se regem, vel alium magistratum, ut hic Bellarm. *confitetur.* Ergo sine insigni injuria ipsi auferri non potuit, & per cons. si solus Pontifex, *ut disputat Bellarm.* transtulit imperium, per potestatem indirectam, qua nactus fingitur imperium in omnes principes Christianos, secluso populo, contra jus divinum, naturæ & gentium eripuit populo jus suum, quod habebant in principe sibi constituendo. Insciis enim Romanis inductum esse novum Imperatorem, imò invitis induci posse, demonstrat *c.* 10. *de transl. Imp.* contra Onuphrium, quod *acclamatio non prius facta fuerit, quam coronato jam Carolo:* Et quod *Fridericus I. repugnante populo, coronatus fuerit, à Pontifice.*

Argumentũ ex pharetra ipsi' Bellarm.

Majestas vacans recidit ad populum.

Principio negare non potest Bellarm. Republ. capite destitutâ, majestatis jura omnia recidere in totam Rempub. Romanorum verò ditionem

& re-

& reliquas imperii Romani provincias, quasi pro derelictis habitas, ut ait Lupold. *de jur. Imp c.4. & 18.* & Naucl. *gen.16. an.* 800. capite destitutas fuisse, omninò præsupponendum est, quia sola negligentia, aut neglecta Ecclesiæ defensio, *ut ait Gratian.* sat causæ non continet, ut inde jure ereptum imperium legitimo possessori dici possit. Ideoq; recidit potestas constituendi novum principem ad Rempub. vacantem, & non ad Pontificem, nec sine scitu & consensu populi legitimè à solo Pontifice transferri potuit, quia, ut ipse Bellar. confitetur, *lib.5. de Rom. Pont. c.3. gratia naturam non destruit, & benè constituta Christi adventus non evertit, sed perficit.*

Nec eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Imò ne patritium quidem Carolum constituere solus Adrianus potuit, ut contra manifesta verba decreti disputat Gretser. & redarguitur ab Haiminsf. *in repl. cap.16* quia *nomine omnium tam Cleri, quam populi & exercitus,* vocabatur in subsidium, ut ex inscriptione Epist. patet apud ipsum Baron. *tom.9. An 755.* & *pro omnibus, cum omni Clero & populo,* testatur Adrianus, se edictum promulgare.

Quod cum adverteret Aventinus, *lib.4. Annal.* nec sine consensu populi admissum esse Carolum, ex historiis didicisset, ita de toto negotio scribit: *Pontifex, Senatus populusque Romanus Imperium transferre jure suo in Germanos, Carolumq; tacito Senatusconsulto, Plebiscitoq; decernunt,* cujus sententiam, quasi Lupum auribus teneret, nec probare potuit Bellarminus, nec ullis verisimilibus argumentis redarguere. Multi enim sunt, teste Lupold. *de jur. Imp. cap.12.* qui referant, quod *Leo Papa, populo Romano petente & acclamante, Carolum M. in Romanorum Imperatorem creaverit.* Sic enim Blondus *libr.1. dec.2.* & Platin. *in vit. Leon. 3.* & ex utroque VVimpfeling *in Epit. rer. German. c. 9. Pontifex populi Roman. scito precibusq;, Carolum Imperatorem Romanorum declaratum, diademate, vetusto Imperatorum gestamine capitis, coronavit.* Nec effugit Bellarmin. *cap. 4. & 10. de trans. Imp.* quando horum autoritatem eludere nititur majori copia vetustiorum scriptorum, qui plebisciti aut petitionis populi non meminerunt. Jamdudum enim ipse sibi respondit *lib. 2. de Roman. Pont. c.8. in resp.1. Nihil concludi ex argumentis ab auctoritate negativè. Non enim sequitur,* Zonaras, Cedrenus, Diaconus, Eginhartus, non fecerunt mentionem consilii Senatus populique. Ergo consilium eorum non accessit. *Non enim isti quatuor omnia dicere debuerunt, & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus, modò isti non negent, quod alij affirmant.* Nullus verò eorum negat, sed reliqui omnes 28. quos superaddit Bellarm. *d.c.4. de transl. Imp.* partim apertè interventum populi testantur, partim acclamationem illi tribuunt, quæ tacitū consensum præsupponit, aut etiam expressum continet, quia hoc vocabulo

14

Populus cōcurrit in transferendo imperio.

voluerunt istius ævi scriptores respicere ad acclamationes, quæ in Senatu certatim conjiciebantur, in novos Imperatores, tanquam testimonia spõtaneæ subjectionis, ut ex Lamprid. Spart. Herod. & Poll. *videre est.* Preces verò populi, unde secundam instantiam trahit Bellarm. nullam potestatem tribuunt Pontifici, quia non dicuntur interponi, ut Pontifex creet, sed declaret & coronet communibus suffragiis electum Imperatorem, quia in unctio & coronatio, sive ut loquitur Rhegino impropriè, ad ceremonias instituendi Episcopos respiciens, *lib. 2. Chron. ordinatio* non poterat fieri, nisi à summo Ecclesiæ Romanæ præside, quem quia cogere fas non putabant, precibus ad coronationis ritum sacrum adjiciendum inducere voluerunt. Hoc est, quod Sigebertus *in Chron. an.* 801. & ex eo Vincent *in spec. lib. 23. c. ult.* notat: *Romani, qui ab Imperatore Constantinopolitano jam diu animo desciverunt, nunc accepta occasionis oportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Constantino filio suo, eis imperabat, uno omnium consensu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumq; per manus Leonis Papæ coronant, Cæsarem & Augustum appellant: Pipinum verò filium ejus regem Italiæ ordinatum collaudant.* Romani scilicet per manus Leonis coronant, hoc est precibus & monitis inducunt Leonem ad coronam destinato & admisso à se Imperatori imponendum. Nam quam glossam Bellar. *d. c.* 10. *de transl. imp.* affricat, contra evidentia verba affingit. Quis enim unquam per hæc verba: *Populus per manus Leonis coronat Carolum,* unquam subintelliget ista: *Populus probat principis sui factum, ac si per manus ejus id fecissent,* & id probat ex sequentibus, quando *Pipinum filium Caroli Regem Italiæ ordinatum,* dicit *Romanos collaudasse: Ubi vides,* ait, *ordinationem Regis, Pontifici, laudationem, quæ secuta est, populo tribui.* Si quid tale excidisset Illyrico, duo hinc egregia mendacia Cardinalitiâ modestiâ extrueret Bellarminus, 1. Quod Pontifex dicatur princeps Romanorum, & quidem non honorarius aut titulotenus, quéadmodum Galli Episcopos vocant, honoris gratia, Dominos urbium, quarũ Ecclesiis præsident, sed qui potestatem habeat, de iis disponendi insciis & invitis, prout sibi & Ecclesiæ optimum videretur, cũ tamen, non nisi ex liberalitate Caroli præfecturam, ut antiquitus vocabatur, Romanam obtinuerit, Imperatoribus & leges illic condentibus, publiceq; affigentibus, & lites decidentibus, & in ipsos Pontifices & Episcopos jus supremum sibi reservantibus, adeò ut Fridericus I. libertatem injuriâ affectantibus Romanis rescripserit, se ne quicquam vocari Romanum Imperatorem, si Roma sibi subjecta non esset. apud Sigon. *in hist. Ital. Quantulũ ex imperio Rom.* ait Vall. *de donat. Constant.* ad Imperatorem, *tuum erit, si caput ipsum amisisti? A Roma dicitur Rom. Imperator.* Et paulò post: *Quid magis contrarium, quam pro Imperatore coronari, qui Romæ ipse renuntiasset, & coronari ab illo, quẽ & confitetur, & quantum in se est, dominũ Imperij Romani faciat.* 2. Quod ex his verbis: *Pipinum*

Defenditur testimonium Sigeberti.

num filium Regem Italiæ, ordinatum collaudant, elicere conatur: *Pipinũ fuisse ordinatum regem Italiæ à Pontifice, & collaudatum à populo*, cum tamẽ omnia una serie tribuantur Romanis. Scribit Blondus, Platin. & Aeneas Sylv. *in abbrev. Blondi. Pontifex scito & precibus populi, Carolum Imperatorẽ Rom. declaratum, diademate coronavit.* Ergone interprete Bellarmino, declaratum à populo Carolum, coronatum à Pontifice dicemus? Sed ut Pontifex glossis suis non veretur sensum scripturæ planissimè invertere, dummodo eum ad traditiones Ecclesiæ detorqueat: Ita nihil pensi habet Bellar. quibus sophismatis & quam frivolis interpretamentis, suis lectoribus imponat, quasi apud omnes Dea Fatua regnaret, aut Grammaticæ præ senectute obliti essemus, ut quid verba autorum sibi velint, intelligere haud possimus.

Postquam satisfecit Sigeberto, convertat nunc se quoque ad Pium II. *in cap. 9. de ortu & auctor. Imper. Rom.* ejusque testimonium contra se prolatum, qua arte item eludere queat, porrò videat. *Populum enim Romanum, qui suo sanguine pararat imperium, & suis virtutibus Monarchiam fundaverat orbis, desertum à Græcis, dicit venientem in auxilium Carolum M. qui urbem sacraq; loca, ab omni hostium incursione defendit, primò patritium, post Augustum, concurrente summi Pontificis consensu, salutasse Cæsarem.* Brevius Marian. Scot. *lib. 3. Chron.* & Schafnaburg. *in hist. Germa. de Carol. M. Carolus hoc tempore à Romanis Augustus appellatus est.* Theodor. Nihem. *in libr. de invest. Episcop.* huc accommodat legem Regiam, & ejusdem verbis dicit: *Populus Rom. concessit Carolo & in eum transtulit omne jus suum & potestatem.* Quod igitur objicit Bellarm. *acclamationem secutam, coronationem præcessisse*, concedo, sed illa acclamatio præsupposuit consensum præcedentem, quemadmodũ ad modum consilii inter proceres deliberatum & conclusum fuisse, multis verbis exponit Paulus Æmil. *libr. 3. de gest. Franc.* Donat. Acciai. ait: *Non tantum consentiente, sed & applaudente populo Rom.* Consensus scil. præcessit, Applausus secutus fuit, quod expressè innuit Naucler. *gen. 26.* quando ait: *Leo populi Rom. consensu Carolum Imperatorem Rom. declarat, ac diademate coronat, ter acclamante populo* &c. Declarationi enim adjungit consensum, coronationi acclamationem. Johannes Parisiens. *de potest. reg. & Papal. c. 16.* addit rationem, quare consensus populi ante declarationem, quam justam fuisse utrinq; præsupponimus, præcedere debuerit, quia *populi*, inquit, *est se subjicere, cui vult, sine alterius præjudicio.* Et paulò post: *Nam populus facit, Regem & exercitus Imperatorem.*

Testimonia aliorum.

Hæc ratio evincit quidem, quid fieri debuerit, ex qua Michaël Coccin. *in lib. de translat. Imp.* Romanis asciscit etiam reliquos Italiæ populos, quia, ut Lupold. *c. 12. de jur. Imp. confitetur*, ratio nulla occurrit, quare *populus Rom. majorẽ habeat potestatem circa translationem Imperij, quam quicunq; alius populus Imperio Rom. subjectus:* Verum opponeret statim Bellar. monita ipsius

Cur populi consensus excludi nõ potuerit.

Onuphrii *in libr. de comit. Imperat. Non esse fidelis historici rem describere, ut fieri debuisset, sed ut facta est. Alioqui enim non res gestæ scribuntur, sed mendacia obtruduntur.* Concedimus enim judicia scriptorum non esse attendenda, sed veritatem rerum gestarum, & hinc diluimus cum Barcl. *c.40. de pot. Pap.* illud, quòd toties in calamo Bellarmino oberrat: Depositionem Childerici & translationem Imperii in Carolum à scriptoribus non reprehendi, sed à multis etiam laudari. Verum ex hypothesi ipsius Bellarmini, consensum populi, cujus illi, qui ritum coronationis tantum descripserunt, non meminerunt, omnino fuisse necessarium, ostendimus, quia aliàs summæ injustitię notam non effugeret translatio, quam tamen ubiq; tanquam justè factam propugnat. *de transl. Imp. c.12.5. de Pontif. c.8.* Nam cum Barclajus objecisset, iniquè usurpare Pontificem potestatem alienam in Reges, ita hanc iniquitatem excusat Bellarm. *c.4. contr. Barcl.* quod *abjudicata regna non sibi usurpet, sed vel successori legitimo, vel populo tradat.* Quod si verò imperium, Irene abjudicatum, quod ex jure divino & naturali ad totam Rempubl. vel ipso Bellarmino teste, *lib.3. de Laic. c.6.* recidebat, populo non reliquit Pontifex, sed ad alienigenam, inscio & non consentiente populo, transtulit, videat porrò Bellarm. quibus artibus ab injuria factum sui Pontificis sit excusaturus.

16. *Diluitur aliud argumentũ Bellarmini.* Nam, quod vel invito populo idipsum potuisse Pontificem facere, probat ex eo, quod Fridericus I. invito populo Romano coronatus sit, in eo multoties peccat. 1. Quia licet quidam in urbe tumultuarentur, alieniori ab Imperatore animo, tamen universi ejus imperium non detrectabant, & præcipuè, qui à Pontificis partibus stabant. 2. Quia jam jus suum populus cesserat Imperatoribus ex stirpe Carolina & Ottoniana, qui illud hæreditarium pro se & tota posteritate usurparant. Sicut autem transfusam in Augustum, si in eum lex lata est, potestatem populus revocare nõ poterat, *l.1 §. Sed & hoc studiosum. C. de vet. jur. enucl. Gl.* & Zas. *ad l. non ambigitur. de ll.* ita nec à stirpe vel Caroli, vel Ottonis poterat, quia displicere non poterat, quod placuerat semel. Tum demum enim populus potestatem recipit, quando legitimus successor non superest, aut qui superest, degenerat in Tyrannum. Atqui Frideric. ex ultima fratris Conradi III voluntate proximus designatus erat successor, quẽ nolentes volentes cogebantur Romani, adeoq; omnes alii imperio subjecti populi acceptare, nisi mallẽt vim justam legitimi successoris experiri. Qui igitur jus incompetens affectabant, potestateq; refragandi omninò destituebantur, meritò ad obediẽtiam armis & auctoritate cõpelli debuerunt, quia cujus consensus non exigitur, ejus dissensus facilè contemnitur. 3 Bellarm, *lib.3. de transl. Imp cap.3.* Electores ait institutos à Gregorio V. & iis datum jus eligendi Imperatorem. Nullum igitur amplius habebant Romani, ideoq; invitis sine injuria potuit induci

Impe-

Imperator, sed cum ageretur de supplendo Imperio vacante, & transferendo dominio, quod Orientales pro derelicto habuerant, jus & potestatem ex jure divino & naturali habebat populus, nec insciis aut invitis Imperator imponi poterat.

Ex quo simul solvi potest tertium argumentum, quod Bellarm. Onuphrio objicit *c.* 10. *de transl. Imp.* & patricè exaggerat *cap.* 8. *lib.* 5. *de Pontif.* Senatum sc. Romanum jus eligendi vel non habuisse, quia Imperatores aut nominati sunt ab Antecessoribus, aut ab excitu, vel cum imperium transferretur Constantinopolin, non exercendo amisisse. Nam Senatui & populo jus eligendi Imperatorem nemo bonus Politicus in prima Repub. Romanorum, postquam potestas omnis translata fuit in Augustum, ascribet, nisi successore non superstite, aut imperii sede vacante. Transiit enim jus succedendi ad principes per legem Regiam, quod illi vel transmiserunt in posteros naturali successione, vel voluntaria dispositione per testamenti tabulas, nisi seditionibus & vi militum impedirentur. Nam quod exercitus legitimo titulo & jure elegerint Imperatores, ut ex Hieronimi *Epist. ad Evagr. præsupponit* Bellarmin. nulla verisimili conjectura demonstrari potest, quia non solum conscripti ex infima plebe Romana, sed & ex copiis externis, exercitus eam sibi potestatem sumserunt, qui ne partes quidem Reipub. erant, nedum, ut toti Reipubl. principem pro arbitrio dare potuerint. Nec cessavit Senatus iniustis militum conatibus sese opponere, ut cum libertati restituendæ comitia haberent post occisum Cajum, cum Neronem perduellem SCto pronunciarent, cum Nervam ad imperium promoverent, cum Pertinacis imperium contra prætorianos tuerentur, Didium Julianum morte damnarent, & Severum ex Illyrico adventantem exciderent, cum Maximino hoste Reipubl. declarato, Maximum & Balbinum, cum Gordiano ad postulata populi, substituerent, cum Philippo Arabi Marcum & Severum Hostilianum anteponerent, Claudio post Gallienum & 30. Tyrannos imperium darent, si Zosimo & Pollioni *credimus*, Tacitum deniq; consentientibus exercitibus eligerent, & multis aliis exemplis jus suum ad se retrahere anniterentur. Exercitibus verò, vi & illicitis armis grassantibus, non magis legitimum aliquod jus inde accrescere poterat, quàm Senatui & populo jus inveteratum ex translatione imperii & suppresso electionis exercitio adimi, præsertim cum ipse Bellarm. confiteatur populo & Rebuspubl. innasci potestatem, conducibiles sibi gubernatores constituendi, si à constitutis deserantur, prout hoc in negocio præsupponendum est iis, qui jure translatum esse imperium à Græcis in Germanos cum Bellarmino disputant.

Aliud Argumentum Bell.

Atq; hoc primum est, quod in historia translationis concedendum esse demonstravimus, nimirùm non solum Pontificem, sed & populum &

Romani imperii subditos consensu suo concessisse Carolo imperium, aut potius jure belli jam præoccupatum ex post facto confirmasse. Videndum nunc porro est, quantillum sit id, quod Pontifex Romanus ad hunc actum transferendi vel contulerit, vel conferre potuerit.

Pontifex nihil contulit, quam coronam & nomen.

17 Et quidem, si vel ipse Priscianus, vel, si quis est Orbilio severior in rebus Grammaticis censor, ad arbitrium vocetur, ex verbis omnium eorum, quos laudavit Bellarm *c. 4. de transl. Imp.* nihil aliud eliceret, quam *Appellationem, & Coronationem*, seu *consecrationem*, & *Benedictionem* à Papa Carolum impetrasse. Nam, quod quidam ex posterioris seculi scriptoribus scribant: Imperatorem *creatum* aut *fieri* à Pontifice, partim se explicant circumscripto modo creationis, ut Schafnaburg. *de Otton. I. Benedictione atque consecratione super cathedram Augustralem positum, Imperatorem fecit.* Item Urspergens. *in Chronic.* quod *ann. 796.* breviter innuerat: *Leonem fecisse Carolum Imperatorem*, in *ann.* 801. sic persequitur, quod *consecraverit eum Imperatorem*, seu *quod coronam imposuerit, & Imperatorem Romanum pronuntiaverit.*

Explicatio secus loquentium.

Partim temporibus Caroli longè posteriores sunt, & proinde, vel ipsius Bellarmini judicio, *cap. 10. de translat. Imp* minus fide digni, aut saltem pluribus & antiquioribus non præferendi: Partim loquebantur ad favorem & placitum Romanæ sedis, cui devincti erant copia beneficiorum, & obstricti professione, quà Episcopi, quà Monachi, cujusve censuram vel injustam, ut erat superstitiosum seculum, metuendam sibi putabant, aut privationem beneficij, si quid posteritati mandassent in præjudicium Romanæ Ecclesiæ. Et sanè ineptè colligit Bellar. *l. 5. de Rom. Pont. c. 2. & de translat. Imp. c. 12. Communis est opinio de potestate Papæ indirecta inter Catholicos. E. vera, & opposita heretica.* Si *quem vis nolle*, ait Seneca, *fac prius velle. Nemo id accipiendo obligatur, quod illi repudiare non licuit.* Si scire vis, quid sentiant Catholici, fac prius, ut liberè sentire possint, nec libertatem loquendi carceribus Inquisitorum, aut diris Pontificum tolle: Non soli Galli aut Angli, salva Catholica fide, sed & ipsi Itali argumentum hoc tuum suo dissensu diruent, quemadmodum apud Venetos nuper apparuit, cum demto claustro oris, & facta licentia loquendi, Catholici agminatim ostenderent, quam unanimiter cum Baronio & Bellarmino, sentirent, ne de Bozii & Sanderi nugis, quas Covar: suo tempore æquè communi opinione receptas fuisse testatur, atq; potestatem suam indirectam hoc seculo scribit Bellarminus, quicquam adjiciam, & inde deducam, quam nihil sit fidendum communibus opinionibus, cum & errores communiter recipi possint, imprimis, ubi illis tantum scribendi copia sit, qui ad nutum Pontificis, de cujus capite agitur, scribere sibi imperarunt. Cæterorum scriptis nigrum ⊙ ab Inquisitoribus præfigitur, aut ipsi autores cum Fulgentio ad rogum rapiuntur, aut cum Occamo, Gar-

Collectio ridicula Bellarmini.

mo, Gandavensi, Cæsenate, extremis cum execrationibus proscribuntur. Ex quo fit, ut qui contrarium à communi sentit, sua scientia potius in sinu tacitè frui velit, quam cum periculo capitis eam foras communicare. Ligant scilicet Pontificii manus hostibus, & negant quenquam secum pugnare: comprimunt os oblocuturis, & negant quenquam sibi obloqui. Non est igitur Majestas Imperatorum, ad præscriptum eorum, qui cum patre suo Pontifice scripserunt, aut etiam scribere metu & obligatione aliqua coacti fuerunt, condemnanda, sed, si quid occurrat verborum duriorum, ex historiæ & rei gestæ veritate, metiendum & mitigandum est. Supra enim, vel ex ipsius Bellarmini placito, præsupposuimus, non esse præcisè inhærendum verbis istorum scriptorum, qui barbarie isti ævo q; innata historiam non parum obscurarunt, aut ambiguam reddiderunt. Quin etiam post Henrici IV. tempora scripserunt, & ex posterioribus, ut fieri solet, loquuntur & judicium ferunt de prioribus. Tum verò magis magisque invalescere pergebat præsumta Tyrannis Pontificum, & credebatur Imperator esse creatura Pontificis, seu, ut Valla ait *in donat. Conf. quasi quidam vicarius*, adeò, ut Lotharius pingeretur coronam flexis genibus à Pontificis manibus exorare, & Adrianus IV. non erubuerit, ad Fridericum I. scribere: *Imperatorem dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Pontifice collatam, & insigne Imperialis coronæ de manu eius suscepisse.* Radevv. *lib.* 1. *c.* 10. imò imperium acceptum fuisse à manu Pontificis, tanquam *beneficium*, disertis verbis adjecerit, quod sibi non ferendum putabat Imperator, de consensu & instigatione suorum principum, qui non minus suam, quam Imperatoris salutem in hoc negotio verti animadvertebant. Qua igitur fronte asserit Innocentius. III. *in c. venerabilem. de Elect.* & probat pari fide Bellarm. *c.* 8. *lib.* 5. *de Rom. Pont.* principes Germaniæ apertè recognoscere: *Ad eos jus & potestatem ab Apostolica sede pervenisse*, cum adeò exarserint in Legatos Pontificis, literas Adrani perferentes, ut vix integrum iis fuerit imperii finibus latere tecto excedere, & ad asyla sua pedem referre: Et cum Adrianus postea ad amiciores sibi principes scriberet, ut iratum Imperatorem sibi placarent, responderint uno ore: *Nos salva gratia vestra sanctißimæ paternitatis, ea verba, quæ in literis vestris continebantur, tueri propter sinistram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo approbare non audemus nec possumus, eò quod insolita & inaudita fuerunt usq; ad hæc tempora.* Radevv. *cap.* 16. Inauditum quippe erat, Imperatorem esse beneficiarium Pontificis, quod tamen unicè *in libro suo de transl. Imp.* Bellarm. & Gretser. *contra Haiminsfeld.* sibi demonstrandum proposuit, contra manifestam declarationem Adriani, qui per *Beneficium*, se nihil intelligere rescribebat, quam *Bonum factum*, per *collationem imperialis coronæ, impositionem in caput.* Radevv. *c.* 22. Avent. 6. *Annal.*

18. *Pontifex coronationem interpretatur per creationem.*

Imperator & principes negant.

Bellarm.

Bellar. criminationes in Epistolam Imperatoris.

Bellarm. *cap. 3. de transl. Imp.* præter alia horrenda, quæ in sacrosanctum Imperatorem effutit, in eundem invehitur, *quod ex unius verbi ambiguitate tantam tragœdiam excitarit, ut vix major excitanda fuerit, si totius Imperij extrema ruina impendisset.* Itane tibi lis videtur esse tantum de vocabulo, quando per illud totius imperii dignitas & salus evertitur. Quid aliud est, quam precarium & alieni arbitrii, seu beneficiarium facere imperium, quando eius plenitudo statuitur pendere à Papa, tanquam beneficium, quæ sunt totidem verba Epistolæ Adriani. Quid verò ruinæ imperii propius it, quam ipsum subjicere alterius arbitrio & potestati, cum pendeat à solo Deo, eoq; solo sit inferius, ut rescripsit Fridericus rectè, & Sophisticè exagitat Bellarm. *d. c. 3.* Nam licet per modos ex jure gentium ineatur imperium: tamen potestatem superiorem in subditos, non habet ex indulgentia Papæ, sed à solo Deo, ut sæpius supra contra Bellarm. demonstravimus. Destruit autem hanc potestatem, qui superiorem illi inducit cum Bellarmino, nec honorat Regem, ut præcipit Petrus, qui se super eum erigit. Vnde rectè Fridericus: *Doctrinæ Petri contrarium esse, qui Imperialem coronam beneficium Papa dixerit.* Nam qui regiam dignitatem prorsus evertit, is eàm certè non honorat. Sophistam agit Bellarm. dum verbis Imperatoris conclusionem affingit, quæ ipsi ne per somnium quidem in mentem venit, nec candidius agit cum eodem de duobus gladiis, quos Ecclesiæ, contra evidentẽ sensum scripturæ, Politicæ potestati surreptos, tantùm vindicat. Sed nos hæc & similia, modestiæ & erga Reges observantiæ Romanæ, qua ipsi Reges ex præcepto Petri honorant, testimonia, dimittimus & repetimus, quod statim declarandum aggressi sumus, non disputari hîc de ambiguitate vocabuli, sed salute imperii, quia ut Radevv. memorat *lib. 1. c. 10. Noverant principes: A nonnullis Romanorum temerè affirmari, Imperium urbis & Regnum Italicum, donatione pontificum Reges nostros hactenus possedisse, idq; non solum dictis, sed & scriptis, atq; picturis repræsentare. & ad posteros transmittere*: Imò disertè & stylo nimis quam imperioso ipse Adrianus scribit: *Vnde habet igitur Imperium, nisi à nobis? per nos imperat. Roma nostra sedes est: Imperatoris Aquis in Arduenna, silva Galliæ.* Et quæ præterea ineptit in Epist. apud Avent. *6. Annal.* ubi potestatem suam probat ex translatione Leonis, quam Zachariæ asscribit. Cælestinus III. cum coronam imponere Henrico VI. ad pedes suos cum uxore prostratum, & impositam statim pede excuteret, Hoveden. *in Annal. part. post. in Rich. 1. designans per hoc*, ut ait Cestrens. *Polychron lib. 7. cap. 26. quod ipse Papa habet potestatem creandi Imperatorem, si meruerit, & dejiciendi, si demeruerit*, annon factis executus est, quod verba Adriani præ se ferebant, & quod hinc principes cum Imperatore non ex suspitione incerta, sed re ipsa & factis edocti metuebant, cum Gregorius VII. semel in sacrosanctam pote-

potestatem sub prætextu religionis impune desæviendi fenestram aperuisset, ut ipse confiteri cogitur Onuphr. *in Greg. VII. in Epist. ad Met. Episc.* nihil aliud agit, quam ut sibi tribuat potestatem supra Imperatorem, nec nunc Pontificii passim aliud inclamant. Quod si lis est tantum de paupere verbo, cur de unius verbuli ambiguitate integros tres libros scripsit Bellarminus? Friderico non licuit causam suam una agere Epistola: Bellarminus verò agit causam Pontificis libris tribus integris, quibus sententiam & declarationem Adriani Pontificis prorsus evertit. Is enim ausus non est translationem imperii suum beneficium asserere, sed solam impositionem coronæ sibi deberi rescribit: Bellarminus, ut justiorem Imperatoris iram in se concitaret, per coronæ impositionem, contraria argumentandi forma, attribuit Pontifici potestatem transferendi imperium, quod quam ineptè concludatur paulò post videmus. Satis enim nobis est hoc loco, quod testimonia eorum, qui cum Carolo, aut paulò post vixerunt, nihil asscribant Leoni, præter ritum coronandi, & Publicè nominandi, seu declarandi Imperatorem Electum suo & totius populi consensu.

Ex nominis verò & coronæ Impositione quale argumentum ducetur ad probationem potestatis? sic enim detonat Bellarm. *cap. 7. de transl. Imp. Si jure belli obtinuit Carolus Imperium, cur amplius 20. annis Imperatorio nomine abstinuit? Cur annos solum 14. quot vid. à coronatione ad obitum eius fluxerunt, Carolo Imperatori tribuunt? &c.* Ridiculæ quæstiones, quæ ex privatione nominis inferunt privationem rei, ac si dicam: Hic non est renuntiatus Doctor, Ergo non est dodatus ea doctrina, quæ ad gradum Doctoris requiritur. Potest enim aliquis vel ad vitandam invidiam, vel modestiæ causa à titulis abstinere, re interim salva, quemadmodum Tiberius adeò aversabatur nomen Domini, ut quenquam oraret, ne se contumeliæ causa ita nominaret, & tamen reipsa Dominium in omnes exercebat. Quam multa Imperatoribus tribui solita nomina detractarunt Titus, & Trajanus? Marcus etiam, Antoninus dici erubuit, ratus Antonini memoriam gratiorem esse, quam cui dignis respondere posset virtutibus? Multi Augustorum, & patrum patriæ nomina defugerunt, inter quos Eginhartus refert etiam Carolum Magn. quem scribit ad oblatum Augusti nomen ita exhorruisse, ut diceret, *se, si id præscire potuisset, templum eo die ingredi noluisse.* Et qua de causa illud tum refugiebat, ex eadem abstinuerat se Imperatorem dicere, cum nomen Imperatoris Romanis eo tempore tam odiosum esset, atq; olim nomen Regis, . & timebat adhuc propalam Imperatori Orientis hæreditarias provincias subtrahere, cum sciret homines & principes titulis & externis dignitatibus magis, quam re ipsa,

Ex nomine non ducitur consequentia ad rem.

X percel-

percelli & permoveri. Etiam primi Imperatorum se Reges non passi sunt vocari, ad vitandam invidiam, nomine principum in senatu, Imperatorum in exercitu contenti: Majestatem tamen regiam nihilo segnius exercebant, & Caligula contendentibus coram se Regibus, se solum excepit regem oportere dici. Perinde igitur est, ac si quærat Bellarminus: Cur primi Imperatores abstinuerunt nomine Regio, si revera Reges fuerunt? Cur historici omnes eos reges non indigetant? Nimirum nomen Regium illi nondum assumserant, quo tamen Constantius, Justinianus, & alii utuntur, cum Diocletianus etiam Dominum se vocaret, & adorari se, pedibusq; osculum imprimi juberet. Ita nec Carolus M. prius Imperator dici debuit ab historicis, quam id nominis sua sibi pace obtrudi passus fuerat, tum demùm, cum pacatè in provinciis Romani Imperii se obfirmasset, & amplitudini nominis latitudinem provinciarum, & fortunæ favorem respondere videret.

Utrum præter nomen & ritum jus & titulum contulerit Pontifex. Velim enim libenter audire ex Bellarmino, quid per Imperium intelligat, quando illud in personam Caroli translatum scribit, aut quando ex concessione Papæ, non quidem possessionem, quam eum scribit jam ante habuisse, sed *titulum, jus, nomen, dignitatem, ac Majestatem Augustalem*, ipsum nactum fuisse jactitat. *cap. 11. de transl. imper.* De nomine, dignitate, ac Majestate, per quam nihil intelliget, quam externum splendorem, ne nos quidem contendimus, quippe, cum in apparentia externa vim non faciamus, ut ait Natta *in cons.* & sciamus Pontifices harum rerum ubiq; præter modum exitisse prodigos. Nec enim sequitur: Pontifex non vocavit Præmislum regem Poloniæ, qui primus nomen regium post Boleslai excommunicationem sibi resumsit. Ergo non est Rex, sicut nec ex eo Rex Galliæ factus est Albertus, quod eum regem vocaret Papa. Dedisset igitur nomen & dignitatem Imperatoriam Carolo: sed frustra dedisset, nisi hic virtute sua se verum Imperatorem fecisset, quod ipsum nulli Pontifici acceptum referre habet, sed fortunæ à Deo directæ, & suæ virtuti. Negare enim non potest contra Illyricum, *c. 7. de transl. Imp.* quin ex

19. *Pontifex nihil in re potuit Carolo addere.* paterna hæreditate Gallias, & bonam partem Alemanniæ obtinuerit, jure belli subegerit Saxones, Longobardos, & qui cum iis in Italia cis & trans Romam faciebant, atq; adeò nullo alio titulo, aut jure ad legitimam harum provinciarum possessionem indigebat, & propterea, si quid addidit Pontifex, frustra addidit, quia perfici nequit, quod jam perfectum est. Et hactenus tacet Bellarm. Tantum de urbe Romana levem ingerit instantiam, quod *cum Romanis nunquam pugnaverit, Romam nunquam vi intraverit, semper socius & amicus, deinde etiam patritius Romanorum.* Quid verò, si vi intrasset, cum cives tumultuārentur contra Leonem, & is Carolum vocaret in subsidium, arma non è longinquo ostentantem, sed ex vicino agro

agro Beneventano jam jam illaturum. Nulla tum opus fuisset nova translatione Pontificis magis, quam in occupanda Longobardia, aut exarchatu. Idem autem jus acquiritur spontanea subjectione, aut quæ fit ad evitandum belli periculum, quod justo bello. Sicut igitur jure belli factus est Carolus dominus Saxoniæ & Longobardiæ: Ita & Romanorum jure spontaneæ subjectionis, nec quicquam præterea poterat Pontifex addere. Otto Frising. *lib.3.c.31.* nihil dicit Carolo ablatum præter *patritij nomen*, nihil additum præter *coronam & nomen Imperatorium.*

Nam sub nomine patritii, quod nomen turpiter cum nomine Advocati, prius in Carolum collato, confundit Gretser. *disp contr. Constit. Haiminsf.* jam summam potestatem exercebat in tota urbe & ditione, adeò ut ipsius Pontificis causam inter ipsum & populum decisum & suo judicio terminatum veniret, & licet Bellarm excipiat, non judicatum fuisse Leonem à Carolo, quia ultrò crimina sibi objecta juramento publicè diluebat, tamen potestatem de eius criminibus cognoscendi & pronunciandi sibi sumsit Carolus adhuc patritius, nec minus sententiam meum tulisset, quam olim Gothi solebant & Odoacer, & postea factitavit Otto I. nisi populo jurejurando satisfecisset, & sententiam Caroli antevertisset. Quin & idem privilegium nactus est constituendi summi Pontificis, *d. c. Adrianus. dist 63.* quemadmodum advocatus Regius apud Petr. Dam. *in disput. cum defens. Eccl.* dicit: *Negare tamen non potes, quod pater Domini mei Henricus III. factus est patritius Roman. à quibus accepit in Electione super ordinatione Pontificis principatum*, & Henricus IV. cum transmissis muneribus & corona à Romanis, patritius appellatus esset, in concilio Basiliensi, statim Cadaloum Parmensem Episcopum ad Pontificatum promovit, ut scribit Contract. *in contin. an.* 1060. *& alij*, quos adducit Haiminsfeld. *c.16. replic. pro Imper.* Vnde ostenditur contra Gretserum, per patritiatum non denotari in persona Caroli, tantùm honorariam dignitatem, ut cum Clodoveus ab Anastasio Consul & patritius ascisceretur, & inde Consul & Augustus vocaretur, Ado *in Chron. æt. 6.* Sigeb: *in Chron.* Turon. *lib.2.* Krantz. *lib.3.* Suet. *c.17.* Blond. *lib 3. Dec. 1* sed veram potestatem, non quidem in provincias reliquas imperii Romani, sed in ditionem urbanam, quemadmodum apparet ex eo, cum contra Conradum 3. novum sibi patritium crearent, & ut scribit Lucius Papa *in Epist. ad Imp. omnia ei, tanquam principi submitterent*, seu ut Frising. *lib. 7 c. 31. omnes Principes ac nobiles ex civibus ad subjectionem eius compellerent.* Habebat igitur Carolus jus, titulum & possessionem, in quasdam provincias, ex jure successionis, in quasdam jure belli, in Romanos verò ex officio Patritii, & quia una cum Pontifice se ipsi subjecerant: Quid igitur supererat à Papa adjiciendum? Nihil credo, nisi nomen Impe-

Quæ fuerit potestas patritij Romam.

Imperatoris, quod sine re quidem inane est, Rem verò Pontifex non dedit, quia jam ante coronationem, justo titulo, jure omnia possidebat Carolus. Nam si titulum & jus acquisivit Carolus post inaugurationem, antea totos triginta tres annos injustus usurpator extitit earum provinciarum, quas abstraxit ab imperio, sine titulo & jure Imperatoris. Viterbiensis quidem scribit: *Carolus, ut fungi statuit diademate mundi, Pontificis summus manibus decrevit inungi*, unde traxit fortè Alciatus, *citatus ab Illyrico de transl. Imp. pag. 57.* quod suspicatur, *Carolum, ut justum aliquem titulum adepto Imperio prætendere posset, Cæsarem se & Romanum Imperatorem a Pontifice, populoq; Romano designari procurasse.* Sicut enim Pipinus sine autoritate magni alicujus & opinione religionis celebris viri, cui facilè fidem populus esset habiturus, noluit regnum Franciæ in se transferri: Ita verisimile est Carolum M. si non quæsivisse, saltem oblatum à Pontifice colorem translati imperii non abnuisse, quia etiam vanus titulus plurimum potest in vulgus, quod opinione magis regitur, quam rei veritate, ne nobis objiciat Bellarm. Emanuelem Comnenum Imperatorem frustrà tantam summam argenti Alexandro 3. promisisse, ut à Friderico in se transferret imperium, si nudum solùm titulum à Pontifice emi potuisse scivisset. Naucl. *gen. 39. Blond. dec. 2. lib. 5.* Normanni enim, erepta per vim Calabria & Apulia, se ipsos cum occupatis ditionibus subjecerunt sedi Romanæ, non alia de causa, nisi ut latrociniis suis apparentem aliquem titulum contra Imperatores Orientis pararent. Ad impetranda enim auxilia, & animandos subditos, plurimùm facit titulus apparens, quem spernere noluit Carolus, quod contra invidiam aliorum potentia & latitudine imperii jam satis munitus esset.

Titulum sive nomen à Papa oblatum cur non respuerit Carolus.

Alias enim hoc titulo, si melioribus destitutus fuisset, nec conscientiam suam securam reddere, nec causam coram mundo legitimè tutari potuisset. 1. Quia jam omnia alio titulo aliisque ex causis præoccuparat Carolus, prinsquam Augustus appellaretur. Titulus autem novus superveniens, eum, qui in mala fide est, inde nequit transponere in bonam. Quid enim hoc aliud est, quam verberare aliquem injuriâ, & postea causam seu prætextum quærere, ut jure verberasse puteris, quemadmodum pueri ludere solent in scholis, & Alexander M. Dario reddebat causam belli, in Persiam transducti hanc, quod Darius insidias struxisset Alexandro in Persia. Quod si non intulisset Alexander bellum in Persiam, Darius nullas insidias struxisset. Nunquam igitur hoc titulo, aut jure, quod putat Bellarminus, poterit Carolus excusari, quia provincias imperio surripuit omnes ante titulum, aut jus acquisitum. 2. Neq; populus Romanus, neq; Pontifex potuit imperium Occidentale transferre, quia nemo transfert, quod non habet. *c. nemo de R. I. in 6. l. observare. §. ult. de off. procons. & leg. l.*

Titulum frustra à Leone accepit Carolus.

leg. l. traditio. de acquir. rer. domin. Non dare quicquam, quo caret ipse, potest, ait Gunther. *libr. 6.* de effusis donationibus Papæ sub persona Friderici II. loquens.

Populum verò non habuisse imperium Bellarminus confitetur, & argumentis tribus propugnavit, quæ nos paulò ante solvimus, quantum consensui populi officere videbantur. Interim verò præsupposito, Rempubl. Romanam pro derelicta fuisse habitam ab Imperatoribus Orientis, ex jure naturæ, acquisivit populus universus potestatem, novum sibi principem vel novam formam Reipubl. constituendi, quæ salvo jure naturæ ipsi auferri aut ab alio anteverti non potuit. Cæterum exinde non sequitur, populus Romanus ex jure naturæ habuit potestatem sibi constituendi novam Rempubl. Ergo potuit imperium, quod Roma olim possedit, in quemcunq; voluerit transfundere, quia illud imperium quæsitum fuit ex jure gentium, unde bella nascuntur, & uni certo loco non cohæret. 20. *Populus Rom. non potuit imperiũ trãsferre.*

Nam dum argumentatur Bellarminus *c. 7. de transl. Imp. Carol. nunquam pugnavit cum Romanis. Ergo jure belli non occupavit imperium*, præsupponit imperium consistere in occupata Roma, quod multis nominibus falsum est. 1. Quia ubicunque est Imperator, ubicunque Papa, ibi Roma, ita ut imperium sequatur forum & curiam Imperatoris, non Imperator sedem Romanam. Nam cum Constantinus sedem imperii transferret Bizantium, nihilominus retinebat jus & nomen Imperatoris Romani. 2. Si occupata Roma facit Imperatorem, cur tantopere vapulant Illyricus & Haiminsfeldius à Bellarmino & Gretsero; quod Odoacrum & Gothorum Reges Imperatores vocent. 3. Hodie non erit Imperator, præter Papam, quia solus Papa vendicat sibi absolutum imperium Romæ. 4. Si Romani in pomæriis suis continent sedem & jus Imperii, quia jura Majestatis præscribi, aut lapsu temporis longissimi alienari non possunt, poterunt leges dare omnibus provinciis quæ olim Romanum imperium agnoverunt, aut licitis armis eas ad obedientiam redigere, quod tamen Papa, qui nunc rerum Romæ potitur, nondum ausus fuit tentare. 5. Imperium, quod à civitate Rom. fuit separabile, translatum jam diu erat in Orientem, & postliminio postea reductum non Romam, sed Ravennam, Exarchorum sedem. Cum igitur ab occupata Roma non pendeat imperium Rom. malè infert Bellarm. quod non sit quæsitum jure belli, quia Roma non est eo jure quæsita. Nihil enim, nisi se & subjectas sibi eo tempore regiones potuerunt tradere Romani, cum in reliquas Romani Imperii provincias jus nullum sibi competere scirent. Imperator igitur non inde factus fuit Carolus, quod populum Rom. spontanea deditione inter subjectos recepisset; sed quia plurimas provincias Romani imperii jure alio possidebat, & Romani complementum ultimum afferrent, potentia Imperatoribus cæ- *Sedes imperii non est affixa Romæ.*

teris se parem deprahendens, non dubitavit Imperatoris titulum assumere, cui defendendo jam sat virium se habere videret. Imperatorem enim à Regibus non differre, nisi amplitudine, paulò post dicemus. Eam autem amplitudinem parit non unica Roma, sed magnitudo provinciarum subjectarum, licet sicut de familia tradunt JCti, in uno servari possit, quod acquisitum fuit in multis. Constat igitur solum populum Rom. non potuisse in præjudicium reliquorum novum Imperatorem creare, quod Mich. Coccin. *in lib. de transl.* advertit, quando non solius populi Rom. sed & Italiæ & aliarum provinciarum consensum requirit.

Pontifex non potuit imperium trásferre.

Pontifici verò jus hoc transferendi competere, non potestate aliqua temporali directa, sed indirecta, sive in ordine ad Spiritualem finem, ubique contendit Bellarminus *c. 12. de translat. Imp. & c 8. libr. 5. de Rom. Pontif.* & id probat ex duabus propositionibus, *quod Pontifex Romanus sit communis pater & pastor totius Ecclesiæ*, deinde, *quod ratione officij sui pastoralis possit Imperatores & principes regnu exuere, pro commodu Ecclesiæ & in ordine ad finem Spiritualem*, Utramq; falsam esse *in c. 5.* prolixè demonstravimus, præcipuè secundam, quam multi Pontificiorum refutant, licet in primam consentiant. Quia verò nova nulla argumenta *in c. 12. de transl.* profert, nec nos cramben recoctam bis apponere volumus, sed remittimus lectorem *ad d. c. 5.* ubi fundamenta ea è fundamentis subruimus, & quam infidæ sint injecta arenæ, pluribus demonstravimus.

Imperator an magis obligetur Papa, quã reges alii.

Si vero Pontifex per potestatem indirectam potest transferre regna, cur Imperator ipsi magis obligatus dicitur, quam quivis alius Rex. Sic enim de hac re Bellarm. *in c 8. libr. 5. de Pontific. Licet absolutè non esset necessarium, ut Papa confirmaret Imperatorem, nec ut Imperator Pontifici juramentum fidelitatis præstaret: tamen à tempore translati Imperij in Germanos utrumq; requiritur. Qui enim potuit Imperium Germanis conferre, propter Ecclesiæ salutem, potuit etiam certas conditiones adjungere, propter eandem causam, ne vid. cõtingeret hæreticum vel schismaticum creari.* Annon transtulit etiam Pontifex regnum Franciæ de stirpe in stirpem, *ut hoc eodem c. & c. 2. de transl. Imp disput. Bellarm. & cap. ult. contr. Barcl.* Qui igitur potuit regnum transferre, potuit etiam conditiones adjungere &c. Quoties autem in regnis Navarræ, Aragoniæ & Portugaliæ, tale quid usu venit? Cur autem summus pastor Ecclesiæ tam negligenter officium suum hic executus est, nec præcavere voluit, ne quã schismaticus Rex irreperet. Imò, cum possit omnia regna ex hac potestate transferre Papa, potest ab omnibus regibus juramentum fidelitatis exigere, & omnes tenentur ab eo confirmationem petere. Ubi enim eadem ratio, ibi eadem lex.

Ob quam causam

Porro potestas Papæ non potest exeri nisi in ordine ad spiritualia. At quænam quæso tanta necessitas ad finem Spiritualem exegit translationem

nem imperii à Græcis ad Germanos. Bellarminus ut in re non satis perspecta, sibi non constat. In *lib. 5. de Pont. cap. 8.* causam affert, *quod non potuerint Græci laboranti Ecclesiæ Occidentali auxilium ferre.* In *c. 12. de transl. Imp.* ait: *Græcos aut non potuisse, aut noluisse laboranti Ecclesiæ opem ferre.* Ita in dubio relinquit: Utrum noluerint, vel non potuerint Græci opem ferre, cum tamen evidentissimas oporteat esse probationes, propter quas regno aliquis aut indignus declarari, aut prorsus, indicta causa, privari debeat. Vult enim Soto *lib. 5. de just. & jur. q. 1. art. 3.* ut Tyrannus prius convincatur, & per sententiam damnetur, quam in eum cuiquã potestas dari queat. At convinci nemo potest inauditus, nemo ex causa obscura, quam ne Bellar. quidem audacter profiteri ausus fuit, imperio privari, ante legitimè latam sentẽtiam, nisi Pontifex præpostero ordine sibi putet ab executione incipiendum. Imperatores autem Orientis nec citati sunt unquam ad dicendam causam, ut Henricus IV. & Fridericus I. nec legitima forma condemnati, Joh. Marsil. *in defens. contra Bellar.* sed ab executione facto initio, prius imperio exciderunt, quam se condemnari potuisse putassent. Præterea, ut Græci Imperatores propter negligentiam aut impotentiam imperio exciderint, Põtifici tamen judicium de iis non competit, quia soli cœlo habent rationem reddere, *ut d. c. 5 demonstravimus & lib. 1. de jur. Maj. c. 3.* & Ecclesia reb. mundanis, qualis est translatio regni, sine sacrilegio sese immiscere nequit. *transtulerit Papa imperiũ.*

Quia verò causæ productæ à Bellar. sese mutuò oppugnant, ponamus alterutram veram esse, aut non potuisse, aut noluisse Imperatores opem ferre Romanæ Ecclesiæ, per neutram earum excusabitur Pontifex ab injuria. Nam si non potuerunt propter virium angustias, infortunium absque culpa obveniens, non debuit iis detrimentosum esse. In mulierem verò, quod culpam ingerant, quam illud nihili est, & parum proposito cõducit? Nam muliebre imperium etiam sacræ literæ in Debora probant, & Lex Salica, credo in Orientem non prorepserat. Quin etiam ex hac causa mulier ab imperio dejici, non imperium à mulieris filio abduci debuisset. Sed ut fieri solet in re certa, undique momenta conquirentur, ut *An nõ potuerint Græci defendere Eccl. Rom.*

Quæ non prosunt singula, multa juvent.

Potuissent verò Imperatores Græci, nisi Pontifices fecissent, ne potuissent. Nam quod Constantinus ceperat in Philippico, Gregorius II. executus est in Leone Isaurico, teste Bellarmino ipso, licet non desint, qui de ea re dubitent, ut scilicet ab obedientia Græcorum propter Iconomachiam abducerent Italos, & sensim potestatem, quasi aliud agendo, immeritis subtraherent. Postquam vires præsciderunt, mox eos incusatum veniũt, quod vires non habeant. Prius abscondunt arma, postea multant ignaviam eorũ, qui destituti armis pugnare nesciunt. Sat virium habuissent Imperatores Orientis, nisi Romanis, cum enarratis à Sigon. *libr. 3. histor. Ital.* urbibus &

cæte-

voluerunt istius ævi scriptores respicere ad acclamationes, quæ in Senatu certatim conjiciebantur, in novos Imperatores, tanquam testimonia spôtaneæ subjectionis, ut ex Lamprid. Spart. Herod. & Poll. *videre est.* Preces verò populi, unde secundam instantiam trahit Bellarm. nullam potestatem tribuunt Pontifici, quia non dicuntur interponi, ut Pontifex creet, sed declaret & coronet communibus suffragiis electum Imperatorem, quia inunctio & coronatio, sive ut loquitur Rhegino impropriè, ad ceremonias instituendi Episcopos respiciens, *lib.* 2. *Chron. ordinatio* non poterat fieri, nisi à summo Ecclesiæ Romanæ præside, quem quia cogere fas non putabant, precibus ad coronationis ritum sacrum adjiciendum inducere voluerunt. Hoc est, quod Sigebertus *in Chron. an.* 801. & ex eo Vincent *in spec. lib.* 23. *c. ult.* notat: *Romani, qui ab Imperatore Constantinopolitano jam diu animo desciverunt, nunc accepta occasionis oportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Constantino filio suo, eis imperabat, uno omnium consensu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumq; per manus Leonis Papæ coronant, Cæsarem & Augustum appellant: Pipinum verò filium ejus regem Italiæ ordinatum collaudant.* Romani scilicet per manus Leonis coronant, hoc est precibus & monitis inducunt Leonem ad coronam destinato & admisso à se Imperatori imponendum. Nam quam glossam Bellar. *d. c.* 10. *de transl. imp.* affricat, contra evidentia verba affingit. Quis enim unquam per hæc verba: *Populus per manus Leonis coronat Carolum*, unquam subintelliget ista: *Populus probat principis sui factum, ac si per manus ejus id fecissent*, & id probat ex sequentibus, quando *Pipinum filium Caroli Regem Italiæ ordinatum*, dicit *Romanos collaudasse: Vbi vides*, ait, *ordinationem Regis, Pontifici, laudationem, quæ secuta est, populo tribui.* Si quid tale excidisset Illyrico, duo hinc egregia mendacia Cardinalitiâ modestiâ extrueret Bellarminus, 1. Quod Pontifex dicatur princeps Romanorum, & quidem non honorarius aut titulo tenus, quêadmodum Galli Episcopos vocant, honoris gratia, Dominos urbium, quarũ Ecclesiis præsident, sed qui potestatem habeat, de iis disponendi insciis & invitis, prout sibi & Ecclesiæ optimum videretur, cũ tamen, non nisi ex liberalitate Caroli præfecturam, ut antiquitus vocabatur, Romanam obtinuerit, Imperatoribus & leges illic condentibus, publiceq; affigentibus, & lites decidentibus, & in ipsos Pontifices & Episcopos jus supremum sibi reservantibus, adeò ut Fridericus I. libertatem injuriâ affectantibus Romanis rescripserit, se ne quicquam vocari Romanum Imperatorem, si Roma sibi subjecta non esset. apud Sigon. *in hist. Ital.* *Quantulũ ex imperio Rom.* ait Vall. *de donat. Constant.* ad Imperatorem, *tuum erit, si caput ipsum amisisti? A Roma dicitur Rom. Imperator.* Et paulò post: *Quid magis contrarium, quam pro Imperatore coronari, qui Romæ ipse renuntiasset, & coronari ab illo, quẽ & confitetur, & quantum in se est, dominũ Imperij Romani faciat.* 2. Quod ex his verbis *Pipinum*

Defenditur testimonium Sigeberti.

num filium Regem Italiæ, ordinatum collaudant, elicere conatur: *Pipinũ fuisse ordinatum regem Italiæ à Pontifice, & collaudatum à populo*, cum tamẽ omnia una serie tribuantur Romanis. Scribit Blondus, Platin. & Aeneas Sylv. *in abbrev. Blondi. Pontifex scito & precibus populi, Carolum Imperatorẽ Rom. declaratum, diademate coronavit.* Ergone interprete Bellarmino, declaratum à populo Carolum coronatum à Pontifice dicemus? Sed ut Pontifex glossis suis non veretur sensum scripturæ planissimè invertere, dummodo eum ad traditiones Ecclesiæ detorqueat: Ita nihil pensi habet Bellar. quibus sophismatis & quam frivolis interpretamentis, suis lectoribus imponat, quasi apud omnes Dea Fatua regnaret, aut Grammaticæ præ senectute obliti essemus, ut quid verba autorum sibi velint, intelligere haud possimus.

Postquam satisfecit Sigeberto, convertat nunc se quoque ad Pium II. *in cap. 9. de ortu & auctor. Imper. Rom.* ejusque testimonium contra se prolatum, qua arte item eludere queat, porrò videat. *Populum enim Romanum, qui suo sanguine pararat imperium, & suis virtutibus Monarchiam fundaverat orbis, desertum à Græcis, dicit venientem in auxilium Carolum M. qui urbem sacraq; loca, ab omni hostium incursione defendit, primò patritium, post Augustum, concurrente summi Pontificis consensu, salutasse Cæsarem.* Brevius Marian. Scot. *lib. 3 Chron.* & Schafnaburg. *in hist. Germa. de Carol. M. Carolus hoc tempore à Romanis Augustus appellatus est.* Theodor. Nihem. *in libr. de invest. Episcop.* huc accommodat legem Regiam, & ejusdem verbis dicit: *Populus Rom. concessit Carolo & in eum transtulit omne jus suum & potestatem.* Quod igitur objicit Bellarm. *acclamationem secutam, coronationem præcessisse*, concedo, sed illa acclamatio præsupposuit consensum præcedentem, quemadmodũ ad modum consilii inter proceres deliberatum & conclusum fuisse, multis verbis exponit Paulus Æmil. *lib. 3. de gest. Franc.* Donat. Acciai. ait: *Non tantum consentiente, sed & applaudente populo Rom.* Consensus scil. præcessit, Applausus secutus fuit, quod expressè innuit Naucler. *gen. 26.* quando ait: *Leo populi Rom. consensu Carolum Imperatorem Rom. declarat, ac diademate coronat, ter acclamante populo* &c. Declarationi enim adjungit consensum, coronationi acclamationem. Johannes Parisiens. *de potest. reg. & Papal. c. 16.* addit rationem, quare consensus populi ante declarationem, quam justam fuisse utrinq; præsupponimus, præcedere debuerit, quia *populi*, inquit, *est se subjicere, cui vult, sine alterius præjudicio.* Et paulò post: *Nam populus facit, Regem & exercitus Imperatorem.* *Testimonia aliorum.*

Hæc ratio evincit quidem, quid fieri debuerit, ex qua Michaël Coccin. *in lib. de translat. Imp.* Romanis asciscit etiam reliquos Italiæ populos, quia, ut Lupold. *c. 12. de jur. Imp. confitetur*, ratio nulla occurrit, quare *populus Rom. majorẽ habeat potestatem circa translationem Imperij, quam quicunq; alius populus Imperio Rom. subjectus*: Verum opponeret statim Bellar. monita ipsius *Cur populi consensus excludi nõ potuerit.*

Onuphrii *in libr. de comit. Imperat. Non esse fidelis historici rem describere, ut fieri debuisset, sed ut facta est. Alioquin enim non res gesta scribuntur, sed mendacia obtruduntur.* Concedimus enim judicia scriptorum non esse attendenda, sed veritatem rerum gestarum, & hinc diluimus cum Barcl. *c.40. de pot. Pap.* illud, quòd toties in calamo Bellarmino oberrat: Depositionem Childerici & translationem Imperii in Carolum à scriptoribus non reprehendi, sed à multis etiam laudari. Verum ex hypothesi ipsius Bellarmini, consensum populi, cujus illi, qui ritum coronationis tantum descripserunt, non meminerunt, omnino fuisse necessarium, ostendimus, quia aliàs summæ injustitiæ notam non effugeret translatio, quam tamen ubiq; tanquam justè factam propugnat. *de transl. Imp. c.12.5. de Pontif. c.8.* Nam cum Barclajus objecisset, iniquè usurpare Pontificem potestatem alienam in Reges, ita hanc iniquitatem excusat Bellarm. *c.4. contr. Barcl.* quod *abjudicata regna non sibi usurpet, sed vel successori legitimo, vel populo tradat.* Quod si verò imperium, Irene abjudicatum, quod ex jure divino & naturali ad totam Rempubl. vel ipso Bellarmino teste, *lib.3. de Laic. c.6.* recidebat, populo non reliquit Pontifex, sed ad alienigenam, inscio & non consentiente populo, transtulit, videat porrò Bellarm. quibus artibus ab injuria factum sui Pontificis sit excusaturus.

16. *Diluitur aliud argumentũ Bellarmini.*

Nam, quod vel invito populo idipsum potuisse Pontificem facere, probat ex eo, quod Fridericus I. invito populo Romano coronatus sit, in eo multoties peccat. 1. Quia licet quidam in urbe tumultuarentur, alieniori ab Imperatore animo, tamen universi ejus imperium non detrectabant, & præcipuè, qui à Pontificis partibus stabant. 2. Quia jam jus suum populus cesserat Imperatoribus ex stirpe Carolina & Ottoniana, qui illud hæreditarium pro se & tota posteritate usurparant. Sicut autem transfusam in Augustum, si in eum lex lata est, potestatem populus revocare nõ poterat, *l.1 §. Sed & hoc studiosum. C. de vet. jur. enucl. Gl.* & Zas. *ad l. non ambigitur. de ll.* ita nec à stirpe vel Caroli, vel Ottonis poterat, quia displicere non poterat, quod placuerat semel. Tum demum enim populus potestatem recipit, quando legitimus successor non superest, aut qui superest, degenerat in Tyrannum. Atqui Frideric. ex ultima fratris Conradi III voluntate proximus designatus erat successor, quẽ nolentes volentes cogebantur Romani, adeoq; omnes alii imperio subjecti populi acceptare, nisi mallet vim justam legitimi successoris experiri. Qui igitur jus incompetens affectabant, potestateq; refragandi omninò destituebantur, meritò ad obediẽtiam armis & auctoritate cõpelli debuerunt, quia cujus consensus non exigitur, ejus dissensus facilè contemnitur, 3 Bellarm, *lib.3. de transl. Imp cap.3.* Electores ait institutos à Gregorio V. & iis datum jus eligendi Imperatorem. Nullum igitur amplius habebant Romani, ideoq; invitis sine injuria potuit induci

Impe-

Imperator, ſed cum ageretur de ſupplendo Imperio vacante, & transferendo dominio, quod Orientales pro derelicto habuerant, jus & poteſtatem ex jure divino & naturali habebat populus, nec inſciis aut invitis Imperator imponi poterat.

Ex quo ſimul ſolvi poteſt tertium argumentum, quod Bellarm. Onuphrio objicit *c.* 10. *de transl. Imp.* & patricè exaggerat *cap.* 8. *lib.* 5. *de Pontif.* Senatum ſc. Romanum jus eligendi vel non habuiſſe, quia Imperatores aut nominati ſunt ab Anteceſſoribus, aut ab excitu, vel cum imperium transferretur Conſtantinopolin, non exercendo amiſiſſe. Nam Senatui & populo jus eligendi Imperatorem nemo bonus Politicus in prima Repub. Romanorum, poſtquam poteſtas omnis translata fuit in Auguſtum, aſſcribet, niſi ſucceſſore non ſuperſtite, aut imperii ſede vacante. Tranſiit enim jus ſuccedendi ad principes per legem Regiam, quod illi vel tranſmiſerunt in poſteros naturali ſucceſſione, vel voluntaria diſpoſitione per teſtamenti tabulas, niſi ſeditionibus & vi militum impedirentur. Nam quod exercitus legitimo titulo & jure elegerint Imperatores, ut ex Hieronimi *Epiſt. ad Evagr. præſupponit* Bellarmin. nulla veriſimili conjectura demonſtrari poteſt, quia non ſolum conſcripti ex infima plebe Romana, ſed & ex copiis externis, exercitus eam ſibi poteſtatem ſumſerunt, qui ne partes quidem Reipub. erant, nedum, ut toti Reipubl. principem pro arbitrio dare potuerint. Nec ceſſavit Senatus iniuſtis militum conatibus ſeſe opponere, ut cum libertati reſtituendæ comitia haberent poſt occiſum Cajum; cum Neronem perduellem SCto pronunciarent, cum Nervam ad imperium promoverent, cum Pertinacis imperium contra prætorianos tuerentur, Didium Julianum morte damnarent, & Severum ex Illyrico adventantem exciderent, cum Maximino hoſte Reipubl. declarato, Maximum & Balbinum, cum Gordiano ad poſtulata populi, ſubſtituerent, cum Philippo Arabi Marcum & Severum Hoſtilianum anteponerent, Claudio poſt Gallienum & 30. Tyrannos imperium darent, ſi Zoſimo & Pollioni *credimus*, Tacitum deniq; conſentientibus exercitibus eligerent, & multis aliis exemplis jus ſuum ad ſe retrahere annitereutur. Exercitibus verò, vi & illicitis armis graſſantibus, non magis legitimum aliquod jus inde accreſcere poterat, quàm Senatui & populo jus inveteratum ex translatione imperii & ſuppreſſo electionis exercitio adimi, præſertim cum ipſe Bellarm. confiteatur populo & Rebuſpubl. innaſci poteſtatem, conducibiles ſibi gubernatores conſtituendi, ſi à conſtitutis deſerantur, prout hoc in negocio præſupponendum eſt iis, qui jure translatum eſſe imperium à Græcis in Germanos cum Bellarmino diſputant.

Aliud Argumentum Bell.

Atq; hoc primum eſt, quod in hiſtoria translationis concedendum eſſe demonſtravimus, nimirùm non ſolum Pontificem, ſed & populum &

Romani imperii subditos consensu suo concessisse Carolo imperium, aut potius jure belli jam præoccupatum ex post facto confirmasse. Videndum nunc porro est, quantillum sit id, quod Pontifex Romanus ad hunc actum transferendi vel contulerit, vel conferre potuerit.

17. *Pontifex nihil contulit, quam coronam & nomen.*

Et quidem, si vel ipse Priscianus, vel, si quis est Orbilio severior in rebus Grammaticis censor, ad arbitrium vocetur, ex verbis omnium eorum, quos laudavit Bellarm *c. 4. de transl. Imp.* nihil aliud eliceret, quam *Appellationem, & Coronationem*, seu *consecrationem*, & *Benedictionem* à Papa Carolum impetrasse. Nam, quod quidam ex posterioris seculi scriptoribus scribant: Imperatorem *creatori* aut *fieri* à Pontifice, partim se explicant circumscripto modo creationis, ut Schafnaburg. *de Otton. I. Benedictione atque consecratione super cathedram Augustralem positum, Imperatorem fecit.* Item Urspergens. *in Chronic.* quod *ann.* 796. breviter innuerat: *Leonem fecisse Carolum Imperatorem*, in *ann.* 801. sic persequitur, quod *consecraverit eum Imperatorem*, seu *quod coronam imposuerit, & Imperatorem Romanum pronuntiaverit.* Partim temporibus Caroli longè posteriores sunt, & proinde, vel ipsius Bellarmini judicio, *cap. 10. de translat. Imp* minus fide digni, aut saltem pluribus & antiquioribus non præferendi: Partim loquebantur ad favorem & placitum Romanæ sedis, cui devincti erant copia beneficiorum, & obstricti professione, quà Episcopi, quà Monachi, cujusve censuram vel injustam, ut erat superstitiosum seculum, metuendam sibi putabant, aut privationem beneficij, si quid posteritati mandassent in præjudicium Romanæ Ecclesiæ. Et sanè ineptè colligit Bellar. *l. 5. de Rom. Pont. c. 2. & de translat. Imp. c. 12. Communis est opinio de potestate Papæ indirecta inter Catholicos. E. vera, & opposita hæretica.* Si *quem vis nolle*, ait Seneca, *fac prius velle. Nemo id accipiendo obligatur, quod illi repudiare non licuit.* Si scire vis, quid sentiant Catholici, fac prius, ut liberè sentire possint, nec libertatem loquendi carceribus Inquisitorum, aut diris Pontificum tolle: Non soli Galli aut Angli, salva Catholica fide, sed & ipsi Itali argumentum hoc tuum suo dissensu diruent, quemadmodum apud Venetos nuper apparuit, cum demto claustro oris, & facta licentia loquendi, Catholici agminatim ostenderent, quam unanimiter cum Baronio & Bellarmino, sentirent, ne de Bozii & Sanderi nugis, quas Covar. suo tempore æquè communi opinione receptas fuisse testatur, atq; potestatem suam indirectam hoc seculo scribit Bellarminus, quicquam adjiciam, & inde deducam, quam nihil sit fidendum communibus opinionibus, cum & errores communiter recipi possint, imprimis, ubi illis tantum scribendi copia fit, qui ad nutum Pontificis, de cujus capite agitur, scribere sibi imperarunt. Cæterorum scriptis nigrum ⊙ ab Inquisitoribus præfigitur, aut ipsi autores cum Fulgentio ad rogum rapiuntur, aut cum Occa-

Explicatio secus loquentium.

Collectio ridicula Bellarmini.

mo, Gar-

mo, Gandavensi, Cæsenate, extremis cum execrationibus proscribuntur. Ex quo fit, ut qui contrarium à communi sentit, sua scientia potius in sinu tacitè frui velit, quam cum periculo capitis eam foras communicare. Ligant scilicet Pontificii manus hostibus, & negant quenquam secum pugnare: comprimunt os oblocututis, & negant quenquam sibi obloqui. Non est igitur Majestas Imperatorum, ad præscriptum eorum, qui cum patre suo Pontifice scripserunt, aut etiam scribere metu & obligatione aliqua coacti fuerunt, condemnanda, sed, si quid occurrat verborum duriorum, ex historiæ & rei gestæ veritate, metiendum & mitigandum est. Supra enim, vel ex ipsius Bellarmini placito, præsupposuimus, non esse præcisè inhærendum verbis istorum scriptorum, qui barbarie isti ævo q. innata historiam non parum obscurarunt, aut ambiguam reddiderunt. Quin etiam post Henrici IV. tempora scripserunt, & ex posterioribus, ut fieri solet, loquuntur & judicium ferunt de prioribus. Tum verò magis magisque invalescere pergebat præsumta Tyrannis Pontificum, & credebatur Imperator esse creatura Pontificis, seu, ut Valla ait *in donat. Const. quasi quidam vicarius*, adeò, ut Lotharius pingeretur coronam flexis genibus à Pontificis manibus exorare, & Adrianus IV. non erubuerit, ad Fridericum I. scribere: *Imperatorem dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Pontifice collatam, & insigne Imperialis coronæ de manu eius suscepisse*. Radevv. *lib.* 1. *c.* 10. imò imperium acceptum fuisse à manu Pontificis, tanquam *beneficium*, disertis verbis adjecerit, quod sibi non ferendum putabat Imperator, de consensu & instigatione suorum principum, qui non minus suam, quam Imperatoris salutem in hoc negotio verti animadvertebant. Qua igitur fronte asserit Innocentius. III. *in c. venerabilem. de Elect.* & probat pari fide Bellarm. *c.* 8. *lib.* 5. *de Rom. Pont.* principes Germaniæ apertè recognoscere: *Ad eos jus & potestatem ab Apostolica sede pervenisse*, cum adeò exarserint in Legatos Pontificis, literas Adrani perferentes, ut vix integrum iis fuerit imperii finibus latere tecto excedere, & ad asyla sua pedem referre: Et cum Adrianus postea ad amiciores sibi principes scriberet, ut iratum Imperatorem sibi placarent, responderint uno ore: *Nos salva gratia vestræ sanctissimæ paternitatis, ea verba, quæ in literis vestris continebantur, tueri propter sinistram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo approbare non audemus nec possumus, eò quod insolita & inaudita fuerunt usq; ad hæc tempora.* Radevv. *cap.* 16. Inauditum quippe erat, Imperatorem esse beneficiarium Pontificis, quod tamen unicè *in libro suo de transl. Imp.* Bellarm. & Gretser. *contra Haiminsfeld.* sibi demonstrandum proposuit, contra manifestam declarationem Adriani, qui per *Beneficium*, se nihil intelligere rescribebat, quam *Bonum factum*, per *collationem imperialis coronæ, impositionem in caput*. Radevv. *c.* 22. Avent. 6. *Annal.*

18. *Pontifex coronationem interpretatur per creationem.*

Imperator & principes negant.

Bellarm.

Bellar. criminationes in Epistolam Imperatoris.

Bellarm. *cap. 3. de transl. Imp.* præter alia horrenda, quæ in sacrosanctum Imperatorem effutit, in eundem invehitur, *quod ex unius verbi ambiguitate tantam tragœdiam excitarit, ut vix major excitanda fuerit, si totius Imperij extrema ruina impendisset.* Itane tibi lis videtur esse tantum de vocabulo, quando per illud totius imperii dignitas & salus evertitur. Quid aliud est, quam precarium & alieni arbitrii, seu beneficiarium facere imperium, quando eius plenitudo statuitur pendere à Papa, tanquam beneficium, quæ sunt totidem verba Epistolæ Adriani. Quid verò ruinæ imperii propius it, quam ipsum subjicere alterius arbitrio & potestati, cum pendeat à solo Deo, eoq; solo sit inferius, ut rescripsit Fridericus rectè, & Sophisticè exagitat Bellarm. *d. c. 3.* Nam licet per modos ex jure gentium ineatur imperium: tamen potestatem superiorem in subditos, non habet ex indulgentia Papæ, sed à solo Deo, ut sæpius supra contra Bellarm. demonstravimus. Destruit autem hanc potestatem, qui superiorem illi inducit cum Bellarmino, nec honorat Regem, ut præcipit Petrus, qui se super eum erigit. Vnde rectè Fridericus: *Doctrinæ Petri contrarium esse, qui Imperialem coronam beneficium Papæ dixerit.* Nam qui regiam dignitatem prorsus evertit, is eam certè non honorat. Sophistam agit Bellarm. dum verbis Imperatoris conclusionem affingit, quæ ipsi ne per somnium quidem in mentem venit, nec candidius agit cum eodem de duobus gladiis, quos Ecclesiæ, contra evidentē sensum scripturæ, Politicæ potestati surreptos, tantùm vindicat. Sed nos hæc & similia, modestiæ & erga Reges observantiæ Romanæ, qua ipsi Reges ex præcepto Petri honorant, testimonia, dimittimus & repetimus, quod statim declarandum aggressi sumus, non disputari hîc de ambiguitate vocabuli, sed salute imperii, quia ut Radevv. memorat *lib. 1. c. 10. Noverant principes: A nonnullis Romanorum temerè affirmari, Imperium urbis & Regnum Italicum, donatione pontificum Reges nostros hactenus possedisse, idq; non solum dictis, sed & scriptis, atq; picturis repræsentare. & ad posteros transmittere;* Imò disertè & stylo nimis quam imperioso ipse Adrianus scribit: *Vnde habet igitur Imperium, nisi à nobis? per nos imperat. Roma nostra sedes est: Imperatoris Aquis in Arduenna, silva Gallia.* Et quæ præterea ineptit in Epist. apud Avent. *6. Annal.* ubi potestatem suam probat ex translatione Leonis, quam Zachariæ asscribit. Cælestinus III. cum coronam imponere Henrico VI. ad pedes suos cum uxore prostratum, & impositam statim pede excuteret, Horeden. *in Annal. part. post. in Rich. I. designans per hoc,* ut ait Cestrens. *Polychron lib. 7. cap. 26. quod ipse Papa habet potestatem creandi Imperatorem, si meruerit, & deijciendi, si demeruerit,* annon factis executus est, quod verba Adriani præ se ferebant, & quod hinc principes cum Imperatore non ex suspitione incerta, sed re ipsa & factis edocti metuebant, cum Gregorius VII. semel in sacrosanctam pote-

poteſtatem ſub prætextu religionis impunè deſæviendi feneſtram aperuiſſet, ut ipſe confiteri cogitur Onuphr. *in Greg. VII. in Epiſt. ad Met. Epiſc.* nihil aliud agit, quam ut ſibi tribuat poteſtatem ſupra Imperatorem, nec nunc Pontificii paſſim aliud inclamant. Quod ſi lis eſt tantum de paupere verbo, cur de unius verbuli ambiguitate integros tres libros ſcripſit Bellarminus? Friderico non licuit cauſam ſuam una agere Epiſtola: Bellarminus verò agit cauſam Pontificis libris tribus integris, quibus ſententiam & declarationem Adriani Pontificis prorſus evertit. Is enim auſus non eſt translationem imperii ſuum beneficium aſſerere, ſed ſolam impoſitionem coronæ ſibi deberi reſcribit: Bellarminus, ut juſtiorem Imperatoris iram in ſe concitaret, per coronæ impoſitionem, contraria argumentandi forma, attribuit Pontifici poteſtatem transferendi imperium, quod quam ineptè concludatur paulò poſt videmus. Satis enim nobis eſt hoc loco, quod teſtimonia eorum, qui cum Carolo, aut paulò poſt vixerunt, nihil aſſcribant Leoni, præter ritum coronandi, & Publicè nominandi, ſeu declarandi Imperatorem Electum ſuo & totius populi conſenſu.

Ex nominis verò & coronæ Impoſitione quale argumentum ducetur ad probationem poteſtatis? ſic enim detonat Bellarm. *cap. 7. de transl. Imp. Si jure belli obtinuit Carolus Imperium, cur amplius* 20. *annis Imperatorio nomine abſtinuit? Cur annos ſolum* 14. *quot vid. à coronatione ad obitum eius fluxerunt, Carolo Imperatori tribuunt? &c.* Ridiculæ quæſtiones, quæ ex privatione nominis inferunt privationem rei, ac ſi dicam: Hic non eſt renuntiatus Doctor, Ergo non eſt dodatus ea doctrina, quæ ad gradum Doctoris requiritur. Poteſt enim aliquis vel ad vitandam invidiam, vel modeſtiæ cauſa à titulis abſtinere, re interim ſalva, quemadmodum Tiberius adeò averſabatur nomen Domini, ut quenquam oraret, ne ſe contumeliæ cauſa ita nominaret, & tamen reipſa Dominium in omnes exercebat. Quam multa Imperatoribus tribui ſolita nomina detractarunt Titus, & Trajanus? Marcus etiam, Antoninus dici erubuit, ratus Antonini memoriam gratiorem eſſe, quam cui dignis reſpondere poſſet virtutibus? Multi Auguſtorum, & patrum patriæ nomina defugerunt, inter quos Eginhartus refert etiam Carolum Magn. quem ſcribit ad oblatum Auguſti nomen ita exhorruiſſe, ut diceret, *ſe, ſi id præſcire potuiſſet, templum eo die ingredi noluiſſe.* Et qua de cauſa illud tum refugiebat, ex eadem abſtinuerat ſe Imperatorem dicere, cum nomen Imperatoris Romanis eo tempore tam odioſum eſſet, atq; olim nomen Regis, . & timebat adhuc propalam Imperatori Orientis hæreditarias provincias ſubtrahere, cum ſciret homines & principes titulis & externis dignitatibus magis, quam re ipſa,

Ex nomine non ducitur conſequentia ad rem.

 percel-

percelli & permoveri. Etiam primi Imperatorum se Reges non passi sunt vocari, ad vitandam invidiam, nomine principum in senatu, Imperatorum in exercitu contenti: Majestatem tamen regiam nihilo segnius exercebant, & Caligula contendentibus coram se Regibus, se solum excepit regem oportere dici. Perindeigitur est, ac si quærat Bellarminus: Cur primi Imperatores abstinuerunt nomine Regio, si revera Reges fuerunt? Cur historici omnes eos reges non indigetant? Nimirum nomen Regium illi nondum assumserant, quo tamen Constantius, Justinianus, & alii utuntur, cum Diocletianus etiam Dominum se vocaret, & adorari se, pedibusq; osculum imprimi juberet. Ita nec Carolus M. prius Imperator dici debuit ab historicis, quam id nominis sua sibi pace obtrudi passus fuerat, tum demùm, cum pacatè in provinciis Romani Imperii se obfirmasset, & amplitudini nominis latitudinem provinciarum, & fortunæ favorem respondere videret.

Verum prater nomen & titulum jus & titulum contulerit Pontifex.

Velim enim libenter audire ex Bellarmino, quid per Imperium intelligat, quando illud in personam Caroli translatum scribit, aut quando ex concessione Papæ, non quidem possessionem, quam eum scribit jam ante habuisse, sed *titulum, jus, nomen, dignitatem, ac Majestatem Augustalem*, ipsum nactum fuisse jactitat. *cap. 11. de transl. imper.* De nomine, dignitate, ac Majestate, per quam nihil intelliget, quam externum splendorem, ne nos quidem contendimus, quippe, cum in apparentia externa vim non faciamus, ut ait Natta *in conf.* & sciamus Pontifices harum rerum ubiq; præter modum exitisse prodigos. Nec enim sequitur: Pontifex non vocavit Præmislum regem Poloniæ, qui primus nomen regium post Boleslai excommunicationem sibi resumsit. Ergo non est Rex, sicut nec ex eo Rex Galliæ factus est Albertus, quod eum regem vocaret Papa. Dedisset igitur nomen & dignitatem Imperatoriam Carolo: sed frustra dedisset, nisi hic virtute sua se verum Imperatorem fecisset, quod ipsum nulli Pontifici acceptum referre habet, sed fortunæ à Deo directæ, & suæ virtuti. Negare enim non potest contra Illyricum, *c. 7. de transl. Imp.* quin ex paterna hæreditate Gallias, & bonam partem Alemanniæ obtinuerit, jure belli subegerit Saxones, Longobardos, & qui cum iis in Italia cis & trans Romam faciebant, atq; adeò nullo alio titulo, aut jure ad legitimam harum provinciarum possessionem indigebat, & propterea, si quid addidit Pontifex, frustra addidit, quia perfici nequit, quod jam perfectum est. Et hactenus tacet Bellarm. Tantum de urbe Romana levem ingerit instantiam, quod *cum Romanis nunquam pugnaverit, Roman nunquam vi intraverit, semper socius & amicus, deinde etiam patritius Romanorum.* Quid verò, si vi intrasset, cum cives tumultuarentur contra Leonem, & is Carolum vocaret in subsidium, arma non è longinquo ostentantem, sed ex vicino

19. *Pontifex nihil in re potuit Carolo addere.*

agro Beneventano jam jam illaturum. Nulla tum opus fuisset nova translatione Pontificis magis, quam in occupanda Longobardia, aut exarchatu. Idem autem jus acquiritur spontanea subjectione, aut quæ fit ad evitandum belli periculum, quod justo bello. Sicut igitur jure belli factus est Carolus dominus Saxoniæ & Longobardiæ: Ita & Romanorum jure spontaneæ subjectionis, nec quicquam præterea poterat Pontifex addere. Otto Frising. *lib.3.c.31.* nihil dicit Carolo ablatum præter *patritij nomen*, nihil additum præter *coronam & nomen Imperatorium*.

Nam sub nomine patritii, quod nomen turpiter cum nomine Advocati, prius in Carolum collato, confundit Gretser. *disp contr. Confut. Haiminsf.* jam summam potestatem exercebat in tota urbe & ditione, adeò ut ipsius Pontificis causam inter ipsum & populum decisum & suo judicio terminatum veniret, & licet Bellarm. excipiat, non judicatum fuisse Leonem à Carolo, quia ultrò crimina sibi objecta juramento publicè diluebat, tamen potestatem de eius criminibus cognoscendi & pronuntiandi sibi sumsit Carolus adhuc patritius, nec minus sententiam meum tulisset, quam olim Gothi solebant & Odoacer, & postea factitavit Otto I. nisi populo jurejurando satisfecisset, & sententiam Caroli antevertisset. Quin & idem privilegium nactus est constituendi summi Pontificis, *d. c. Adrianus. dist 63.* quemadmodum advocatus Regius apud Petr. Dam. *in disput. cum defens. Eccl.* dicit: *Negare tamen non potes, quod pater Domini mei Henricus III. factus est patritius Roman. à quibus accepit in Electione super ordinatione Pontificis principatum*, & Henricus IV. cum transmissis muneribus & corona à Romanis, patritius appellatus esset, in concilio Basiliensi, statim Cadaloum Parmensem Episcopum ad Pontificatum promovit, ut scribit Contract. *in contin. an. 1060. & alij*, quos adducit Haiminsfeld. *c.16. replic. pro Imper.* Vnde ostenditur contra Gretserum, per patritiatum non denotari in persona Caroli, tantùm honorariam dignitatem, ut cum Clodoveus ab Anastasio Consul & patritius ascisceretur, & inde Consul & Augustus vocaretur, Ado *in Chron. æt. 6.* Sigeb: *in Chron.* Turon. *lib.2.* Krantz. *lib.3. Saxo.c.17.* Blond. *lib.5. Dec.1.* sed veram potestatem, non quidem in provincias reliquas imperii Romani, sed in ditionem urbanam, quemadmodum apparet ex eo, cum contra Conradum 3. novum sibi patritium crearent, & ut scribit Lucius Papa *in Epist. ad Imp. omnia ei, tanquam principi submitterent*, seu ut Frising. *lib.7 c.31. omnes Principes ac nobiles ex civibus ad subjectionem eius compellerent.* Habebat igitur Carolus jus, titulum & possessionem, in quasdam provincias, ex jure successionis, in quasdam jure belli, in Romanos verò ex officio Patritii, & quia una cum Pontifice se ipsi subjecerant: Quid igitur supererat à Papa adjiciendum? Nihil credo, nisi nomen

Quæ fuerit potestas patritij Romani.

 Impe-

Imperatoris, quod sine re quidem inane est, Rem verò Pontifex non dedit, quia jam ante coronationem, justo titulo, jure omnia possidebat Carolus. Nam si titulum & jus acquisivit Carolus post inaugurationem, antea totos triginta tres annos injustus usurpator extitit earum provinciarum, quas abstraxit ab imperio, sine titulo & jure Imperatoris. Viterbiensis quidem scribit: *Carolus, ut fungi statuit diademate mundi, Pontificis summi manibus decrevit inungi*, unde traxit fortè Alciatus, *citatus ab Illyrico de transl. Imp. pag. 57.* quod suspicatur, *Carolum, ut justum aliquem titulum adepto Imperio prætendere posset, Cæsarem se & Romanum Imperatorem à Pontifice, populoq; Romano designari procurasse.* Sicut enim Pipinus sine autoritate magni alicujus & opinione religionis celebris viri, cui facilè fidem populus esset habiturus, noluit regnum Franciæ in se transferri: Ita verisimile est Carolum M. si non quæsivisse, saltem oblatum à Pontifice colorem translati imperii non abnuisse, quia etiam vanus titulus plurimum potest in vulgus, quod opinione magis regitur, quam rei veritate, ne nobis objiciat Bellarm. Emanuelem Comnenum Imperatorem frustrà tantam summam argenti Alexandro 3. promisisse, ut à Friderico in se transferret imperium, si nudum solùm titulum à Pontifice emi potuisse scivisset. Naucl. *gen. 39. Blond. dec. 2. lib. 5.* Normanni enim, erepta per vim Calabria & Apulia, se ipsos cum occupatis ditionibus subjecerunt sedi Romanæ, non alia de causa, nisi ut latrociniis suis apparentem aliquem titulum contra Imperatores Orientis pararent. Ad impetranda enim auxilia, & animandos subditos, plurimùm facit titulus apparens, quem spernere noluit Carolus, quod contra invidiam aliorum potentia & latitudine imperii jam satis munitus esset.

Titulum sive nomen à Papa oblatum cur non respuerit Carolus.

Alias enim hoc titulo, si melioribus destitutus fuisset, nec conscientiam suam securam reddere, nec causam coram mundo legitimè tutari potuisset. 1. Quia jam omnia alio titulo aliisque ex causis præoccuparat Carolus, prinsquam Augustus appellaretur. Titulus autem novus superveniens, eum, qui in mala fide est, inde nequit transponere in bonam. Quid enim hoc aliud est, quam verberare aliquem injuriâ, & postea causam seu prætextum quærere, ut jure verberasse puteris, quemadmodum pueri ludere solent in scholis, & Alexander M. Dario reddebat causam belli, in Persiam transducti hanc, quod Darius insidias struxisset Alexandro in Persia. Quod si non intulisset Alexander bellum in Persiam, Darius nullas insidias struxisset. Nunquam igitur hoc titulo, aut jure, quod putat Bellarminus, poterit Carolus excusari, quia provincias imperio surripuit omnes ante titulum, aut jus acquisitum. 2. Neq; populus Romanus, neq; Pontifex potuit imperium Occidentale transferre, quia nemo transfert, quod non habet. *c. nemo de R. I. in 6. l. observare. §. ult. de off. procons. & leg. L.*

Titulum frustra à Leone accepit Carolus.

leg. l. traditio. de acquir. rer. domin. *Non dare quicquam, quo caret ipse, potest*, ait Gunther. *libr. 6.* de effusis donationibus Papæ sub persona Friderici II. loquens.

Populum verò non habuisse imperium Bellarminus confitetur, & argumentis tribus propugnavit, quæ nos paulò ante solvimus, quantum consensui populi officere videbantur. Interim verò præsupposito, Rempubl. Romanam pro derelicta fuisse habitam ab Imperatoribus Orientis, ex jure naturæ, acquisivit populus universus potestatem, novum sibi principem vel novam formam Reipubl. constituendi, quæ salvo jure naturæ ipsi auferri aut ab alio anteverti non potuit. Cæterum exinde non sequitur, populus Romanus ex jure naturæ habuit potestatem sibi constituendi novam Rempubl. Ergo potuit imperium, quod Roma olim possedit, in quemcunq, voluerit transfundere, quia illud imperium quæsitum fuit ex jure gentium, unde bella nascuntur, & uni certo loco non cohæret. 20. *Populus Rom non potuit imperiũ trãsferre.*

Nam dum argumentatur Bellarminus *c. 7. de transl. Imp. Carol. nunquam pugnavit cum Romanis. Ergo jure belli non occupavit imperium*, præsupponit imperium consistere in occupata Roma, quod multis nominibus falsum est. 1. Quia ubicunque est Imperator, ubicunque Papa, ibi Roma, ita ut imperium sequatur forum & curiam Imperatoris, non Imperator sedem Romanam. Nam cum Constantinus sedem imperii transferret Bizantium, nihilominus retinebat jus & nomen Imperatoris Romani. 2. Si occupata Roma facit Imperatorem, cur tantopere vapulant Illyricus & Haiminsfeldius à Bellarmino & Gretsero, quod Odoacrum & Gothorum Reges Imperatores vocent. 3. Hodie non erit Imperator, præter Papam, quia solus Papa vendicat sibi absolutum imperium Romæ. 4. Si Romani in pomæriis suis continent sedem & jus Imperii, quia jura Majestatis præscribi, aut lapsu temporis longissimi alienari non possint, poterunt leges dare omnibus provinciis quæ olim Romanum imperium agnoverunt, aut licitis armis eas ad obedientiam redigere, quod tamen Papa, qui nunc rerum Romæ potitur, nondum ausus fuit tentare. 5. Imperium, quod à civitate Rom. fuit separabile, translatum jam diu erat in Orientem, & postliminio postea reductum non Romam, sed Ravennam, Exarchorum sedem. Cum igitur ab occupata Roma non pendeat imperium Rom. malè infert Bellarm quod non sit quæsitum jure belli, quia Roma non est eo jure quæsita. Nihil enim, nisi se & subjectas sibi eo tempore regiones potuerunt tradere Romani, cum in reliquas Romani Imperii provincias jus nullum sibi competere scirent. Imperator igitur non inde factus fuit Carolus, quod populum Rom spontanea deditione inter subjectos recepisset: sed quia plurimas provincias Romani imperii jure alio possidebat, & Romani complementum ultimum afferrent, potentia Imperatoribus cæ- *Sedes imperii non est affixa Romæ.*

nem imperii à Græcis ad Germanos. Bellarminus ut in re non ſatis perſpecta, ſibi non conſtat. In *lib. 5. de Pont. cap. 8.* cauſam affert, *quod non potuerint Græci laboranti Eccleſiæ Occidentali auxilium ferre.* In *c. 12. de transl. Imp.* ait: *Græcos aut non potuiſſe, aut noluiſſe laboranti Eccleſiæ opem ferre.* Ita in dubio relinquit: Utrum noluerint, vel non potuerint Græci opem ferre, cum tamen evidentiſſimas oporteat eſſe probationes, propter quas regno aliquis aut indignus declarari, aut prorſus, indicta cauſa, privari debeat. Vult enim Soto *lib. 5. de juſt. & jur. q. 1. art. 3.* ut Tyrannus prius convincatur, & per ſententiam damnetur, quam in eum cuiquā poteſtas dari queat. At convinci nemo poteſt inauditus, nemo ex cauſa obſcura, quam ne Bellar. quidem audacter profiteri auſus fuit, imperio privari, ante legitimè latam ſententiam, niſi Pontifex præpoſtero ordine ſibi putet ab executione incipiendum. Imperatores autem Orientis nec citati ſunt unquam ad dicendam cauſam, ut Henricus IV. & Fridericus I. nec legitima forma condemnati, Joh. Marſil. *in defenſ. contra Bellar.* ſed ab executione facto initio, prius imperio exciderunt, quam ſe condemnari potuiſſe putaſſent. Præterea, ut Græci Imperatores propter negligentiam aut impotentiam imperio exciderint, Pōtifici tamen judicium de iis non competit, quia ſoli cœlo habent rationem reddere, *ut d. c. 5. demonſtravimus & lib. 1. de jur. Maj. c. 3.* & Eccleſia reb. mūndanis, qualis eſt translatio regni, ſine ſacrilegio ſeſe immiſcere nequit. *tranſtulerit Papa imperiū.*

Quia verò cauſæ productæ à Bellar. ſeſe mutuò oppugnant, ponamus alterutram veram eſſe, aut non potuiſſe, aut noluiſſe Imperatores opem ferre Romanæ Eccleſiæ, per neutram earum excuſabitur Pontifex ab injuria. Nam ſi non potuerunt propter virium anguſtias, infortunium abſque culpa obveniens, non debuit iis detrimentoſum eſſe. In mulierem verò, quod culpam ingerant, quam illud nihili eſt, & parum propoſito cōducit? Nam muliebre imperium etiam ſacræ literæ in Debora probant, & Lex Salica, credo in Orientem non prorepſerat. Quin etiam ex hac cauſa mulier ab imperio dejici, non imperium à mulieris filio abduci debuiſſet. Sed ut fieri ſolet in re certa, undique momenta conquirentur, ut *An nō potuerint Græci defendere Eccl. Rom.*

Quæ non proſunt ſingula, multa juvent.

Potuiſſent verò Imperatores Græci, niſi Pontifices feciſſent ne potuiſſent. Nam quod Conſtantinus ceperat in Philippico, Gregorius II. executus eſt in Leone Iſaurico, teſte Bellarmino ipſo, licet non deſint, qui de ea re dubitent, ut ſcilicet ab obedientia Græcorum propter Iconomachiam abducerent Italos, & ſenſim poteſtatem, quaſi aliud agendo, immeritis ſubtraherent. Poſtquam vires præſciderunt, mox eos incuſatum veniūt, quod vires non habeant. Prius abſcondunt arma, poſtea multant ignaviam eorū, qui deſtituti armis pugnare neſciunt. Sat virium habuiſſent Imperatores Orientis, niſi Romanis, cum enarratis à Sigon. *libr. 3. hiſtor. Ital.* urbibus & cæte-

cæteris Italiæ populis, abjurandi eorum imperium copiam feciſſet Pontifex Rom. Zon. *tom.* 3. & Cedren. At quam futili ex cauſa, quia Philippicus & Leo nolebant coli imagines? Nec enim aliam afferunt Blond. *Dec.* 1. *lib.* 10. Sigon. *lib.* 3. *hiſt. Ital.* Onuphr. *in Plat. Conſtant.* Nam quod Baronius exagitat: *Tom.* 9. *an.* 726. *art.* 34. locatas Gregorio fuiſſe inſidias, ecquis meminit præter domeſticum Pontificum teſtem Anaſtaſium? Et ſint ſanè locatæ, ſit iconomachia tanta hæreſis, quæ fidem evertat, cum olim Chriſtiani non defecerint ab Imperatoribus, licet ad Martyrium confertim rapti, cum etiam Ethnicis & paganis principibus obedientiam præſtiterint, cujus ſcripturæ autoritate potuit Gregorius, & ſe & ſubditos, ex cauſis multò levioribus, à fide & juramento ſubjectionis liberare, aut ob neglectam Eccleſiam Leo novum Imperatorem accerſere? Quantò cordatius Alexander III. qui licet Fridericum I. hoſtem experiretur apertum, noluit tamen ob oppugnatam Eccleſiam facere, quod Leo ſibi faciendum putavit ob neglectam. Reſpondiſſe enim fertur Emanuelis Comneni legatis: *Se nolle in unum conjungere, quod olim de induſtria majores ſui disjunxiſſent.* Platin. *in Alex.* Et cur hujus poteſtatis in mentem non venit Pontifici, cum Burbonius Romam conſcenderet? cum à Gallis quateretur? aut olim à Gothis vi & armis duriter regiaretur? Cur tum, cum magis deſerti eſſent, quam imminentibus Longobardis, non crearunt ſibi, duce Pontifice, novū Advocatum, novum Patritium, novum Imperatorem?

An Clemēs V. potuiſſet imperium ad Gallos trāſferre.

Sed currere cupientem facile eſt incitare: Agere volenti quævis cauſa ſufficit. Nam & Bellarm. *c.* 5 *de transl. Imp.* non veretur pro ſuæ ſententiæ confirmatione, injuſtiſſimum Clementis V. reſponſum afferre qui ſollicitatus à Philippo rege Francorum, ut vacātem imperii ſedem poſt mortem Alberti, ad ſe transferret, ad Electores ſcripſit: Maturarent Electionem Henrici Lucenburgii: Alioquin periculum eſſe, ne unà cum imperio poteſtatem etiam eligendi deinceps amitterent, quippe, quod ex ſuggeſtione Regis, jam olim translatum fuerit Imperium à Pontificibus. Nam evidentem oportet eſſe utilitatem Eccleſiæ, ut regna jure transferantur, quæ poteſtas in temporalia non competit Papæ, ſecundum Bellarminum, niſi in ordine ad finem Spiritualem. Graviſſima autem injuria, qualis eſt regni hæreditarii alienatio, excuſari non poteſt, niſi maximo bono. At quid tam commiſerat Germania adeò abominabile, ut niſi translatione imperii expiari non potuiſſet? Fac enim Clementem habuiſſe poteſtatem transferendi & permutandi imperium: Atqui non habebat, niſi ex cauſa graviſſima, quæ tum nulla urgebat providentiam Apoſtolicam. Deinde non diſtinxit Clemens inter tempora translati imperii, cum Imperator non dum eſſet conſtitutus, nec jus conſtituendi quibuſdam conceſſum. Tum enim de jure naturæ incumbebat hæc poteſtas, toti Reip. Sed poſtquam tranſiit

ad Ger-

ad Germanos, & fixit pedem in collegio septem Electorum, neq; Clemens, neq; quisquam tantæ potentiæ, eam ad se jure trahere, & legitimis possessoribus sine causa eripere potuit.

Nam & hoc argumento premimus causam à Bellarmino superius allegatam. Si enim non potuerunt Imperatores Orientis Ecclesiam, adde, & Rempubl. Romanam defendere, jus constituendi sibi principem aut defensorem, ex jure naturæ recidit ad populum. Cum verò jus naturæ perrumpi non possit, & ne civiliter quidem acquisitum jus alicui sine causa auferri, qua autoritate fas fuit soli Pontifici populo hoc jus prævertere, & prætextu potestatis suæ indirectæ, quæ se in secularia non intromittit, nisi respectivè, & quando quis jure suo abutitur in fraudem Ecclesiæ, ad se solum rapere? præsertim cum leges Rempubl. & Ecclesiam pari favore prosequantur.

An noluerint Græci defendere Eccles.

Nunquam igitur, quocunq; se vertat, iniquitatis notam effugiet Pontifex, & ne sic quidem, si Bellarm. alteram partem, ad quam tamen minus propendere videtur, arripere velit, & affectatæ negligentiæ accusare Imperatores Orientis. Nam de voluntate ipsorum non aliter constare potuisset, quam si in subsidium vocati fuissent. Tantum autem abfuit, ut id fecerit Pontifex, ut exarchis per Francos, Catapanis per Normannos exclusis illos procul ab omni imperio & auxilio arcuerit, eò, quod sedis Romanæ primatui & universali Episcopo calculum adjicere cum Phoca recusarent. Quid verò animi habuerint Imperatores Orientis in Rempubl. & Ecclesiam Rom. utrum dedita operâ & pertinaci proposito eam pro re derelicta habuerint, ex eo apparet quod ipse Bellar. c. 11 *de transl. Imp.* indignationem eorum, quod Carolum insignitum novum Imperatorem audissent, tantopere exagitet, licet Eginhartus non faciat mentionem, nisi invidiæ, quam ipse scribit Carolum *patientia*, Kranzius *libr 2. Sax. c. 8. pecunia* superasse & *magnanimitate.*

Cum igitur nec populus Roman. habuerit potestatem transferendi imperium, quippe quod Romano populo innatum non fuit, & jam diu ab illo translatum, & particulatim ab aliis populis distractum, nec per indirectum eam acquisiverit Pontifex, quippe quam nullam possidere, nec sine urgente causa exercere potuit, nullum justum titulum inde sperare habuit Carolus, quo conscientiam suam muniret, aut coram incorruptis arbitris se satis excusatum redderet, licet externus ille apparatus, & consensus tanti Pontificis populi oculis facilè nebulam spargere & glaucoma obducere valuerit, ut vel hinc solum legitimum titulum sibi obtinuisse, si non revera, saltem opinione vulgi, crederetur, licet ipse non ignoraret, se meliori jure jam ante coronationem nisum, & hoc ipsum, ex specie nova superaddita, non extinctum fuisse.

Bellarmini argumenta redarguuntur.

Ex quo non possum satis mirari obstinatam incogitantiam Bellarmini, qui præ amore & defensione suæ theseos, cùm Leonis translationem non aliunde probare posset, ad divinum consilium fugit *c. 12. de transl. Imp.* & de hoc ait testari victorias Caroli & felicem eventum, quasi non & impii lætentur in iniquitate sua, & justus sæpissimè occulto Dei judicio supprimatur. Regemonter. *in disc. bell.* malè hinc infert, bonitatem causæ non esse spectandam, quod & Machiavell. *de princ.* præsupponit, quando non infrequentius malam causam triumphare notat, quam bonam succumbere, licet tandem hæc emergat. Nam si ad filium saltem, nedum nepote Caroli respiciamus, ex versa fortuna, eadem verisimilitudine liceret nobis inferre ad injustitiam translationis. Sed lubrica sunt omnia ab eventu tracta argumenta, quia florentissima quæq; regna ex improba enata radice in proceres assurgunt arbores. An tu Italorum tuorum ab imperio defectiones, an Helvetiorum pro libertate expeditiones, Francorum in Gallias irruptiones, Gothorum in Hispanias, Normannorum in Angliam, & Apuliam justas propterea vocandas censes, quia feliciter processerunt & faustis auspitiis nova imperia condiderunt?

Argum. ex applausu parū plausibile.

Advocat deinde applausum Italorum, Gallorum, Germanorum & totius occidentis, nec non consensum Imperatorum Orientis, quos tamen non nisi coactos in acta Pontificis descendisse supra *cap. 11.* ostendere nisus erat. Quid verò inde concludit? *Totus Occidens & Imperatores* [illegible] *tandem ùm, gratanter appellarunt Carolum Imperatorem. Ergo divino con*[illegible] *cta est translatio à Papa.* Romæ supplicationes habitæ sunt pro victoria Cæsaris, omnes Romanæ ditionis provinciæ subjecerunt se illius imperio. Ergo divino consilio Cæsar prodidit patriam & evasit Tyrannus. Sed mittamus divinum consilium, & credamus non sine nutu divino cessisse Carolo imperium, an illi à Deo concedi non potuit, nisi per manus Papæ? An unquam Carolo à quoquam gratulatum legit Bellarm. quod à manu Pontificis acceperit imperium? De imperio adepto gratati sunt, non de benevolentia Papæ. Justè autem potuit Carolus adipisci, etiamsi non adipisceretur à Papa.

Unde concidit & illud, quod episagmatis loco adjicit: *Omnes* [illegible] *tempore translati imperij, crediderunt illud esse penes Germanos, & Carol*[illegible] *res. Ergo divino consilio per manus Papæ translatum fuit.* Perinde ac si [illegible] cet: Omnes Mahumetanæ sectæ addicti agnoscunt Sultanū & hæredes [illegible] tomanni legitimos Imperatores. Ergo divino consilio per manus [illegible] stabiliti sunt. Quasi non potuissent vel illi, vel Carolus M. & q[illegible] sive jure hæreditario, sive novo jure in imperio successerunt legitimè imperare, & pro legitimis Imperatoribus se venditare, nisi potestate [illegible] à Pontifice. Subjecerunt se Galli, Germani, Itali, Hispani, Carolo M. [illegible]

[illegible] ante.

ante coronationem, & legatos gratantes vel à Constantinopolitanis excepit antequã à Leone inauguraretur. Non poteſt igitur ex ſubjectione, quæ præceſſit, argui & inferri de coronatione, quæ ſubſecuta eſt, nec gratulari tantum ſolent homines de juſta, ſed de felici victoria. Eò inclinat favor hominum, quo fortuna, & rectè Tacit. modò primum impetum feliciter novus princeps ſuſtinuerit, facilem ſequi progreſſum ad majora.

Tantum autem abfuit, ut, *ſcribente* Carolo Calvo *ad Adrianum II. qui ſub pœna excommunicationis jubebat Lothario nepoti reſtitui, quod ipſi è terris Lotharingicis eripuerat, tum temporis reges & Imperatores fuerint beneficiarij Epiſcoporum, ut potius, quicquid poſſederunt, Epiſcopi poſſederint illorum beneficio,* quod & Auguſtinum prædicare dicit, quandò ait: *jure Imperatorum & non Epiſcoporum poßidentur bona*: tantum etiam abfuit, ut Pontifex tum temporis autoritatem ſupra Imperatorem ſibi arrogaverit, ut potius ipſi humilimè ſe cum omnibus Clericis ſubjiceret: *c. Adrianus. diſt. 63.* & id quidem, cũ nondum eſſet Imperator, ſed patritius Romanus tantum. Tum enim conceſſit ipſi *facultatem eligendi pontificem & ordinandi Apoſtolicam ſedem*: Inſuper *Archi Epiſcopos & Epiſcopos ab eo inveſtituram accipere* definivit *d. c.* Adrian. *6. in Synodo diſt. 63.* Sabell *En. 8. lib* 8. En. 9. libr. 1. 2. Antiqua enim conſuetudo erat, ut cum ſcientia & juſſione Imperatoris ordinatio Epiſcoporum fieret, *ut conſtat ex c. Agatho. diſt. 63.* Unde eſt, quod Boër. dicit *deciſ. 69. n. 1.* Olim Eccleſiæ erant Imperatori ſubjectæ, & Ferrar. *in pract. Pap. in for. libell. quo agitur ex ſubſtit. § ex ſuo corp. Imperium aliquando habuit utrumq; gladium adeò, quod tum Imperatores conferebant omnia beneficia Eccleſiaſtica & amplius eligebant Papam, & not. it Innoc. in c. de major.* & obed. Hier. Balb. *in lib. de coronat.* Petr. de Andlo *lib. 3 c. 13.* Cuſan. *3. Concord. Cathol cap. 3.* Radulph *de colum.* & Mich. Coccin *in lib. de transl. Imp.* Ant. de Roſſell. *li. 1. de Monarch. Senat. Pariſ. in lib. exhib. Ludovv XI. art. 45* Dantes Aligher. *lib. 3 de Monarch.* nec ullius roboris eſt, quod Gratian *in § ex conſt. diſt. 63.* & gl. *in c. in Synod. in ver. Affici.* hæc omnia dicunt revocata eſſe primum à Ludovvico, *in c. ſacrarum*, deindè ab Ottone I. *in c. Tibi Domino. diſt. Ead.* Nam ut Senatus Pariſ. *in lib. de lib. Eccl. Gall. n* 43. obſervavit, licet revocaſſet Ludov poteſtatem eligendi, quod tamẽ non revocarit poteſtatẽ inveſtiendi. Atqui, ſi quis utrumq; c. diligentius cõſiderare velit, videbit nihil omninò in poſteriori revocari, quod cõceſſum fuit in priori. Archiepiſcop n. & Epiſcopor. Electionẽ Adrianus & Leo non conceſſerunt Imperatorib ſed inveſtituram. Vocabulũ enim *laudari* pro *probari* accipi, ex *c. in Synodo* patet: ibi: *quod ſi à Clero & populo quis eligatur.* Põtificis verò electio Imperatori attributa, revocata non fuit, quia cum alios Epiſcopos ſubjecerit Papæ, hujus Electionem ſibi reſervaſſe ſoli potuit, nec ſub nomine cæterorum Epiſcopor comprehendiſſe, ut reſpõdet ipſe Bellar. *li. 2. de Rom. Pont. c. 27.* Minus ad rem facit juramentum Ottonis, quia

21. Pontificẽ ſubjectum eſſe Imperatori.

quia eam promittit se dignitatem servaturum Ponti[illegible] quam habet. Et cætera, quæ electionem Imperatoris nullo modo impediunt. Ideoque licet Ludovvicus renunciasset: *per c. Ego Ludovicus. dist. Ead.* tamen, quia Leo Adriani constitutionem confirmat Othoni, hoc ipso Ludovvici renunciatio irrita facta fuisset.

De concessione Adriani, verū facta.

Audacius Baron. *tom.* 774. & qui ex hoc describere consuevit Gretser *contr. Haiminsfeld.* quem solvere non potuerunt, nodum, stricto ense ad exemplum Alexandri dividunt, & uno impetu totum decretum Adriani & cleri populique Romani tollunt. Negant quippe unquam ita statutum fuisse in Synodo sive conventu Romano, cum ejus statuti nemo mentioné faciat ante Sigebertum Gemblacensem, à quo id mutuò sumsisse fingunt Gratianum. Sigebertum verò incusant schismatis, cum Henrici IV. partes foverit contra Hildebrandum. Atq; hæc affirmant tam audacter, quasi omnes cœci essemus, nec scriptorum ejus seculi, vel gestorum quicquam legissemus, aut adeò superstitione dementati, ut mera oracula à Cardinalibus eructari crederemus, quib[illegible] nefas esset contra veritatem loquentibus [illegible]quam obloqui. Nam qualis quæso consequentia? Ante Sigebertum nemo meminit decreti Adriani: Ergo nullum est, non secus ac si veritas re[illegible] dependeret ab arbitrio historicorum. Nemo istius seculi autorū mem[illegible] donationis Constantini, aut Ludovvici Pii, nemo institutorū à Greg[illegible] V. Electorum: Ergo, ex sententia Baronii & Gretseri, nihil horum [illegible] est. *Egregiè verò*, ut utamur verbis Bellar. *c.* 13. *de transl. imper. quasi conti*[illegible] *debeat esse falsum, quicquid hic vel ille nō dixit.* Sed jam dudum conseque[illegible] hanc negavit Bellar. *quæ ducitur ab autoritate negativè*, quia si valeret, nullo negotio cōvinceremus, Petrum Romæ nunquam fuisse, & uno argumento tolleremus ventosam successionem Pontificum in Cathedra Petri, c[illegible] ejus nec in Evangeliis nec actis aut scriptis Apostolorum ullibi men[illegible] fiat. Etiamsi igitur nihil in memoriam relatum fuisset ante Sigebert[illegible] men ex eo silentio argumentum trahi nullum posset, ad delendu[illegible] tum, de quo agimus, sicut nec ex eo, quod quidam Imperatorum [illegible] tionibus contra Papas illud non allegarint. Nam ne donationes [illegible] quæ hodie tam superbè jactantur, Gregorius VII. ausus fuit in a[illegible] ferre, & Rehabeam non provocavit ad Jus regium, cum onera fe[illegible] farent decem tribus, nec tamen Pontificii propterea nullas esse do[illegible] arbitrantur, nec juris regii destructores, illud propterea extinguere [illegible] sunt. *Plus enim creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille n*[illegible] *bus imprimis, si non negent.* ait ipse Bellar. sed affirmantium fides h[illegible] risimilitudine confirmetur.

Impudentia Baronij detegitur.

Nec enim de investitura Episcoporum per annulum & bac[illegible] quam ad Gregorii VII. ambitiosum Papatum, sine controversia [illegible]

Ex historia e[illegible]

tores jure suo exercuerunt, quicquam repetam ex iis quæ alibi à nobis dicta sunt, *2. de jur. Majest. c. 6.* sed Pontificiam approbationem ab Imperatoribus requiri solitam, & judicium Imperatorum de ipsis Pontificibus, & eorum actis paucis exemplis ob oculos ponam, ad asserendam veritatem decreti. Consideret mihi quis statim successorem Adriani, Leonem III. qui, ut primùm à Clero & populo electus fuit, legationem decernit ad Carolum Patritium, ut de sui Electione doceatur, & *clavibus confessionis Petri, urbisq; vexillo, in signum subjectionis accepti, ex suis optimatibus mittat aliquem, qui populum Rom. ad suam fidem atq; subjectionem per Sacramenta firmet.* Aimon. *lib.* 4. *c.* 89 Et electionem quidem ultro concedit Bellarminus *c. 13. de transl. Imp.* Imperatori, sed inde negat sequi subjectionem Pontificis electi. Cur igitur vexillum & claves recipiebat à Carolo, adhuc patritio, si eius autoritati & imperio se subjectum minimè putasset? Imò cur non excipiebat Leo contra imminens Caroli judicium, cum ipse eo animo veniret Romam, ut de criminibus Leonis cognosceret & judicaret. Nam quod Anastas. & ex eo Paul. Æmil. *lib. 3.* reclamasse Episcopos dicit: *fas non esse principi de summo Pontifi. judicare*, unde *c. 7. de transl. Imp.* obiter infert Bellarm. hoc exemplo frustrà pugnari ad subjectionem Pontificis evincendam, partim dubium est, partim nihil ad rem facit Nam Aimon. *lib.* 4. *c.* 19. *Postquam*, ait, *nullus eorundem criminum probator esse voluit, coram omni populo de objectis criminibus se purgavit.* Prævenit igitur Leo, actore non prodeunte, sententiam Caroli, quam ipse detrectare non potuisset, si jurejurando populo & actoribus satisfacere non potuisset Evincit igitur Bellarm: Leonem non fuisse judicatum, quia noluit expectare sententiam judicis, sed inde non sequitur, quod non potuerit judicari. Nam animo judicandi Pontificem, accessit Carolus, nec contra eius adventum unquam legitur Leo excepisse. Quod enim ab Episcopis objectum fuit, forte hunc sensum habet, quod indignum quidem sit autoritate Episcopi, subire judicia Laicorum. quemadmodum contra dignitatem Christianorum facere dicebat Apostolus, 1 *Corinth.* 6 qui temerè profugiant ad tribunalia Ethnicorum, cum præstet, crimina eos inter se sibi condonare, quam illa apud Paganos in opprobrium professionis palàm dispergere: sicut verò Apostolus propterea neminem prohibuit coram judice seculari vocatum comparere, ita nec Pontifex potuit eius judicium declinare, quem communem judicem omnium tum temporis Romæ præsedisse scribit Eutropius, seu eius abbreu. *apud Vigner.* & ad quem Roma appellatum fuit etiam à decretis & judicatis ipsorum Pontificum, ut apparet ex actis Ludovvici Pii, conscriptis ab autore coætaneo *in vit. Ludovv.* & Aimon. *lib* 4. *c.* 112. Nam cum ad Ludovvicum Romani querelas deferrent de gestis Pontificum, & prædia sibi injustè erepta quererentur, misit

Pontifícum subjectio.

Effugium Bellarmini.

Imperator filium Lotarium, qui *benevolè assentiente*, seu sponte sua non repugnante Eugenio Pontifice, statu controversiæ ad calculos redacto, pronuntiavit pro Romanis contra sententias prædecessorum Eugenii. *Benevolam assensionem*, quam nominat Aimon. *d. c.* 112. interpretatur Baron. & ex eo Grets: spontaneam permissionem, sine qua fas non fuisset Ludovvico quicquam contra Pontificum decreta decernere, quod si verum est, cur non rescidit Eugenius appellationem Romanorum? cur ipse non correxit propria autoritate, quæ passus est corrigi ab Imperatore? Cæterum, ne unum verbum trahatur in præjudicium totius controversiæ, Aimon ipse se explicat, quando *mandatum* tribuit *Imperatori*, *Assensum Pontifici*. Non potuisset autem Imperator mandare, si assensus Pontificis continuisset in se potestatis mandandi traditionem. Mandavit enim filio, antequam benevolè Eugenius consentiret.

Electionem Pontificis pertinere ad Imperat. Sed ut è diverticulo in viam redeamus, postquam lapidem, quem obiter occurrentem removere volebat Bellarminus, in viam revolvimus, Leonem non tantum se Caroli judicio subjecisse, sed & coronatum Imperatorem *more antiquorum principum*, *adorasse* referunt Monach. Egolism. *in vit. Carol.* & Ado Vienn, *Ann.* 798. quod an sint facturi hodie Pontifices, de eo præstaret audire libros ceremoniarum. Et de subjectione fatetur ipse Thomas 2. 2. *q.* 63. sed id ultrò dictitat fecisse Leonem, quemadmodum Christus se subjecit hominibus: quasi & Deus fuisset Leo, qui absq; potestate superiori in mundo vivere potuisset. Post Leonem Stephanus V. eligitur & consecratur sine jussu Imperatoris, qui non tantum propterea se excusat per legatos, sed & magnis itineribus contendit in Gallias, ut Ludovico se purget. Aimon. *lib* 4. *c.* 103. *Thegan. in Lud. Pio.* quemadmodum & Paschalis per Epistolam se excusat, quod præter voluntatem quasi raptus sit ad consecrationem. Aimon. *c.* 105. *lib.* 4. Gregorius IV. consecrari non potuit, absente Imperatoris vicario, donec consuleretur Imperator. Autor coæt. *in Ludovv.* Sigon. 4. *hist. Ital.* Quid multis? cum ipse Gregorius VII. extra urbem se proripuerit, ne, ut per vim electum se dicebat: ita per vim consecraretur, inscio Imperatore, si qua Onuphrio fides habenda.

Utrum Iohannes XII potuerit deponi & depositus fuerit ab Ottone I. Et cui non notum est judicium & depositio Johannis XII quam nec negare potest Bellarm *cap.* 29. *lib.* 2. *de Pontif.* & *c. ult lib.* 2. *de transl. Imp.* nec tamen affirmare satis constanter audet. Illic enim ait: *Ab Ottone I. satis constat bono Zelo, sed non secundum scientiam depositum esse Iohannem XII.* Hic verò: *Sed neq; Iohannem XII, Otto deposuit, ut Illyricus jactat. Neq; enim id sibi arrogare est ausus Pius princeps* &c. *sed Synodo causæ cognitionem permisit*, quod ipsa Ottonis verba indicare putat: *Quid super hoc Sancta Synodus decernat, edicat.* Deposuit igitur & non deposuit, prout Bellarm. causæ inservire vide-

videtur. Quod si verò facta piorum Imperatorum, jure stabilita, ad illum modum licet eludere, quid sit futurum de totis libris tribus Bellarm. *de transl. Imp. & lib. 5. de Pontif. c. 8.* ipse viderit, quia ex depositione Childerici, coronatione Caroli & Ottonis, constitutione Electorum quæ à Gregorio V. facta fingitur, & consequenter ex meris factis infertur jus summi Pontificis in Imperium & Regna, & Baron *9. Tom. Ann. Ann. 800.* postquam graphicè descripsisset coronationem Caroli, & ex coronatione nova consequentiæ formula, compendio conclusisset potestatem tradendi cum corona imperium, celebre inde dogma, omnibus principibus considerandum, concludit, scilic. quod Pontificis sit transferre regna de gente in gentem, & id pergit ex testamento Caroli M & sacris literis tam pulchrè, ut, nisi quis prorsus sinapi victitet, risum continere non possit. Cæterum de his argutiis consulatur Mornæ. *in myst. iniq. pag. 149.* De toto negotio & facto Pontificis nos ipsi respondebimus ex Bellarmino *lib. 2. de Pont. c. 29.*

Hæc quidem facta sunt, modò facta præsupponantur, *sed quo jure, ipsi viderint.* Item. *Bono quidem Zelo fieri potuerunt, sed non secundum scientiam. Fieri enim potuit, ut id sibi licere putaverint, præsertim cum multi Doctores idem senserint.* Factum verò Pontificum non facere fidei articulum, apud omnes in confesso est, & Sylvester ipse ait: *Etiam vidi Pontificem facientem majora, cum scandalo totius Christianitatis:* Item Johan. de Turrecremat: de illicitis dispensationibus loquens: *Quod si ita aliquando fuerit factum, per aliquem summũ Pontificẽ, aut ignarũ in literis divinis, aut excæcatum cupiditate pecuniarum, quæ pro talibus exorbitantibus dispensationibus solent offerri, aut ut complaceret hominibus, non sequitur, quod potuerit juste facere. Ecclesia juribus & legibus regitur, sive debet regi, non talibus actibus, sive exemplis.*

Nihil igitur est, quod respondet Bellarminus, depositum quidem esse Johannem, sed non secundum scientiam, nec jure, quia de jure quæstio est inter nos, & hoc loco ex effectu demonstramus factam esse concessionem ab Adriano, de Apostolica Sede ordinanda, quod nec ipse Bellarminus diffiteri potest *lib. 2. de Rom. Pontif. c. 29.* sed limitationem tamen addit, qua concessionem Adriani restringit *ad confirmandam vel infirmandam Electionem Pontificis, & ordinandam Romanam Ecclesiam, quoad temporalem principatum.* Affingit autem exceptionem ipsi textui contrariã, quia investituram Episcoporum, & electionis Pontificis vel confirmationẽ, vel infirmationem attribuit Adrianus Patritio, quæ certè ad temporalem non pertinent principatũ Ecclesiæ. Cur igitur & qua ex ratione astringit Bellar. potestatem ordinandi sedem Apostolicã, ad externum principatũ tantum, cum-

Limitatio Bellarm.

cum verba absolutè prolata, absolutè intelligi debeant, & glossæ non liceat distinguere, ubi non distinguit lex, præcipuè cum textus disertis verbis ordinationem ultra principatum temporalem ad investituram & electionem Pontificum extendat. Quem verò meliorem istius decreti interpretem citare poterimus, quam Leonem III. IV. & VIII quorum primus quam facilè judicium Caroli Patritii, subierit, paulò [illegible] mus. Secundus verò in hæc verba non veretur ad Ludovvicum scribere: *Nos si incompetenter aliquid egimus & in subditis justæ legis tramitem non observavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio.* Judicium vocat, non arbitrium honorarium, ut interpretatur Bellarm. *lib. 2. Rom. Pontif. c. 29.* id quod manifestius indicant verba Leonis quæ sequuntur: *Inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus, ut tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta, (quemadmodum si vestra præsens fuisset imperialis gloria) diligenter exquirant, & non tantum hæc sola, quæ supra diximus, quærimus, ut examussim exagitent, sed sive minora sive etiam majora illis sint, de nobis judicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ex iis indiscussum vel indiffinitum remaneat. c. nos si incompetenter. 2. q. 7.* Nec segnius Ludovvicus ipse, cum Leo conjuratos in se, duriori, quam æquum fuisse videbatur Imperatori, supplicio affecisset, Bernhardum Regem Italiæ Romam misit, qui de factis Pontificis cognosceret, & ad se referret. Nec dubium subiturus fuisset judicium nisi tribus missis legatis ab impositis criminibus legato Imperatorio sese purgare anticipasset. Autor coæt. *in vit. Ludovv.* Quidni eodem jure potuit Otto I. procedere contra crimina Johannis XII? Admonuit enim eum primum, ut se sisteret coram, & objecta crimina dilueret, quod si fecisset ad exemplum Leonum, nullum judicio Imperatoris locum reliquisset: Sed quia causæ suæ diffisus id facere neglexit, quod Carolus M. & Ludovvicus [illegible] procul dubio executi fuissent, nisi innocentiam suam contra [illegible] deficientes, Pontifices juramentis testatam fecisset, idem in pari causa ex eodem jure & auctoritate sibi sequendum putavit Otto. Nihe[illegible] historiam depositionis narrasset *in lib. de jur. & privil. Imp.* addit: *Q[illegible] factum fuit. &c.* & *in lib. 3. de schism. c. 9. Quod autem Imperialis pote[illegible] præcipue super malum & incorrigibilem Pontificem Rom. per quem scandal[illegible] Ecclesia, ex gestis Imperatorum seu Regum Rom. satis constat.* Statim enim [illegible] Leo IIX. dejecto Johanni substitutus fuit, privilegium Adri[illegible] cant, Carolo M. tributum, & in hoc potestatem eligendi Pontif[illegible] Rom. & ordinandi sedem Apostolicam, Ottoni I. confirma[illegible] *c. in Syn[illegible]* Cusan. *lib. 3. Concord. Cathol. c. 29.* Sigon. *7. hist. Ital. Fascic. tempor* [illegible] *4. Saxo, c. 10.* nec id diffiteri audet Onuphr. *in vit. Gregor. 7.* aut Bellarm.

Adriani concessio firmata à Leone.

An concessio Adriani expiraverit.

d. c. 29. qui tamen addit, ex causa concessa privilegia cum tempore expiraſſe, quod effugium ceperat à gloſſ. *in d. c. ſynodo & Hieron.* Balb. *in lib. de coronat.* Cauſam unam affert Bernhardus *in magn. Chron. Belg.* de Leone agens: *Romanorum* ſcilicet *malitiam, qui ſuos intrudebant.* Bellarminus nominat *ſchiſmata & Longobardorum, Græcorumq́, in Romanam ditionem impetum.* Velim autem lector conſideret ex poſteriore priorem. Imminet Eccleſiæ oppreſſio ab hoſtibus: Ergo Pontificis electio concedenda fuit Imperatori, quaſi non potuiſſet Eccleſia à patronis ſuis defendi, ſalvo jure Electionis. Schiſmatum autem metus ſemper impendet, quamdiu Electio in plurium vota diſpergitur, dum *ambitio*, ut ait Cuſan. 3. *conc. cath. cap. 2. procurat diviſionem votorum, & facilius perſuadet, qui plus affert.* Quam diu verò durat cauſa, tam diu durat lex. Sed & falsò transtulit Bellarm. axioma ICtorum à cauſa *finali*, cujus ſublatio tollit legem, ad cauſam *impulſivam*, quæ, etiamſi extinguatur per legem, cui occaſionem dedit, legis tamen interitum ſecum non trahit, Bald. *in l. ſi mulier. C. de jur. dot.* quia mali mores ſæpe dant cauſam legibus, & Calphurnia improba mulier in ſexum fæminium concitavit ſeveritatem Romanorum, quæ in legibus adhuc ſpirat, licet Calphurniæ improbitas jam diu expiraverit. Ne dicam interim, quod cauſa in decreto exprimatur nulla, nec quod temporaneam clauſulam non habeat, ſed in perpetuum ſanciatur, ex quibus omnibus patet, quod conceſſio ſive Adriani, ſive Leonis non fuerit cum cauſa extincta, ſed, ut Onuphr. *in Greg.* 7. confitetur, ab Hildebrando dedita opera impugnata & tanquã illicita, ſcandaloſa, & Eccleſiæ detrimentoſa, abrogata.

Gloſſ. *in d. c. In Synodo, Imperatores,* ait, *abuſu privilegium amiſiſſe.* Si quæras quiſnam tantopere privilegio ſit abuſus, aut Simoniacum aliquem Imperatorem falſa ſuſpitione prægravatum protrahunt, cum tamen hodie, ſi Simoniaci non eſſent Romanæ aulæ inhiatores, unde palatia tanta extruerent, aut cum principum ſumtibus certarent, non haberent: aut incuſant alium aliquem, quod nimis pertinaciter jus eligendi & inveſtiendi vaſallos Epiſcopos retinere uſus fuerit. Sed quid objiciunt abuſum privilegii, cum demonſtrare prius debuiſſent, quod jus, de quo quæritur, ſit privilegium. Principes enim, *teſte AEmil. lib. 5. de reb. geſt. Franc.* inter jura Majeſtatis, ſeu Regia, non inter privilegia idipſum repoſuerunt, & alibi à nobis oſtenſa fuit eius ex jure divino & humano origo.

Jus igitur ordinandi ſedem Apoſtolicam, tanquam Epiſcopus extra Eccleſiam, ut dicebat Conſtantinus, ſpontanea Pontificum ceſſione, recuperavit Imperator, & ex eo Eccleſiæ ſibi providendum putavit Otto, cujus judicium alia exceptione declinat Bellarm. *c. de transl. Imp. c. 4.* quod ſcil. profectum ſit à Synodo, non ab Imperatore: De qua exceptione magnas meritò gratias ageremus Bellarmino, dummodo eam probatis documentis

Utrum Iohan. 12. damnatus fuerit ab Imperat. vel Synodo.

mentis evincere posset. Quam enim huic depositioni culpam inesse censet, (censet autem inesse maximam) ab Imperatore, cuius pietatem, & simplicem credulitatem ubique excusat, omnem amovet in Clerum & Synodum, quam à Frisingensi reprehendi dicit *lib. 6. cap. 23.* at quibus verbis? *Utrum licite fecerit, vel non, non est huius loci dicere.* Vide sodes reprehensionem adeò modestam, ut nihil minus esse videatur, quam reprehensio. Si autem Synodus peccavit, Imperator extra culpam asseri nequit, quia non tantum præcipua pars & director extitit, sed & universum populum illic sententiam dicere fecit. Non minus verò, imo magis absurdum sit, si Pontifex judicetur à plebe, quam si ab Imperatore. Decretum enim tribuit Bellarm. Synodo propterea, quia Imperator proponit Synodo decernendum & edicendum. Atqui qui sunt illi, qui decernunt, edicunt? *Tum* inquit Luitprand. *lib. 6. c. 7. Romani Pontifices, Episcopi scil. suffraganei, Cardinales, Presbyteri ac Diaconi cum universa plebe dixerunt.* Synodos enim istas non conscriptas tantum fuisse ex Clericis, sed & Laicis, quis est, tam parum in historiis eius temporis versatus, ut cum Gretsero *contra Haiminsf.* id negare audeat? Sanctio Leonis ita habet: *Ego Leo servus servorum Dei, Episcopus, cum toto Clero ac populo Romano constituimus, ac confirmamus, ac corroboramus* &c. unde & ad finem adjungitur *irrevocabile exilium & supplicia ultima*, quæ solus conventus Ecclesiasticorum irrogare non potuisset. Sigon. 7. *hist. Ital.* Quod si plebs & cæteri Laici judices sederunt, una cum Clero, cur ab eo judicio debuit excludi Imperator? Imò quantum autoritatis in hoc negotio tributum fuerit Imperatori, magis adhuc patet ex decreto, quod Synodus fecit. His enim verbis refertur à Luitprand: *Petimus itaq; magnitudinem imperij vestri, monstrum illud nulla virtute redemtum à vitijs, à Sancta Romana Ecclesia pelli, aliumq; loco eius constitui, qui bona conversationis exemplo nobis præesse valeat.* Dabatur igitur Imperatori per decretum potestas, pellendi Johannem, & substituendi alium, ita, ut totius negotii summa revolvatur à Synodo, sive conventu procerum tam Clericorum, quam Laicorum, ad arbitrium Imperatoris, qui de consilio & sententia Synodi, & ex concessione populi Romani, qui, cum præstaret fidelitatem, simul juraverat: *nunquam se Papam electuros aut ordinaturos præter consensum atq; electionem Domini Imperatoris Ottonis*, ut scribit Luitprand. *in actis Synod. Rom.* progressus est ad depositionem Johannis, & de nova Electione jussit populum cum Clero vota sua, ab Imperatore vel confirmanda, vel rejicienda, edere.

Cur igitur negant Baron. & Gretser. concessam esse Imperatoribus potestatem, qua ipsi longo temporis tractu, sine contradictione Synodorum, & de multorum piorum Pontificum consensu & concessione usi fuisse demonstrantur? Hoccine est oculos occludere in meridie, & negare

Solem

Solem lucere? De Gregorio IX. scribit Platina *in eius vit.* quod *multis muneribus ultrò citroq; missis, cum Henrico Imp. in gratiam redierit, qui eum in Pontificem Romanum confirmarit, ut tum temporis mos erat.* & Æmil. *lib. 5. In Europa summus Pontifex cum Imperio Cæsaribusq; decertabat, quod vetusta jam consuetudine Augusti Scipionem sacrum, Annulumq; pastoralem, Episcopis caeterisq; patribus dabant, eamq; sacrarum dignitatum vestituram, juraq; regia appellabant.*

Nec satis assequor, quid sibi velit Archidiac. *in d. c. Adrianus* dum negat Papam potuisse transferre hanc potestatem in Imperatorem sine consensu Cardinalium, quasi tum ulli tales extitissent, qui jus eligendi Pontificem sibi tributum habuissent. Serò enim demum id juris ad se traxerunt, licet à Sylvestro I. eorum exortum quis accersere velit cum Oldrad. *cons. 65.* Laudens. *tr. 2. de Card. q. 18.* Felin. *in c. cum te col. 6. de re jud. per c. præsul. 2. q. 4.* Quin etiam Synodo procul dubio interfuissent, cujus consensum tam Adrianus, quam Leo allegat.

Cum igitur non tantum historiæ & res gestæ non repugnent concessioni Pontificum, sed illi evidentia afferant testimonia, nihil causæ est, cur testimonium Sigeberti, licet antiquiori autoritate non stabiliatur, falsi arguere ex futili suspitione debeamus, quia ipse secutus est Henricum contra Hildebrandum. Nam eadem ex ratione, ne iis quidem fidem habere tenebimur, qui sedi Romanæ beneficiis devincti fuerunt, & pro patrono suo magis, quam pro adversario scribere voluisse præsumuntur. Sed, ne tale quid suspicari possimus de testimonio Sigeberti, Pontifices ipsi, & primi Antiquorum Pontificiorum faciunt, qui, à Gratiano transcriptum, ut creditur, ex Sigeberto d. Canonem, *Adrianus*, sine tergiversatione acceptarunt, confirmarunt, & Authenticum suo calculo & commentariis fecerunt. Jus concedere non potuit Ulpianus: sed ex quo Justinianus quædam eius scripta inter leges reposuit, juris autoritatem habere ceperunt. Ita & de decreto Gratiani censendum, quod licet, instar consuetudinem Feudalium, tantum longo usu & tacita Pontificum approbatione robur acquisivisset, quia tamen in scholis, permissu superiorum, prælegitur, & in foro allegatur, certi juris vim & locum obtinuit. & inter cætera, hic quoque Canon, quem Hugo, Sema, Baldus, præpositus, optimi quiq; interpretes commentariis illustrarunt, Imò quem ipse Innocent. III. pro legitimo habuit, dignumq; censuit, cui explicando operam suam impenderet. Nec de ea re amplius dubium esse potest, postquam Gregorius XIII. peculiari Bulla, editioni novæ Decretalium prefixa, expressè jus Canonicum autoritate Pontificia ratum esse jussit.

Testimonium Sigeberti ab ipsis Pontificibus confirmatum.

Cæterum licet singula hæc satis essent candori Baronii arguendo: tamen ut impostura eius magis elucescat, quando decreti Adriani negat mentio-

Qui idem memoria

tradiderunt ante Sigebertum.

mentionem fieri ante Sigebertum, consulatur inscriptio Gratiani, qui ait se id traxisse *ex historia Ecclesiastica*. An verò Sigebertus unquam scripsit historiam Ecclesiasticam? Alium igitur autorem secutus fuit Gr[illegible]us, quem tibi nominat Onuph. *in Greg.* 7. Anastasium Bibliothe[illegible]ar[illegible] ipsorum Pontificum testem.. Quod si Onuphrii testimonio non satis [illegible] Gretser. & Baronii affectatam ignorantiam, illius candidæ confessioni anteponat, annon Gregorius IV. qui vixit septuaginta annis fere ante Sigebertum, in oratione ad Cardinales, de privilegio Adriani abro[illegible] & extorquenda Imperatoris Electione Pontificum habita, manife[illegible]è eius mentionem facit? apud Malmesbur. *lib.* 2. *cap.* 13 Annon eiusdem meminit Petrus Damiani annis quinquaginta major Sigeberto? *in discept. Synod. inter advoc. Reg. & defens. Eccles. Rom.* Annon in ipsa Synodo Rom quam *Magnam* vocat Schafnab. sic exorditur Leo 8. concessionem repetitam: *Exemplo beati Hadriani Apostolicæ sedis Antistitis, qui D. Carolo victoris[illegible]mo Regi Francorum & Longobardorum, Patriciatus dignitatem & ordinem Ap[illegible]o licæ sedis, & investituram Episcoporum concessit, Ego Leo* &c. *d. c. in syno[illegible] [illegible]g[illegible]n.* 7. *hist. Ital. Fascic. tempor.* & quæ præterea contra Gretserum super hoc Canone disputat Haiminsfeld. *c.* 13. *replic. pro Imp.* Visi igitur sunt Imperatores optimi quique, Carolus, Ludovvicus, Lotharius, Ottones, Henrici, Friderici, potestate non tantum eligendi, sed & judicandi Pontificem Rom. idq; ex concessione optimorum item Pontificum: Tantum abest, ut Pontifices sibi sumserint, ordine præpostero, facultatem judicandi de ip[illegible]us Imperatoris imperio, aut summam potestatem conferendi, certisq; cancellis circumscribendi.

Cogitet, ait Frider. I. *antiquos primævi temporis annos*
Præteritosq; dies, & secula prisca revolvat:
Num Petrus aut Clemens, num cætera turba priorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore prisco
Pauper erat præsul:. Regali munere crevit,
Nec tamen ut fasces & regni jura Latini
Vel dare præsumat, vel cuiquam tollere possit.
Excessere modum magnorum munera Regum,
Si tantum cuiquam jus in sua regna dederunt. apud Gunther. *lib.* [illegible]

Vnde non immeritò Bald. *in c. olim de rescript.* duo nos docet tempora [illegible]mo revoluere, *Vnum, cum Ecclesia lacera & exanguis nihil non in[illegible]ul[illegible] [illegible]peratoribus. Alterum, cum eò excrevit, ut vel Cæsaribus ipsis esset fo[illegible]*, ad quod idem Bald. & Albe. *ad l. benè à Zeno: C. de quadr. præscript* ex lon[illegible]ga imperii vacatione, & interregno, item ex [illegible]tentia & pr[illegible] summorum Sacerdotum, accidisse non ineptè suspicantur. C[illegible] *plus licet, quam par est, plus vult, quam licet.* Macr. 2. *Sat. c.* 7. Postquam enim

parum

parum juris impetrarunt Pontifices, illud tam largo modo interpretati sunt, ut tandem, accedente metu religionis, omnia Imperii jura sibi subjecerint.

Quid enim est coronæ impositio, quam publica legitimæ potestatis attestatio: Et tamen Adrianus *in Epist. ad Fridericum I.* inde argumentatur: *Ex consecratione nostra habet nomen Imperatoris. Ergo per nos imperat.* Avent. *lib.6.* Pontifex coronatur à Cardinali Hostiensi. Ergò per eum habet potestatem, & hic illo major est. Ventur. Vincent. *in consil. Vene.c.2.* Rectè Johan. Parisiens. *de potest. reg. & Laic. c.18. in sol. 20: arg.* explicat illud Hugonis, ex *lib.2. de sacram. c.4. Potestas Spiritualis terrenam instituere habet, ut sit, & judicare, si bona non sit*: Quod, sc. cum mos sit Sacræ scripturæ, ut ait S. August. *lib.1. de civ. Dei* dicere rem fieri, quando manifestatur, pro tanto dicat Hugo, quod potestas Spiritualis terrenam instituat, non quidem efficiendo ut sit, cum sit à Deo & populo consentiente & eligente: sed quia inungendo ipsũ instituit & electum manifestat &c. Apud Francos jus coronandi regem ad Archiepiscopum Remensem pertinet. Ergone Rossæus *in lib. de Reipubl. autor. in reg. c.2.* rectè infert: *ab ejus manu dependere regiam autoritatem?* Et Bellarm. *lib 1. de sum. Pontif. c.7. Episcopus regem inungit, docet, ligat, solvit, benedicit. Ergò est superior, quia sine contradictione minor à meliore benedicitur. ad Hebr.* 7. Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, post longas cum Eboracensi disputationes obtinuit, tandem, ut jus coronandi regem, suum tantum esset. *Quadrilog. Cantua.* Nec enim Eboracensis illo unquam ausus est, nisi ex causa, ut cum Anshelmus abesset in exilio, Thomas Eboracensis coronam imposuit Henrico I. Reliquos omnes inauguratus est, Cantuariensis, Stephanum VVilhelmus, Henricum II. Theobaldus, Richardum I. Balduinus, Johannem Hubertus Archiep. Cantuar. & ità consequenter, usque ad Elisabetham Reginam, quam Oglethorpius Doctor, Episcopus Carliliensis, corona induit. Stovv. Helinshod. *in Chron.* Apud Bohemos ex institutione Johannis, Archiepiscopus Pragensis consecrationem peragit. *Crome. lib. 12. hist. Polo.* Apud Polonos Archiepiscopus Gnesnensis Guagnin. *tom.1. rerum Polon.* Orichov. *in Chimæ. fol. 90.* Apud Moschos Metropolites. Sigismund. Baro *in hist. Muscor.* Tantum tamen abest, ut propterea jus ullum in principem Moschorum habeat, ut hic potius ab ipso adoretur, tanquam Deus, & quid in rebus religionis observatum velit, plena potestate præscribat. *Idem Baro.* Quin & Imperatores Constantinopolitani consecrabantur ab ejusdem urbis Patriarchis, Zonar. *in Cæsar. Græ.* An verò idcircò eadem est autoritas Patriarchæ Constantinopolitani, quæ Romani? an sicut Romanus transtulit imperium in Germanos, ità retinuit Constantinopolitanus inter Græcos? Aut quid est hoc, quod Imperator accipit ex coronatione, quod ex Electione non habet? *Cæsar & Rex ante coronationem,* *post*

Margin notes: 22. *Corona impositio non est traditio regni.* — 23. *Quid per…*

coronationem recipiat Imperator?

post Imperator. & Augustus dicitur, ait Platin. *in vit. Gregor. V.* & Adrianus *in Epist. ad Fridericum I.* etiam Cæsaris nomen à coronatione tribui scribit, atq; ita colligunt ex *c. per venerab.* & ibi Abb. *de Elect. ex c. Romani* ubi Card. Alex. *de jurejur. in Clement.* Salicetus *in l. bene à Zen. col. 2. C. de quad. præscript.* Laudens. *in tr. de princ. q. 39.* Oldrad. *cons. 180. col. 2.* Corne. *cons. 17, per tot. l. b. 1.* Bertachi. *in tr. de Episc. in 4 Par. 2. Par. pr. li. 3.* Quod si intelligant de solo nomine *cum gl. in c. legimus verb. Imperat. dist. 93.* non pugnamus, quia titulus Imperatorem non facit, sed potestas. Et Papa ipse, non est verus Papa, antequam legitimè inthronizetur, sed tamen potestatem disponendi omnia, ut verus Papa, habet. *c. in nomine Dom. dist. 23. c. licet de Elect. in Extra. Clemenus V. quæ incipit. Quia nonnulli. attributa Clementi VI.* à Joh. Selva. *in tract. de benef. par. 1. q. 2.* Nam Albertus, Rudolphi duo, Maximiliani duo, Ferdinandus sine ulla Pontificis consecratione, imperii munus liberè obierunt. Balb. *de coronat.* Bodi. *2. Rep. 6.* Henricus IV. vel potius ejus nomine Agnes mater, priusquam per ætatem imperatoriam coronam accipere poterat, nihilominus pro imperatore omnia administravit, datis legibus, institutis magistratibus, atque ipso etiam summo Pontifice: *c. in nomine Dom. dist. 23.* Sigon. [illegible]r. *9. Ital. in pr.* Quomodo & valent omnia rescripta Imperatoris post legitimam electionem, licet coronatio Papæ non accesserit, & hoc jure hodiè utimur.

24. *Imperator statim fit Imperator ex Electione.*

Vetus enim juris regula est, quandò de consuetudine ambigitur, ut ea potissimum valeat, de qua contradicto judicio disceptatum est. Atqui Ludovvicus Bavarus post longas colluctationes cum Johanne XXII. & Benedicto XII. tandem rem totam ità decidit de consensu & consilio Electorum aliorumq; principum Imperii, *ut, postquam aliquis eligitur in Imperatorem sive Regem, ab his, quorum interest, statim ex sola electione sit verus Rex & Imperator Romanorum censendus, eidemq; ab omnibus imperio subjecti sit obediendum, cum administrandi jus, cæteraq; faciendi, quæ ad verum Imperatorē pertinent, plenariam habeat potestatem, ne Papa sive sedis Apostolicæ, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, autoritate, consensuvè indigeat.* Avent [illegible] Jam hoc præscripserat Fridericus I. ad principes imperii: *Cum per electionem principum à solo Deo regnum & imperium nostrum sit: cumq; Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit: Deum timete, regem honorificate, quicunq; nos imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni, & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacij reus erit.* Radevvic. *de ge[illegible] Frid. I. lib. 1. c. 10* Flac. *in Catal. test. verit. & in lib. de translat. Imp.* Idem Jam [illegible]e *vidisse judicari & teneri per principes in Alemannia* testatur Hostien *in c. super quibusdam de V. Sign.* quod scil. *Rex Romanorum post electionem concordē habeat omnem potestatem, quam Imperator, & quod unctio nihil addit:* Item Joh. An[illegible] *in d. Clem. Romani, scribit se vidisse literas ex registro Innocentij III. inter a[illegible]a referen-*

ferentes, quod inconcussa consuetudo Imperij & rationi consona & iure subnixa per patientiam sedis Apostolicæ tolerata & per tolerantiam approbata habet, quod duobus in discordia electis uterq; iura imperij administrat, ut rex, & omnem Imperij iurisdictionem exercet.

Sicut enim Innocentius III. argumentatur *d.c. venerab. Quid si principes Electores convenire nolint, idcircone Ecclesia carebit suo defensore, & culpa illorũ huic redundabit in pœnam?* Ità & nobis liceat inferre: Si Papa nolit coronare Imperatorem Electum; idcircò ne Resp. carebit capite suo? Et sane, quo argumento gloss. *in c. in nomine Dom. in ver. disponendi. dist.* 23. tenet, quod *transmontani Archiepiscopi etiam ante confirmationem administrare possint, c. nihil. de elect.* eodem & nos ostendere possumus, Imperatori statim à primo die Electionis suæ jus plenarium gubernandi concedendum esse, ne dum trans montes Romam contendit, Resp. interim capite careat, & luporum rapacitati prostituatur: imprimis, quia Ecclesia propter magnam maturitatem, quam adhibet in judicando, non nisi lento pede procedit. Ne dicam de magnitudine sumtuum, quibus in eam rem opus est: & interest Reipubl. ne fiscus aut princeps aut subditi depauperentur. *Novell.* 8. *§. cogitatio. l. servum quoq; §. publicè. ff. de procurat.* Nevizan. *inter consilia feudalia Bruni.* 12. *nu.* 188. Hippol. Bonacoss. *in com. opin. in verb. Papa vers. Papa hodie potest.*

Idem probatur rationibus.

Si quis naturam & vim Electionis paulo intimius inspicere velit, inveniet, illa legitimè facta, non opus esse alia probatione vel confirmatione, quia confirmare, ut dicit Bald. *ad l. more. ff. de jurisd. omn. judic. per tex. in §. interim. in authent. de def. civit.* est *imperfectum perficere.* Sed populus, qui non recognoscit superiorem, sive per se, sive per concessionem superioris, sicut Papa *d.c. Romani & venerabilem.* fatetur, se jus eligendi transtulisse in principes Germaniæ, & proinde non vult se intromittere in secularia, nisi ex certa causa, *c. licet. de foro comp.* non potest actuum suorum perfectioné aliunde petere, quia peti debebat à superiori, quem nullum agnoscit amplius. Et sic videmus cautum esse legibus Polonorum, *ut quicunq; generalibus comitiis electus sit, vi electionis regium fastigium statim ascendat. In articulis Danorum, ut regia jura omnia habeat, quem Senatores regni sibi præficere voluerint.* Perfectus enim actus est, qui constat ex omnibus ad actum requisitis. At requisita electionis sunt, ut ii, quorum est potestas, jus suum cedant, cui volunt, sicut olim per legem regiam principi data est in populum potestas. *l.* 2. *§. novissimè. de origine juris. § sed & quod princ. Inst. de jur. nat. gent. l.* 1. *ff. de const. princip.* & posteà, recusantibus militibus, Tacitus provectus fuit ad imperium, voce Senatus. Flav. Vopisc. & Zosim. *in Tacit.* Quod igitur sua natura perfectum est, ulterius perfici non potest. Bald. *in l. nihil Cod. de vindic. libert.* Socin *in l. possideri. § ex pluribus ff. de acquiren. possess.*

25. *Electio perfecta non potest ulterius perfici.*

Nec dubium ullum de hac re esse potest in regno Germaniæ, per se tantum

Regnum

Germania non dependet à Papa.

tantum considerato, prout Ludovvicus illud accepit in divisione hæreditatis. Nullum enim jus in illud Pontifex prætexere potest, cum translatio ejus concernat tantum imperium, & illud regnum non minus liberum mansisse æquum est, quam regnum Franciæ, aut Lotharingiæ. Imo Henricus Auceps illud obtinuit, sine ullo consensu Papæ, & Henricus II. idem administravit, solo consensu principum electus. Italia verò armis Ottonis I. acquisita non debuit ejus conditionem deteriorem facere, quia virtuti debentur præmia, *l. ult. C. de stat. & imag. l. 1. ff. de just. & jur.* unde dispendia sequi non debent: *c. pervenit. Ext. de fidejuss.* & accessorium sequitur naturam sui principalis. *c. accessorium, de R. I.* imprimis cum jure belli in Ottonis potestatem venerit. Quæ autem sic capimus, jure gentium nostra fiunt. *l. naturale, §. ult. ff. de acquir. rer. Dom. §. item ea quæ ex hostibus. Inst. de rer. divis. & dicat. 23. quæst. 5 & c. si qua de rebus, quæst. 7.* ità ut de iis ad arbitrium nostrum disponere possimus. Præter Germaniam autem & Italiam, quid restat, quod nomen Imperii possit communicare? Dicat fortasiè Lupold. *de jur. imper. c. 16.* quod Carolus M. præter terras, quas jam possidebat, acquisierit jus aliquod amplius, repetendi ea, quæ Imperatorum fuerant, id quod negari quidem non debet, sed quod coronæ impositio tantum importet, id verò constat falsum esse. Nam possessio sedis & terrarum imperii, jus imperatoris dat, quæ Carolus M. habebat partim jure gentium, ex quo bella nascuntur, *l. ex hoc jur. ff. de just. & jur.* partim electione & consensu populi Romani, & qui tum temporis erat ejus pars, Pontificis, antequam corona imposita, Leo id publicè testatum faceret: Eodemq; jure Otto I. imperium Germanis vicissim conquisivit, occupatis provinciis & sede Imperii. Quod autem ex una causa competit dominium, non potest competere ex altera. *l. 3. §. ex pluribus de acquir. & amitt.*

Italia in potestatem redacta ab Ottone jure belli.

Unde trahimus aliud argumentum firmissimum. Non potest coronatio hodiè plus juris dare, quam dedit olim Carolo M. cum prima in ejus personam fieret translatio, quia res fortior est in principio. *leg. 1. de orig. jur.* Atqui Carolus M. saltem in provinciis, quibus jam imperabat non acquisivit majus jus. Ergò nec Imperator per coronationem Papæ hodiè plus acquirere potest ad minimum in provinciis, jam imperio conjunctis. Constat enim Carolum M. non minus leges tulisse, quod Imperatori in supremæ potestatis prærogativam competit, *l. fin. C. de legibus.* in regnis suis ante coronationem, quam post fecerit, ut ex ejus capitularibus videre est, & notat gl. in Const. Frider. *incipiente: Hac edicali. §. injuria. in ver. secundum leges, cum non nisi novem leges in Lombardia contentas, postquam creatus fuit Imperator, fecisse.* Nullo enim jure fundatur illa distinctio Innocentii, Hostiens. Lancelo. & aliorum, quod alia jura majestatis Imperator habeat communia cum regibus, alia verò sibi soli reservata, quia majestas uniformis est, &

Imperator & Rex quid differant.

Impe-

Imperator nihil dicit ſuper Regem præter honoris & dignitatis prærogativam, ſicut quod *in l. benè à Zenon. C. de quad. præſcript.* dicitur: *imperialis majeſtas: in l. Regia. C. ut nem. priv.* dicitur *regia majeſtas* & in *l. 2. Cod. eodem regia vela* nominantur pro *Imperatorijs*. Barcla. *libr. 2. contra Monarchomach.* quod ſi notaſſet Chaſſan. *Catal. glor. mund. 5. part. conſ. 29.* non tam ineptè in contrarium diſputaſſet. Unde apparet, quod, cum ſine contradictione per electionem creetur Rex Romanorum, eo ipſo accipiat poteſtatem adminiſtrandi qualis Imperatori competit, quia Rex & Imperator non differunt, niſi in *gradu honoris*.

Porrò & illud fortiſſimum eſt pro noſtra ſententia argumentum, quod electio ſubiit locum ſucceſſionis, per quam transferebatur imperiũ in ſtirpe Carolina & Ottonis I. de quo licet Bellar. Baron. & Gretſer. vehementer pugnent, nos tamen *in lib. de ſtat. Imp. Rom.* veritatem contra hoſtes Imperii, aſſeruimus. Jam quod ſurrogatur in locum alterius, ejus naturam imitari debet. § *fuerat. Inſt. de act. l. filia. §. Titia ff. de condit. & demonſtr. l. ſi eum. §. qui injuria. ff. ut quis cant. c. magnæ §. cum igitur de vot. & vot. redem.* & qui ſuccedit, uti debet eo jure, quo uſus eſt, in cujus locum ſuccedit, *l. cum heres ff. de diver. temp. præſcr. l. qui jus ff de R. I. c. 15. qui in jus. Eod. in 6.* Forſt. *4. de ſucceſſ. c. 'o. n 2.* Tıtaq *q 40. de jur. primog. n. 43.* Atqui ſucceſſio antea fecit Imper. ſicut autor vitæ Ludov. Pii, quem coætaneum fuiſſe apparet, teſtatur *Ludovvicum ab ipſo Carolo M. diademate*, ſic enim loquitur, *coronatum fuiſſe Aquisgrani*. Theganus rem latius explicat *in vit. Ludovv. Convocatis enim proceribus & prælatis conſilium de ſubſtituendo ſibi filio ijs propoſuiſſe, quib. annuentibus filium duxiſſe in templum, & ibi coronam ab altari juſſiſſe petere, modo propoſitis præceptis ſe morem geſturum ſponderet.* Eginhart in vita Caroli M. id his verbis proponit: *Extremo vitæ tempore, evocatum ad ſe Ludovvicum Aquitaniæ regem, qui ſolus filiorum Hildegardis ſupererat, congregatis ſolenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſibi totius regni & imperialis nominis hæredem conſtituit impoſitoq; capiti ejus diademate, Imperatorem & Auguſtum juſſit appellari.* Tertio demum anno poſt, *ut computat autor Annalium Germanicus*, venit Stephanus, Leonis ſucceſſor & coronam ipſi obtulit, quam ex Italia ſecum adduxerat: nec obſcurè inſinuat, Papam ad id nõ requiſitum, ſed ultrò veniſſe, ut obſequium ſuum Imperatori probaret, *quod & autor* coætan. Ludovv. *innuit*. Ludovvicus facta regnorum ſuorum inter filios diviſione, Lothario dedit nomen Imperatoris, tanquam primogenito. qui & eo jure imperium præ fratribus obtinuit, poſt obitum patris. Nithard *lib. 1. de diſſenſ. filior.* Ludovv. Thegan. & alius autor Coætan. *in vit. Ludovv.* Ita enim nuntiari juſſit, *ſe venturum in Imperium, quod olim fuerat ſibi datum.* Nithar. *lib. 2.* Lotharius tædio rerum adverſarum affectus monaſticam vitam ſecutus eſt, poſtquam Ludovvicum filium regni conſortem

27. *Electio ſubiit in locum ſucceſſionis.*

adſciviſſet, & imperii ſocium declaraſſet. Egnat. *libr.3.Rom.princ.* Nec obſtant ratiunculæ ſeu potius ſuſpitiones Bellarmini, Baronii & Gretſeri, ex testamento Caroli M tractæ. Unde ſic argumẽtatur Bellar *c.5.de trãsl.Imp. Carolus cum teſtamento Imperium filiis diviſiſſet, rem totam à Leone Pontifice cõfirmari voluit, ut non ſine conſenſu ejus, à quo illud acceperat, Imperium aliis tradere videretur.* Poſt, ubi probationes confirmationis exiguntur, affert Adon. *at.6.*& Annal. Francor. veriſſimos, qui teſtamentum Caroli Romã miſſum ſcribunt, *ut manu Leonis Põtificis ſubſcriberetur.* Quæſo te, an à ſubſcriptione teſtis pendet confirmatio teſtamenti? Aut quid hic fecit Papa præ cæteris omnib. Epiſcopis & Comitibus, qui nomina ſua adjecerunt? Atqui Aimon. ait: *lib.4.c.94. Teſtamentum Caroli Leoni Papæ miſſum, ut approbaretur, quod factum eſt.* Imò Ado Papæ non tribuit niſi ſubſcriptionem, ſed de optimatibus Franciæ addit: *Teſtamentum inde factum & jurejurando ab optimatibus Francorum confirmatum,* & poſt confirmationem demum Romam miſſum, ut manus Leonis adjiceretur. Probatum igitur eſt teſtamentum à Leone, ſed poſt confirmationem, nec aliter quam ſubſcriptione, ex qua nulla cuiquam poteſtas acceſſit.

De teſtamento Caroli M.

Utrum Carolus M. ſibi vel Pontifex conſtituerit ſucceſſorem.

Graviorem lapidem provoluit in viam Baron. *to.9. Ann.*800. quãdo regna quidẽ diviſa ſcribit à Carolo inter hæredes, ſed de Imperio nihil fuiſſe diſpoſitum putat, quippe, quod reſervatum fuerit arbitrio ſolius Pontificis. Sed hunc amovet ipſe Bellar. *c.5.de transl.Imp.exempl.2.* quãdo ſibi objicit *Ludovicum Imperatorem & Auguſtum appellatũ fuiſſe à patre ante Pontificis coronationem,* & ſolvit ex eo, quod licentiam ſeu poteſtatem ſucceſſorem ſibi ſurrogandi nactus fuerit per confirmationẽ teſtamenti, quo inquit, *Carolus Imperium filiis relinquebat.* Quam ſit autem ſolutio hæc futilis & nullius momenti, ex ante dictis patet, quia teſtamentum Caroli de reb. juſto titulo ſibi acquiſitis, legitimè conditum, & à procerib. regni probatum, nõ indigebat alia, quam per ſubſcriptionem teſtium, confirmatione, nec quicquam præterea Leo ad ejus robur attulit. De imperio verò nihil ibi diſpoſitũ fuiſſe affirmat Baron. cum Gretſ. Bellarm. negat; Utris credendum cenſetis? Velim autem primùm reddant mihi teſtamentum, de cujus perfectione dubitat ipſe Pithœus, Authenticum, & perfectum. Nam in fragmentis, quæ circumferuntur, Imperium quidẽ neutri filiorum attribuitur expreſſè, ſed an inde ſequitur: Pontificis arbitrio reſervatum, quicquid ibi expreſſum non legitur? Et cur ad arbitrium Pontificis non rejecit electionem, ſicut arbitrii populi manifeſtè mentionẽ facit? Quid ſi ex alia cauſa de Imperii ſucceſſore tacuiſſet? Henr. V. quam immodeſtè ſe geſſit contra patrem, à quo ad Imperialis dignitatis ſucceſſionem omni opera elatus fuerat: Nam licet Papæ flabellis ambitionem ſuam ante tempus exſufflari ſineret, tamen non illius poteſtati, ſed hæreditatis legi imperiũ tulit acceptum, dum de ſeipſo loquitur

tur, in

tur in Chron Abb. Svvartzahens. *An.* 1 05. *Ego quidem Christianis mihi legibus subarratum Regnũ, ut hæres & successor Augusti, tenere, si tamen rerum omnium dominatori placuerit, cupio.* Nec diu factum, quin Henr. II. Anglum pœniteret temerarii amoris, quo in solio regio ambitiosum filium collocarat, Paris. & Hoved. *in Henr.* & Artoxerxem, cũ Dario regni gubernacula ante fata sua, regenda concederet Plut. *in Artox.* Nec facilius conjurationis excitatæ contra Augustos leguntur, quam à Cæsarib. licet periculi avertendi gratia posteriori tẽpore, potestas & administratio omnis iis interdiceretur, ut Sozom & Socr. *docent. lib.* 5. Tripart. *c.* 5. 12 49. *lib.* 6. *c.* 1. Tale quid potuit ipse Carol. M. timere, quod non multò, post expertus est Ludov. Pius, cum filios non satis arctè sub imperio habuisset: ideoq; noluit imperiũ abdicare antequã à statione juberetur discedere mandato summi Regis, nec, quas timebat filii & nepotis cruentas sive in se mutuò, sive in parentem æmulationes impune spectare: Noluit libidinẽ dominandi subjecta face incendere, aut juvenilem arrogantiã gladio armare in suiipsius & aliorum pernitiem: Potuit & aliam quamcunq; causam potius habuisse, quam quod arbitriũ ejus rei, quam à Papa concessam per decretũ Adriani, acceperat, suo silentio voluisset rejicere ad Pontificem, quoniam Adrianus cũ toto Clero & populo concesserat Carolo facultatem non tantum. *Pontificem eligendi & sedem Apostolicam ordinandi,* sed & *dignitatem Patriciatus,* quod sic explicat Leo IIX. *Nemo deinceps eligendi Regem vel Patritium, habeat facultatem, sed soli Regi Romani Imperij hanc reverentia tribui facultatem.* Unde Cusan. *li.* 3. *conc. Cathol. c.* 4. Otto I. à *Synodo & Rom. populo accepit potestatem successorem sibi eligendi, ut dicit textus c. in Synodo dist.* 63. *allegatus, & hoc quoad regnum Italiæ, secundum glossam, & secundum illam ordinationem usq; ad Ottonem III est servata successio.* Nec possum satis mirari audacem reprehensionem Bellar. *c.* 7. *li.* 1. *de transl. Imp.* qui Blondum taxat, quod Ottonem II. ex voluntate patris, & non Põtificis surrogatum scribat. At tandem ex VVitechind. *libr.* 3. *de rebus Sax.* demonstrat Ottonem II. à D. Apostolico inunctum fuisse, & designatum Imperatorem, quasi non inunctio & per eam designatio, seu consensus Pontificis secutus fuisset, voluntatem & dispositionem Ottonis I. Albertus Crantz. *lib.* 3. *Saxon. cap.* 29. *vigebat,* inquit, *eo tempore,* (sc cum Conradus Salicus filium Regem declararet) *apud Imperatores memoria, Carolinorum & Ottonum, qui arbitratu suo sibi delegerant successores.* Et quid conjecturis & suspitionibus, licet à vero non dissimilibus, agimus, cum rerum testimonia præsto sint in ipsis testamenti verbis, & factis Caroli? In testamenti enim tabulis superstitibus, statim sub initium filios nominat *Regni vel Imperij sui hæredes.* § 1. & § 2. *Divisiones,* ait, *se instituere regni & imperij.* Si igitur imperium suum habuit hæreditarium, ut ex his verbis liquet, non ea de causã tacuit de successore, quod ejus nominationem relinquere vellet

 Ponti-

Pontificis arbitrio, sed vel ex alia aliqua, quam sagaci conjectura curiosis scrutatoribus reliquit investigandam. Nam annon Ludovvicum Pium denique successorem sibi designavit, & si Eginharto credimus, *imperij consortem & Augustum Imperatorem* Aquisgrani proclamari fecit? Aut potuitne una manu eripere, quod altera dederat? Si enim in testamento jus eligendi Pontifici debitum, ipsi integrum reservare voluit, fas non fuit idem de facto eripere, & in opprobrium juris Pontificii successorem sibi designare. Nec successor solum & Imperator ita renunciatus fuit Ludovicus à parente, sed & toto triennio omnia egit, ut Imperator, licet, tertio demum anno pòst, coronam ab Apostolico acceperit, ostenditque Haiminsf *ex Antiquit. Fuldens.* quod nec titulo Imperatoris interim abstinuerit nedum potestate. Si enim argumento proprio contra Bellarm. libeat experiri: *Is c. 7. libr. 1. de transl. Imp.* ab eo tempore computat annos imperii Caroli, à quo Imperator ab historicis salutatur. Atqui Ludovvicus apud historicos Imperator cepit audire, non à tempore coronationis, sed à puncto successionis. Nec obstat, quod *c. 5. lib. eod.* excipit Bellarm. Carolo accrevisse potestatem designandi sibi successorem, quia testamentum fuerit confirmatum à Pontifice. Nam nec confirmatum aliter fuit à Papa, quam à cæteris proceribus & prælatis, sc. subscriptione, nec in testamento quicquam invenitur, quod attineat ad potestatem designandi successorem in Imperio, quam sibi perinde reservavit Carolus soli, ut potestatem dividendi cætera regna in legitimos hæredes.

De electione Caroli Calvi. Nec obstat, quod Johannes 8. in oratione ad Clerum de coronatione Caroli Calvi, quæ in actis coronationis legitur, ità loquatur: *Carolum igitur à populo expeti videntes, elegimus meritò & approbavimus unà cum annisu & voto omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum, atq; aliorum S. Romanæ Ecclesiæ ministrorum, amplique Senatus, totiusq; Romani populi, gentisq; togatæ.* Item in prolatione sententiæ: *Caroli M. & pacifici electionem & promotionem in æternum firmam & stabilem decernimus permansuram.* Nam apud illius ævi scriptores, verbum *eligendi*, sumitur pro *sequi partes* alicujus, vel uni *adhærere* potius, quam alteri, sicut Gregorius Turonens. Aimon. & alii de Merovingis scribere solent, *eos à populo eligi solitos in reges*, cum tamen constet, eos non electione, sed successione regnũ iniisse, id quod imposuit Hottom. *in lib. Francog.* qui inde concludit; primæ stirpis reges sola electione regium obtinuisse, cum scriptores præfati, id tantum dicere voluerint successionem consensu & voluntate populi approbatam fuisse. Sic Carolus M. in suo testamento; *quod si talis filius cuilibet trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere voluerit, ut patri suo succedat in regno, ne patrui id impediant.* Si enim ex eventu voluntatem Caroli interpretari velimus, *per l. jure nostro ff. de testam. tut.* non possumus, quam per electionem populi, ejusdem consensum.

sensum intelligere, siquidem Ludovvici filii & nepotes, non alio, quam successorio jure hæreditatem adierunt. Sic etiam hoc loco dicit Pontifex, se elegisse cum populo Romano Carolum Calvum, quia cum duo de regno certarent Ludovvicus Lotharii nepos, & Carolus, ut refert Egnatius, ejusdem frater, & Carolus illi imperium præripuisset, meritò dicere potuit, se hunc elegisse, seu prætulisse alteri, non quod eius personam elegerit ad imperium capessendum, sed quod eius partes sequi elegerit, relicto Ludovvico. Atque ut modus iste loquendi clarius ob oculos ponatur, afferatur huc à Massir. Papon. *in hist. Gall.* ex archivis Ecclesiæ Remensis simile scriptum, quo Archiepiscopus eiusdem Ecclesiæ dicit, se eligere regem Francorum qui certum est, quod tanquam Par Franciæ, non tribuat nisi consensum. Delassat nos Bellarm: *lib. 1. de transl. Imper. cap. 5.* infinitis interrogationibus, inde extractis, quod Carolus Calvus magnis itineribus Romam contenderit ad emendum titulum Imperatoris, ut ait Rhegin: *lib 2. Chron* & Ludovvicus Germaniæ Rex duos filios cum exercitu ad prohibendum iter obviam miserit. Quid verò juris inde Pontifici accrescere potest præter facultatem consentiendi, quam ipsi tanquam populi præcipuæ parti nemo unquam ademit? Et quidem Rhegino expresè dicit: *Iam pridem emtum fuisse Nomen Imperatoris à Carolo.* Sed demus, non nomen solum emtum fuisse, sed & consensum Pontificis: quid inde sequetur quam consensum Pontificis requisitum fuisse in dubia imperii successione: & hujus elaborandi gratia, simul & capessendæ possessionis Romæ & in Italia, nec non probabilis alicujus prætextus quærendi causa tantopere properavit Carolus, & properantem retrahere nisus fuit Ludovvicus.

Cum igitur in successione imperium numeremus ab ea die, qua, ut loquitur Justin: *Nov. 47. cap. 1. nos Deus proposuit rebus humanis, & est gl. in Extravag. Quomodò in læs. majest. crim. in ver. Reges.* sicut & Antoninus Pius *in quadam Epist: inter constitutiones Commodi,* testatus fuisse reperitur: *Consimiliter & philosophus Divus pater meus mox ingrediens principatum, constitutione honores & immunitates firmavit, l. sed & reprobari. §. Est autem de excusat. tut.* quo facit: quod moris erat, statim initio imperii cuiusq; immunitatem, vel concessam confirmare, vel novā dare, Suet. *in Tit.* Plin. 10. *Epist.* quod jus in regibus Gallorum observatam, etiam parlamenti decreto confirmatum est, *die 19. April.* 1498. Papon. *lib. 4: Arrest. 1. & Arrest.* 1. Barcl. *lib 3. contr Monarch c. 2.* ut vel ante solennem inaugurationem, qui jure hæreditario ad sceptrum vocetur, pro consecrato, quo ad jus & honorem regium habeatur: Cum, inquam, ante inaugurationem successione Rex fiat, & jam electio subierit locum successionis, sequitur statim etiam ex electione Imperatori competere jus administrandi jura imperatoria, ad quam rem gl: est *in c. legitimus. dist. 93.* Et communem opinionem dicit esse Socin. 28. *Successio & non consecratio facit Regem.*

 cons.

cons. 63. *vol.* 3. cum Decio *cons.* 194. *volu*: 1. *cons.* 588. *vol.* 3. communiter receptam tradit Martin. Laud. *in tr. de princ. q.* 25. ab omnibus Canonistis, Vivius *Thes. com: opi. in verb. Imper.* Corne *cons.* 177. *col.* 3. *lib* 1. *Restaur: in tr. de Imperat. q* 46. Eman: Zoarez: *in ver: Imperator in verb. princeps n.* 25. per Angel. *in proœm. Inst. n.* 7 *qui communem dicit.* Joh. And. *in c. avaritia. de Elect. in* 6. *& in d. Clem. Rom.* ità ait de jure esse, & consuetudine à Pontifice tolerata. Catellin: Cott. *in memorab. in dict. Imperator.* Iocob: de Arena, *cujus quæstionem reperit* Cynus *ad l. bene a Zen: C. de quad: præscript:* Petrus Andl. *lib.* 2. *de Imp. cap.* 5. Hieron: Balb: *lib. de coronat:* Lupold: Bebenbur: *de Iur: Imper. c.* 5. *& sequentibus*: Et ipse Innoc. *in c. venerab: de Elect:* confitetur, Imperatorem habere *administrationem sua autoritate, quam ex electione habet, sine ulla coronatione, si fortaßè coronam debito loco accipere non poßit,* Johannes dicit *in gl. c. legimus in ver: Imperatorem dist.* 93. *Ex sola Electione principum, dico eum verum Imperatorem antequam a Papa confirmetur, arg. hic, licet ita non appelletur:* & *in c. quanto. dist.* 63. *Electio facit Imperatorem.* Cusanus ait. *Insignia illa quasi ad majestatem sacram, quæ imperio inest, ostendendam, materiali visibili subjecti imperij cum ceremonijs impendi, ut sunt signa prædicantia admirandam illam potentiam. lib.* 3. *Concord. Cathol. cap.* 3. Paurmeist. *lib.* 2 *jurisd. Rom. c.* 4. *n* 5. *&* 52. *ex tit.* 2. *§. fin: de Elect. reg: Rom. in Aur. bull.* Matth. Stephan. *lib.* 2. *de jurisd. c.* 1. *n.* 123. Wesenbec: *in Apostill. ad com. Inst: Schneidevvini rubr: n.* 6.

29. *Verum Imperator teneatur coronam petere.* Et sunt inter prædictos autores, qui latius conclusionem extendentes, negant, Imperatorem ullo modo ad petendam coronam cogi posse, quia id nulla lege statutum vel consuetudine inductum fuit. Quod ad legem attinet planum est imperatoriam non dari, sed potius contrarium decretum esse à Ludovvico Bavaro, & si aliqua esset, non valeret, cum ne juramentum quidem valeat, quod diminuit dignitatem Imperatoris. *c. intellecto. de jureju.* Si verò lex Pontificia producatur, eam constat non obligare, nisi quatenus approbatur, cum jurisdictiones sint distinctæ. Sed nec ulla produci potest, quia Clem. Rom. *de jurej: c. venerab. de elect: c. in nomine Dom. dist:* 23 Imperatorem non astringunt ad petendam coronam, sed Pontificis jus esse contendunt, ungere, consecrare, nominare, approbare Imperatorem electum, si ea petitum veniat. Nam quod Papa se inter Conradum & Lotharium interposuit, in certo casu discordiæ factum est, nec ad ordinarium jus trahi potest.

Quod ad consuetudinem attinet, licet Clemens *d. c. Roman.* producat exemplum Alberti & Henrici, qui consecrationem à Papa petierint, tamen, quod per favorem aut ex certa causa fecerunt, aliis non debet creare præjudicium. *c. quod grat. de R. I. in* 6. *cum Concord:* Neq; enim Symmachus audiendus, qui, *quod à principio beneficium fuit, usu atq; ætate fieri debi-*

tum

sum asserit. *lib.* 10. *Epist.* 54. In actibus enim voluntariis & meræ facultatis, nulla præscriptio vel consuetudo induci potest, *per l. viam. de via publ.* ubi gl. & Angel. Peruf. ponunt exemplum, de eo, qui nunquam S. Jacobi sepulchrum visitatum ivit, qui propterea prohiberi non potest, quin eat, si velit, ut nec ire tenetur, qui sæpius illuc inviserit, dicente Cyno. *l.* 1. *n.* 8. *in fin. C. de servit. & aq.* Nec *si quis per longissimum tempus ivit ad alterius molendinum, per hoc compelli potest, ut ibi molat propter reditum molendini conservandum, quia iste usus molendini, fuit per modum facultatis,* ait Bald. in *l.* 1. *n.* 10. *C. de ser. & aq: Ias. in l. quo minus col.* 5. *n.* 29. *& seq.* Jacob. de S. Georg: *in sua investit. in verb: & cum molendin: n.* 4. Boer: *tot. decis.* 125. *& præcæteris* Cravet: *de Antiq: temp: part.* 4. §. *Materia. qui nec immemorialem consuetudinem sufficere dicit, n.* 98. 99. Melchior Crugerus *in consil. Brunsvvic. dato.* Consultat: constit: Saxon: *par:* 5. *c.* 7 *n.* 2. Cepoll. *de servit. urb. præd. c.* 50. *n.* 2. Dec: *cons.* 271. *n.* 14. *seq:* Bocer. *c.* 1. *n.* 57. *quæ sunt regal.* Borchold. *de Regal. n.* 53. Anton: Gabr: *lib.* 5. *com. conclus:* 1. *de præsc. concl.* 10. Chass: *cons: Burg. de forests.* §. 8. *vers. præscript. n.* 1. Angel. de Bisut *cons.* 15. *inter cons.* Zasii *lib.* 2. *n.* 6 Covarr. *par.* 2. *rep. c. possessor.* § 4. *n.* 7. *de R. I. in* 6. Zoann. *de dupl. Ven. n* 83.

In actibus voluntariis, præscriptio non habet locum.

Porro æquitas postulat, ut, quando per aliquod factum præjudicatur pluribus, id consensu omnium fiat *l. su concedendo ff. de aq pluv: arc. c. ad hæc.* §. *fin. de offic. Archid.* Maximè autem præjudicaretur subditis, si eorum Dominus se vellet subjicere approbationi & confirmationi alterius, quia carerent capite, quamdiu is suspenderet approbationem, & reciperent plures Dominos, primusq; eorum perderet libertatem, quod ne fiat, omnium interest. *l.* 1. *&* 2. *ff. de lib. caus. l. non tamen. ff. de appell: c: fin. ex: de major: & obed. gl.* Innocentij. *ad c. auditu de præscript.* Nunquam igitur factum solius Imperatoris allegari poterit, pro inducenda rationabili consuetudine, quamdiu non consentiunt illi, quorum interest.

Præterea cum satis dilucide probatum sit, actum creandi Imperatoris absolui in sola electione, patet, supervenientem coronationem nihil esse aliud, quam solennitatem. Atqui Imperator ab iis, quæ solennitatis sunt, legib. absolvitur, *ut Dd. interpretantur l. princeps. ff de ll. l. digna vox C. eod. l. ex imperfecto.; C. de test.* Nec enim quæ à Cæsare Pontificeve geruntur, ullius solennitatis indigentia abrogari debent. *per. gl. c. quando de translat. Episc.* Sicut nec labefit sententia à principe non sedente vel sine scriptis lata, licet utrumq;, ut sententia subsistat, aliàs requiratur. *l. statutis C. de senten. ex per. recit.* Nam cum duplex sit solennitas: levis, quæ substantiam non immutat, *l.* 3. *ff. de exerc. act:* quæq; actioni non officit: *l.* 1. *ff. de ventr. insp.* & gravis, constat illam à quovis, hanc verò à solo principe omitti posse, urgente evidenti necessitate *l. & si nihil.* 183. *de R. I. l.* 8 *in fin. l.* 90. *de in integr. restit.* Matth. Steph. 2. *de Jurisd. c.* 1. *membr.* 2. *n.* 43. *& seqq. ubi Exempla.* Unde & in hac solennitate multa sæpius mutata reperimus. Vul-

Ad solennia non tenetur Imperator.

30. *De tribus coronis Imperatoriis.* Vulgatum enim est, Imperatorem recipere tres coronas, auream, argenteam, & ferream, cujus rei varias asserunt causas. Sic enim olim tributum in tribus metallis dabatur Romanis, ut scribit Johann. Andr. *c. inter dilectos in gl. judicio.* Zabarel: *ibid. in gl. indictionu. de fide instrum: gl. in Rubr: de ann: & trib: Item de Indict:* C. Alii id fieri exemplo Christi putant, cui sacræ literæ triplicem coronam tribuunt, argenteam, ut Zachar. 5. *Sumes argentum & pones in capite Iesu*: ferream, ut *in lib. Regum* sub imagine Zedechiæ, qui ferream sibi fabricavit coronam: auream ut *in Apocalypsi*: *vidi supra nubem filium hominis habentem in capite suo coronam auream.* Balb. *in tr. de coron. Imp.* Chassan: *in Catal: glor: mundi. consid.27.* Alii id dicunt fieri vel ad designandum Imperium totius mundi, qui in tres partes dividitur. Dominatur enim Asiæ, *l. fin. C. de tem. apell.* Africæ, *l. 1. de off. præf. præt. Afr.* Europæ. *l. 2. C. de Apell:* Zoannet. *in tr. de Rom. Imp. n. 248.* Schneidevv: *de feud: part. 3. n. 61.* Alii interpretantur allegoricè, *ut gl. in d. Clem: Roman. in verb. vestigiis.* Lancelot. *lib. 1. c. 1. de Imper. §. de ornat: corp. n. 9. & seqq:* Andlo *lib. 2. imper. c. 6.* quod scilicet ferrum designet fortitudinem ad conculcandum rebelles & infideles, *c. penult. in fin: 36. q. 1.* argentum munditiem, aurum excellentiam super omnes reges. Quod verò in Pontificiali traditur, *t. de coronis* proximè mihi videtur accedere ad veritatem, modò quod superfluum est, dematur. Nam, Aquisgranensis corona regni Germanici signum est, sicut Henricus II. filium Henricum, Regem Germaniæ constituturus, Aquisgrani coronari fecit, & per hanc coronationem regem Germ. designari, Sigon. 8. *hist. Ital: in fin:* Modiciensis vero Longobardici seu Italici, ut confessus legitur Conradus I quandò Mediolanensis Archiepiscopi manu futurum Imperatorem inungi in Italiæ regem dicebat, orta inter Ravennatem & Mediolanensem controversia, uter ex iis Imperatorem Pontifici ad aram sistere deberet. Sigon: *lib. 8. Ital.* Carolus enim M. victo Desiderio redactaq; in suam potestatem, tota Italia Gregorii Pontificis decretum, ut putabatur, secutus, Modœtiæ regni Italici coronam primus suscepit, utq. ita à successoribus fieret, instituit. *Sigon. lib. 4 Ital in pr:* quia hæc prima urbs Longobardorum occurrit eunti in Italiam, & sunt ibi sepulchra regum Longobardorum. Romana deniq; corona imperii est, quia cum ea Carolus M. acquisivit titulum Imperatoris. Tholos. *6 de Rep. c. 20. n. 14.* Lupol: *de jur. Imp. c. 10.*

Quam multa in ritu coronationis fuerint mutata. Jam & in numero & loco & ordine harum coronarum permulta mutata videmus, siquidem in prædicto Pontificali quinq; referuntur & Mediolanensis diu in usu esse desiit. In loco, quia Conradus Franconiæ Dux tum Melodiani, tum Modœtiæ diadema accepit, idq; necessarium non esse dictitante Hereberto Archiepiscopo Mediol. se Caroli M. & eius posterorũ exemplo permoveri respondit, cujus exemplum multos successorum

rum imitatos notat Sigon. 8. *hist Ital.* Item quæ Modœtiæ conferri solebat, eam Henricus VII. Mediolani, Sigismundus Ravennæ, *in decreto Vngar: edito ann. 145. in præf.* & Carolus V. Romanam accepit Bononiæ. Guicciar: *lib. 20. histor. Ital.* Unde ICti uno ore concedunt, non obstante, quod *d. Clem. Rom.* præfiniat certum locum & altare Romæ, quod tamen coronatio possit fieri alibi, Innoc. *in d. c. venerab:* Alber. *in l. benè à Zen: C. de quad. præscript.* Joh. Andr: Cardin: *in d. Clem:* Lancel: *d. §. 1. q. 2.* Balb: *lib. de coron:* quia ubicunq; Imperator & Papa est, ibi Roma est & curia, *gl. Dd. c. fin: de for: comp.* qua de causa & Papa sedem suam transferre, ut Clemens V. Avenionem secessit, & alibi coronationem suscipere potest, sicut Gregorius X. Cœlestinus V. Clemens V. & multi alii extra Romam pontificales Infulas induerunt, nec propterea periit Romanum imperium, quia Constantinopolin translatum fuit, adeò, ut si Bellarmino credimus *lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 8. exem. 7. in resp. 2.* omne jus Imperii Romanis ablatum fuerit, licet *c. 7. de transl. Imp. §. At inquies*, rideat eos, qui decus Imperii in sola Germania conservari cupiant, quasi magis ridiculum sit in Germania, quam Constantinopoli constituere Imperium Romanum. Deniq; multa innovata sunt, in ordine, quia *si gl. d.* Clem: & Alber. *in indice in verb corona.* Restaur: Perusi. *in tr. de Imperat. q. 24.* Chassan: *Cat: glor: mund: conf. 27. fidem habemus*, primum ferrea, deindè argentea, deniq; aurea coronare debet. Atqui Aquisgrani primùm suscipit argenteam; imò hodiè omnes mutatæ sunt in aurum, ità, ut his solennitatibus Imperator præcisè alligari non possit, ideoq; sola electio est, quæ facit Imperatorem: reliqua ad solennitates pertinent, ità ut queri non possint contrariæ sententiæ defensores: coronationem nullam habere effectum. Nam hoc, habet, ut electionem legitimam vel successionem publicè testetur, ut per publicas solennitates Imperatorem introducat in regni administrationem, & deniqùe, *quod tangit Innoc. ad. d. c. venerabilem*, ut publicis precibus conjunctis Spiritus S. gratia futuro Imperatori cœlitus impetretur. Balbus *de coronat.* Matthias Steph. 2. *de jurisd. c. 1. n. 129.*

Atq; huc usq; multis argumentis translationem imperii per Pontificem Romanum factam non fuisse probavimus, porrò, quod vix tam cautè quis fingere potest, quin se verbis suis prodat, hinc quoq; argumenta non dubia trahimus. Primum enim, quia nec Innocentius III. nec Clemens V. tempus translationis exprimere potuit, nec Papam eius autorem nominare, inde factum est, ut neq; certi quicquam glossatores asserere potuerint. Nam Joh. Andr. rejicit in annum 753. Genebrard. *lib. 3. Chronol. & eius autoritate* Ludovv. Molin. *tr. 2. de just. & jur: disp. 24. §. 1. in fin.* in annum 752. gl. in *d. c. venerab.* in annum 776. & gl. Eadem Stephanum 31.

Dubia, de anno & autore translationis.

Bb nomi-

nominat, qui transtulerit imperium, cui consentit Chronicum Martini dicens, translationem factam in personam Caroli adhuc pueri, in qua re non abs re miretur aliquis iniquitatem Pontificis, qui cum coronam impertiretur simul Pipino patri & duobus filiis Carolo potius imperium, quam patri tàm benè merito de Ecclesia in bello contra Astulphum, donare voluerit? nisi fortassè, sicut Johannes 8. dicebat in coronatione Caroli Calvi, *prædecessori suo Nicolao divina revelatione patefactum fuisse, Carolum Calvum esse legitimum Imperatorem*: (qui nepotem suum legitimum hæredem ab Imperio dejecerat) *in actis coronat: Car: Calvi*: ità & Stephanus de futura Caroli M. felicitate divinitus certus factus est: cuius tamen *in Epist. quæ est apud Regino: Prumien.* inter cætera sua somnia non meminit. Ibi enim *in fi:* tantum dicit: *Vnxi & consecravi reges Franciæ Pipinum & duos eiusdem filios Carolum & Carolomannum*, addita vehementi imprecatione in proceres regni, qui alios quam ex Pipini stirpe Reges admitterent, in quo tamen hic somniator longè deceptus, cum Capeti posteritas jam longo tempore feliciter sceptris potiatur. Et fuisset sanè ista Stephani translatio lusoria, cum effectum sortita nullum fuisset, siquidem Adrianus Stephani successor, *c. Adrianus dist: 63.* Carolum tantum vocet Patritium, & *Leo c. in Synodo dist: Ead:* hunc honorem addit collatum illi, qui tum Rex Francorum & Longobardorum tantum erat. De Imperatore adhuc nulla mentio. Et in hoc consentiunt meliores historiæ omnes, quod Stephanus coronaverit Papinum, cum duobus filiis, anno 755. quanquam Chronici Euseb. continuatio ponat sequentem, Carolus vero M. demum an. 800. à Leone III. acceperit coronam Imperatoriam. *Annal. German.*

Præterea quod in eodem *c. venerab.* Papa allegat contra principes Alemanniæ Lotharium per coronationem Papæ obtinuisse imperium, cum principum vota essent divisa, nonnullis Lotharium, nonnullis Conradum eligentibus, falsitatis manifestæ convincitur per ordinem historiarum. Nam Conradus nunquam erat legitimè electus, sed aufugiens in Italiam suorum ope, sibi ipsi nomen Regis sumpserat, & proindè meritò ab Honorio II. fuit excommunicatus. Sed indè Papa nullum jus acquirere potuit ad Electionem Imperatoris se intromittendi, quia Conradus, ut
52. præsupponit *d. c. venerab.* legitimis votis non erat electus. *Viterb. & Regin: in Chron.*

Vtrum Imperium translatum sit in Germanos in persona Caroli M.

Quis verò conciliare poterit, quod utrobiq; dicit Papa, imperium translatum fuisse à Græcis in Germanos in persona Caroli M. cum constet Carolum M: regem Francorum fuisse & Germaniam habuisse pro accessorio. An potuit Papa prævidere, quæ paulò minus ducentis annis post futura erant, ut imperium transiret ad Germanos? Carolus procul dubio acce-

accepit imperium pro se & hæredibus, sicut illud in posteritate sua quoque propagari voluit, nec non Ludovvicus *in c. Ego Lud. dist. 93.* jubens Papam post consecrationem suam legatos mittere ad reges Francorum, indicat, cum his, velle se, ut maneat imperium, cum legati non ad regem Francorum, sed Patritium vel Imperatorem Romanum destinandi essent, & Pontifex eo animo procul dubio obtulit, quia id volebat agnosci, quasi beneficium, pro servitiis Ecclesiæ præstitis. Atqui Germani non sunt hæredes Caroli M. E. nec eius nomine imperium sibi arrogare potuerunt. Quin & constat Ottonem I. nunquam eo nomine petiisse imperium, imò ne petiit quidem, sed jure gentium in se transtulit, ita ut translatio in Carolum facta frustrà allegetur, quæ si vera esset, magis repelleret Germanos ab imperio, quam ut pro justo titulo acquisitionis produci posset.

Sed hæc res interpretes in varios labyrinthos adegit, aliis alia effugia quærentibus. Nam Joh. *in gl. ad c. fin: c: Ego Ludovv: dist. 63. nota*, ait, *imperium prius Francorum fuisse, sed postea Teutonicis virtutibus promeruerunt imperium, ut §. Ex his. 28. q. 1. in quos hodie translatum est imperium*, id quod etiam dicit autor libri *de regim. princip*: qui Thomæ ascribi solet, his verbis: *Imperium transfertur à Græcis ad Francos, deindè per Adrianum Papam ad Germanos.* Et Rossæus *lib. de Resp: aut: in reg: c. 8. n. 7.* jus illud ad Ottonem pervenisse putat nova donatione Johannis Papæ: Alciatus *in lib. singul: certam. c. 32.* Germanis scribit oblatum constitutione Gregorii V. in persona Ottonis III. Ludovv. Molin, *dist: 24. tr. 2. de justit*: primum in Gallos à Leone III. deindè in Germanos à Johanne 12. translatum asserit. Nec video, si Bodin. *in Meth. hist. c. 7.* pro Gallis Francos dixisset, quid Dresserus ipsi reponere posset, dum Monarchiam prius Gallicam fuisse, quam Germanicam dicit. Nam Carolus quidem, Ludovvicus & cæteri successores, non tam Reges Gallorum, quam Francorum se nominarunt, ut videre est *ex capitularibus Caroli & Ludovvici. ex c.* Adrianus *c. in Synod: c. Ego Ludovv: dist. 63. c. quia nonnulli. de imm: Eccl: c. per venerab: qui fil: sint legit: c. meruit. Extr. com: de privil.* & manebat distinctio inter Francos & Gallos sicut indicat lex Caroli M. *lib. 6. c. 281.* Vbi subjectos suos hoc ordine numerat: *Romanos, Francos, Alemanos, Bavaros, Longobardos, Gascones, Saxones, Thuringos, Frisones, Gallos, Burgundiones, Britones, Beneventanos, Gothos, Hispanos*, ubi Francos tanquam digniores statim post Romanos numerat. Gallos, verò non nisi inter posteriores. Multaq; instrumenta producit Aventin. *lib. 4. Anna: Bojor*: quibus Reges se nunc Franciæ Reges, nunc Franciæ & Galliæ simul vocant. Neq; enim Carolus M. Gallici sanguinis erat, nec Galli imperabant, sed Franci, qui Gallias universas sibi subjecerant, ideoque malè Gallis ascribit regnum Bodinus, quod Franci gerebant.

 Sed

Sed qui Pontificum verba salvare volunt plurima hinc inde quærant effugia, ut demonstrent una&eadem opera imperium translatum fuisse in Francos & Germanos. Alii personam Caroli M. examinant, & postquam eum Germanum fuisse demonstrarunt, rem confectam putant:. Alii ad originem Francorum confugiunt, alii ad finalem eventum, qui omnium minus rationem reddunt, quia petunt, ut vocant philosophi, principium. De eo enim dubitatur, quomodo, quod primum translatum fuit in alienam gentem, tandem potuerit vi eiusdem translationis, transire ad nationem prorsus alienam.

33. *Carolus M. fuit natione Germanus.* Qui Carolum M. & Francos derivant ex Germania, illi in eo quidem sequuntur veritatem historiarũ, siquidem & Hieron. *ad Iovian.* scribit: *Francos Germaniæ populos inter Suevos & Saxones, regionem fortem magis ac bellicosam, quam latam tenere.* Nec satis mirari possum Claudii de Rubis *lib. 3. hist. Lugdun: cap. 4. & 17.* affectatam inscitiam, qui turpi confusione Gallorum & Francorum, negat Francos ex Germania erupisse, quo nihil est in historia certius, nec minus injuriam facit Carioni, dum *c.* 17. eum insectatur, quod Carolum M. ex Germanis oriundum dicat, & ex Paul: Diaco: *lib. 2. c.* 4. duplici Galliæ apud historicos significatione deceptus, negat patriam eiusdem Ingelheimium esse sitam in Germania, quanquam quoad patriam minus solliciti simus, siquidem origigem stirpis, & non locum nativitatis quærimus. Nec enim propterea Carolum V. Gallorum subditum putamus, quod Gandavi natus sit, ut illi disputant, Bodin. 1. *de Republ. c.* 9. quia, qui nascitur ex Campanis, Campanus est, nulla habita ratione loci, ubi natus sit, *l. 1. ff. ad municip.* quia filius sequitur originem patris. *l. assumtio. §. 1. Eod. l. filios. C. de municip. & orig. lib.* 10. & avi, sicut respondit Gœden: *cons.* 1. *q.* 3. de Carolo V. & Ferdinando fratribus, pro Germanis eos habendos propter avum Maximilianum. Sed origo Caroli M. refertur ad Beatum Arnulfum, cujus materna stirps deducitur ex Blitilde, seu Bliotilde sorore Dagoberti, regis Francorum, quam certum est nupsisse nobili cuidam Gallo, quanquam historiæ in nomine varient. Thegan. *in pr. vit. Ludovv.* Monach: Egolism: *in vit: Car. M.* Paulus Warnefridus *in fragm. de Episc: Metens:* Walram: *Episc. Naumburg. in lib. de unit: Eccl: c.* 17. *Genealog: B. Arnulf:* Paterna verò stirps deducitur ex Vtilone Theodonis Magni reguli Bojorum fratre, qui à Theodorico I. rege Francorum limiti inferioris Germaniæ præfectus, Sattapa Antorffiensis diceba-tur. Avent: *l.* 4. *Ann: Bojor: in pr.* Et sic Carolus non aliter ex Germanis deducitur, quam quatenus inde prodierunt Franci: Eos autem inde prodiisse cũ multa alia, tum imprimis lingua docet, quam Germanicam fuisse, phrasis & ratio componendi per articulos, & verba auxiliaria, quam Franci Galliæ, Gothi & Longobardi Italiæ, OstGothi Hispaniis intulerunt, tum reliquiæ

astæ

istæ ostendunt, quæ cum lingua Romana confusè adhuc manent in lingua Gallica. Nam veteres Franci linguam suam dividebant in *Romanam & propriam.* Romanæ vestigia & nomen manet adhuc in multis carminibus antiquis, quorum quædam typis mandari curavit Pasqui: & vocabatur Romana, quia constabat ex vocabulis latinis corruptis, sicut Helvetii Bernenses & Friburgenses, qui Sabaudiæ fines incolunt, Sabaudorum linguam eadem ex causa vocant Romanam. Et hoc ex Nithardo discimus *lib. 3. de dissen. filiorum Ludovv.* qui pro Romana lingua, exhibet nobis exemplar vocum ità corruptarum; ut non obscurè ad linguam Francicam, qua hodiè utuntur, deflexæ esse appareant. Propriam verò Francorum fuisse Germanicam, cui dubium esse potest, nisi qui ignorat populos transmigrationibus solere linguas suas secum afferre; sicut Saxones eadem ratione Anglis linguam intulerunt, ut Camdenus *in descript. Angl.* jure confitetur, nec potest obscurum esse illi, qui utriusque linguæ cognitionem habet. Nam istum Lugdunensem advocatum, qui, de linguarum, quas nunquam attigit, proprietate, tanquam cœcus de coloribus judicat, & *Francfurt* dictam vult quasi *francfort*, idiomate tali, quod tum temporis ne natum quidem erat, ab harum rerum judicio cum suo Papirio Massonio relegamus, quippe, cum linguas addiscere prius oporteat, quam de iis judicare. Extat apud eundem Nithard. *d. loc.* aliud juramentum & pactum Caroli Calvi, quod totum est Germanicum & Specul. Histor. *libr. 14. c. 75.* nominatim de Carolo M. scribit, quod duodecim ventis imposuerit nomina lingua propria. Ea autem nomina, prout adhuc in usu sunt, cum Germanicis prorsus conveniunt.

Sed ut hæc ità se habeant, & Carolus Magnus cum tota Francorum natione ex Germania originem traxerit: tamen indè non sequitur, Germanis attributum fuisse, quod Francis indultum legitur, quia Franci jam se à Germanis separarant, patriamque deseruerant animo non revertendi. Ideoque Andlari & Bebenburgi effugium nullum est, qui dicunt, Francos habitasse in media Germania, cum in eos translatio imperii fieret. Nam de iis sermo non est, sed ex quibus Carolus progeniem suam trahebat. Illi autem jam patriam mutarant, & retento nomine novum regnum instituerant in Galliis subactis: Ita quod Carolus Crassus Normannis in Neustria, olim sic dicta, concessit; quod Richardus II. in Apulia, Sicilia & Calabria occupavit, quod VVilhelmus Conquæstor in Britannia, in illud Rex Daniæ aut quicunque Normannis præfuerit, in primis eorum sedibus, nullum jus sibi vendicare potest. Nec Saxones repetere possunt, quod eorum majores olim in Britannia sibi subjecerunt, nec Germani, quod Longobardi annos plus quam ducentos possederunt in Italia. Ideoque

nec ad Germanos magis extenditur, quod Franci, postquam ab iis se exclu- serunt, sua virtute & sanguine obtinuerunt, quam ad Francos pertinet, quod Germani postea iisdem mediis sui juris fecerunt, ut de Ottone I. supra tetigimus, quod non beneficio Papæ, sed virtute bellica, & nomen Imperatoris restituerit, & Italiam Germaniæ conjunxerit. Quomodo igitur cohæret, quod Pontifex in Germanos translatum dicit, quo constat si unquam translatum est, quod potius sit translatum in Francos?

34. Sed & alia Clementis V. satis inscita arrogantia notanda venit, qua in *d.c.Romani*, juramentum, quod Imperator Pontifici præstare solet, *prout habetur in Pontificali*, licet scriptorum Carolo M. coætaneorum istius juramenti nemo mentionem faciat, ita interpretatur, quasi sit juramentum fidelitatis, id quod Henricus Lutzelburgensis, convocatis tabellionibus, publicè negavit se fecisse, nec verò se ulli mortalium ad fidelitatem obligatum esse, nec in fidelitatem cujusquam jurasse: Clemens verò V. post mortem Imperatoris demum, eum declarat Ecclesiæ vasallum, propter juramentum, quod *fidelitatis* esse dicit, sicut jam antea Adrianus IV. ad Fridericum I. scripserat: *quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promissa & jurata.* Spigel. in Gunth. *lib. 6.* Baleus *in actis Roman. Pon. in Adr.* 4. Hedion. *hist. Eccl. lib.* 10. *c.* 8. Et gl *in c. de forma. in ver. Honestum 22. quæst. 5. & in c. Tibi Dom. 63. dist. cum Abb. cons. 82. col. 2. libr. 1. ceremon. tit. 2.* Tholos. *lib. 6. Syntag. cap. 7. n. 6.* malè interpretatur juramentum Ottonis, relatum *in d. c. tibi Dom.* quod, licet personale sit, & de certis dubiis conceptum, quæ tum vertebantur inter Ottonem & Johannem, cum ille hunc in patrocinium contra Berengarium recipere. Cujac *ad c. un. § Interpres. ad fin. de nov. form. fidelitat.* VVaremund. ab Erember. *cap. 2. n. 51. de reg. subsid. & oner. subd.* ipsa tamen extendit ad omnes Imperatores, fingitque pro juramento *fidelitatis* habendum, cui subscribit idem Greg. Tholos. 26 *de Reb. c. 4. & 5.* Imperatorem perinde ut Regem Neapolitanum, turpi confusione, papali dominationi, propter coronæ à manu Papæ receptionem, subjiciens. Hildebrandus Anticæsares Rudolphum & Hermannum in hæc verba jurare voluit: *Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem beato Petro & vicario ejus, & quodcunque ipse mihi præcepit, sub his videlicet verbis: per veram obedientiam, fideliter, sicut oportet Christianum, observabo.* In regest. Gregor. 7. *lib.* 8. *Ep.* 3. Idem præstitit Conradus Henrici IV. filius ut ex Bertold. Constant. presb. *Chron. An.* 1095. colligit Haiminsf. *c. 17. contr. Gretſ.* sed Henric. V. ejus frater extrema potius tentare, quam juramento hoc dignitatem suam deterere voluit, *ut refert incertus autor Chron. Schlav. c. 15.* à Lindebrog. *editus*, & Carolus V. ad idem præstandum adduci nunquam potuit, nisi debita moderatione temperaretur. Haiminsf. *d. c.* 17. Clemẽs autem V. proponit nobis formam aliam universaliorem.

rem, qua Imperator Pontifici & Eccleſiæ promittit protectionem, procu-
rationem, & defenſionem. At hoccine eſt fidelitatem jurare? Idem jureju-
rando promittit Imperator principibus imperii. *in aur. bull. Car. IV.* Idē Rex
Galliæ, & in juramento, quod Carolus Calvus præſtitit apud Cariſiacum
palatium, hæc verba leguntur: *unumquemq́ veſtrum ſecundum ordinem ſuum
honorabo & ſalvabo, & honoratum & ſalvatum conſervabo, & unicuiq́ competē-
tem legem & juſtitiam conſervabo. In act. inaugur. Carol. Cal.* Idem promiſit
Wilhelmus I. Rex Angliæ Archiepiſc. Eboracenſi: *ſe defenſurum Eccleſiam,
ejusq́ præſides, gubernaturum populum in juſtitia & rectis legibus*. Simon Dunel-
menſ. Gemeticenſ. Malmasbur. Ergone hi omnes fuerunt vaſalli ſuorum 35.
ſubditorum, quia promittunt iis jurium ſuorum cōſervationem & defen-
ſionem? Quis vero in ulla fidelitatis forma vidit Domino promitti à vaſal-
lo protectionem & procurationem? quæ ſunt potius partes Domini, ſicut
Gerſon benè dicit: *quemadmodum ſubditi debent fidem, ſubſidium & ſervitium
Domino: ſic Dominus ſubditis ſuis fidē & protectionem: In tr. ne princeps fatu. adu-
lato. decipiat. aſſert. part. 4. Alphab. 66. lit. L. conſider. 8.* quia vaſallus liberto &
Dominus feudi patrono æquiparatur. *gl. cap. 1. de mil. vaſ. qui contu.* Schrad.
Feud. part. 6. c. 7. nu. 10. Et vaſallus filii locū habere debet. Afflict. *in c. 1. §. ſi ju-
dex, n. 3. de pac. ten. & ejus violat*, Menoch. *de arb. jud ff. lib. 2. cent. 2. caſu* 182. *n.* 8.
per tex. in c. 1. in fi. de form. fidelit. Omnis verò vaſalli juramenta reſpectū in-
cludunt ad Dominum feudi, ut, *c. 1. de form. fidel. c. 1. de nov. form. fidel. c. de for-
ma. 22. q. 5. juro Cajo Domino meo* &c. Et *c. 1. qual. vaſ. dom. fidel. jura. deb. Fidelis
ero, ſicut vaſallus debet eſſe fidelis Domino*, quib. verbis juramentū limitatur, &
reſtringitur ad vaſallū, quod alioquin, ſi abſq́ reſtrictione iſta proferretur,
à juramento, quod vocant Feudiſtæ, aſſecurationis, aut aliis ſpecieb. quæ ex
certa obligatione præſtantur, non diſtingueretur. Non n. ex omni juramē-
to fidelitatis, feudum inferri reſpondit Decian. *conſ. 19. n. 190. Vol. 3.* idq́ ait,
omnes notare *in c. 1. quid præced. deb. & c. 1. de nov. form. fidel.* ſed interpretatio
deſumenda eſt ex materia ſubjecta. Oldr. *conſ. 159. n. 5.* Ruin. *conſ. 36. n. 8.* Jam
in jurejurando; quod in Pontificali legitur, nullum eſt indicium vaſalli vel
Domini. Unde ex verbis juramenti demonſtrari nullo modo poteſt, quod
fidelitatem promittat, multò minus ex re ipſa, ſiquidem prolixa diſputatio-
ne probatum fuit, imperium non dari à Papa, ſed à conſenſu principum,
quorum Electio eandem vim habet, quam habebat olim ſucceſſio, ſive
apud Romanos Imperatores, ſive apud Francos, ſive apud ipſos Germa-
nos, antequam jus Electionis confirmaretur. Literæ Adriani ad Fride-
ricum, quibus ſe excuſat, quod antea ſcripſerat: *Contulimus tibi imperia-
lis coronæ inſigne, tanquam beneficium*, id docent. Hoc verbo: *Contulimus*, in-
quit, *nihil aliud intelleximus, quam impoſuimus. Beneficium autem nolumus*

accipi

accipi pro feudo, sed pro bono facto, quam significationem vocabulum habuit à prima institutione: Sigon. *libr.* 12. *hist. Ital.* Cui igitur in feudum nihil conceditur, nec is fidelitatem præstare potest, quia juramentum sequitur naturam contractus, super quo imponitur. *l. sed si possessori* §. 2. *l. eum qui ff. de jurejur. l. ult. & ibid. Dd. Cod. de non num. pec.* Oldra. *cons.* 95. *ex forma istius col. ult.* Curt. sen. *l. si quis major. n.* 18. *C. de transact.* Gomez. *var. resol. tom.* 2. *c.* 4. *de donat. nu.* 11. Atq; hoc de regno Germaniæ & Italiæ multò efficacius procedit, quippe, quod per titulum imperii acquisitum non potuit fieri deterius. Sed ante nomen imperii superiorem non agnoscebat, sicut de Germania planum est, nec de Italia dubitari potest ab eo, qui Carolum M. novit ejus meliorē partem occupasse, antequam corona Imperatoria fuisse donatus putatur, tantundemque posteà Ottonem I. eodem jure suæ potestatis fecisse. Quocirca, ut tandem ab hac disputatione abscedamus, cum Pontifex pro juris sui probatione non afferat alia argumenta, quam propriam autoritatem, concludamus, in propria causa, ne jurato quidem testi fidem habendam. *l. nullus ff. de testibus. text. eleg. in l. Divus Trajanus.* 24. *de test. milit.* quemadmodum in simili de Pontifice dixit Joh. Teuton. *in c. patet* 9. *q.* 3. Et Joh. Andr. *in Clem. uni. in verb. Bonifacio. de jurejur.* nec standum esse ejusmodi scriptis, quorum autores repellerentur. *c. licet universis. c. licet ex quadam de test. & attest. c. Canones. dist.* 16. *c. nullus* 3. *q.* 4. *c fraternitatis & ibi gl. in ver. cœlestium. de haret.* Nec enim mortuæ vocis major fides esse potest, quam vivæ. Atqui leges superstites, nihil aliud sunt, quam verba principis jam mortui, cum princeps vivæ legis autoritatem obtineat. §. *fin. Novell.* 105. perindè ut Papa canon animatus dicitur in terris. *c. ipsi sunt* 9. *q.* 3. *per Bartol. Brix. in qq. Dominic. quæst.* 55. *numer.* 5.

INDEX

INDEX CAPITUM.

CAPUT I,

De distinctione duplicis Iurisdictionis.

SUMMARIA.

1. *Duo esse fora in mundo, Ecclesiasticum & Politicum.*
2. *Utrumq; dependere immediatè à Deo, nec unum subjici alteri, nisi secundum quid.*
3. *In quo differant duæ hæ jurisdictiones, & quo respectu, & quatenus altera subordinetur alteri.*
4. *Sacerdotium apud plurimas gentes cohæsisse regno.*
5. *Causa, cur hæc duo apud Christianos conjungi nequeant.*
6. *Non licet Clericis se miscere rebus bellicis, nec expeditiões iis benè cedere solẽt.*
7. *Non sufficit unius hominis ingenium ad sustinendum officium tam Ecclesiasticum, quàm Politicum.*
8. *Refutatur error Bovy, & explicatur officium Augurum & Pontificum apud Romanos.*

CAPUT II.

Quibus malis exponetur Respublica, quæ sacris suis præfectos Româ aut aliunde expectare cogitur.

SUMMARIA.

1. *Exemti nolint velint, sæpe coguntur esse hostes Respubl.*
2. *Exemti impunè grassantur in majestatem, si non sint subditi, sed sustineantur a potestate peregrina.*
3. *Exemtio Clericorum replet Rempubl. peregrinis hominibus, qui Respubl. quidem non prosunt, sed fructus tamen civibus præripiunt.*
4. *Exemtio eripit Ecclesiis jus eligendi pastores, quod iis jure divino & humano competit.*
5. *Ius peculiare Gallorum in eligendis Episcopis, quod etiam in aliis regnis & Rebuspubl. notatur.*
6. *Exemtio Clericorũ trahit homines & pecuniã Romã, lites facit immortales &c.*
7. *Quantum exemtio noceat Ecclesiis.*

CAPVT III.

Clericos, quoad personas non esse Exemtos à Jurisdictione seculari, ex jure divino, vel praxi primitivæ Ecclesiæ, sed secundum quid ex privilegiis principum.

SUMMARIA.

1. *Ecclesiasticos esse partes Respubl:*
2. *Subjectio Clericorum probatur ex jure divino novi testamenti.*
3. *Item ex testamento veteri.*
4. *Pontificij perperam accipiunt nomen & definitionem juris divini.*
5. *Refutantur loca scripturæ, ex quibus pontificii exemtionem suorum ordinum deducere laborant.*
6. *Varia vicissitudines & mutationes liber-*

CAPVT IV.

Utrum bona Ecclesiarum & Cleri transeant extra jurisdictionem Reipubl. & quantum ad intributiones obligentur.

SVMMARIA.

CAPVT V.

De Jure Romani Pontificis in regna & Principatus.

SUMMARIA.

cos

CAPUT VI.

De donatione Constantini, utrum facta sit, vel fieri potuerit, & quid juris inde sibi Pontifex possit arrogare.

SUMMARIA.

CAPVT VII.

De translatione Regnorum & imperii, utrum à Papa facta sit, vel fieri jure potuerit.

SUMMARIA.

1. *Regnum Siciliæ quo jure pertineat ad Ecclesiam.*
2. *Quid juris, quo titulo sibi vendicare possit Pontifex in Angliam.*
3. *Galli potestatem Pontificis in regem nec agnoverunt, nec agnoscunt.*
4. *Childericus Rex non depositus fuit à Papa, sed à proceribus, quibus Papa nō nisi consilium dedit rogatus, & iniquum factum suo consensu stabilivit.*
5. *Iniqua fuit depositio Childerici, quā nullus Papa applausus ratam justamve efficere potuit.*
6. *Quantam potestatem Pontifices sibi sumserint in Imperatores Romanos.*
7. *Temporalem Pontificis in Imperatorē potestatem frustrà conatur Bellarminus probare exemplo Ambrosii, Theodosium à limine Ecclesiæ sequestrantis.*
8. *Multò minus ex eo, quod Gregorius II. scribitur Italos abduxisse ab obedientia Leonis.*
9. *Quinam Imperatorum & Regum, sub specie excommunicationis, regno sint exuti.*
10. *Argumenta & ratiunculæ nonnullorum pro potestate Pontificis in Imperium rejiciuntur.*
11. *Imperium non dependere à Papa.*
12. *Liberalitas Pontificum prædicatur, qui dederunt, quod jam meliori jure possidebatur.*
13. *Historia translationis Imperii breviter proponitur.*
14. *Populi consensus in translatione justa, excludi non potuit.*
15. *Demonstratur ex historiis, populi consensum intervenisse, nec solum Pontificem transtulisse Imperium.*
16. *Respondetur argumentis & effugiis Bellarmini.*
17. *Respondetur autoritatibus eorum, qui Pontifici videntur totum translationis negotium asscribere.*
18. *Pontifex nihil attribuit Carolo præter nomen & coronam Imperatoriam.*
19. *Nec quicquam præterea attribuendum habuit.*
20. *Carol. M. Imperiū acquisivit jure belli & spontanea subditorum submissione.*
21. *Ipsi Pontifices fuerunt jurisdictioni Caroli subjecti.*
22. *Ex consecratione & benedictione, seu coronatione malè infertur ad communicationem potestatis.*
23. *Imperator non est æstimandus ex titulo seu nomine, sed potestate.*
24. *Imperator habet plenam potestatem etiam ante coronationem.*
25. *Papa coronatio, quam confirmationem vocant, nihil potest legitimè electo Imperatori addere.*
26. *Imperatorium nomen nihil addit Regi, præter amplitudinem dignitatis.*
27. *Electio successit in locū successionis, & proinde idem operatur, quod successio.*
28. *Imperator statim à primo die Electionis suæ suscipit administrationem Imperii.*
29. *Imperator nullo jure cogitur petere coronationem à Papa.*
30. *De coronatione Imperatoris multa pro diversitate temporum & circumstantiarum, sæpius mutata.*
31. *Ex verbis, quibus Pontifex translationem proponit, deducuntur aliquot absurda & contradictiones.*
32. *Examinatur, an transferri imperiū potuerit simul in personam Magnifici Caroli, & in Germanos.*
33. *Francos quidem & Carolū M. oriundū ex Germanis, sed patriam deseruisse.*
34. *De juramento, quod præstat Imperator Pontifici.*
35. *Iuramentum Imperatoris nō esse fidelitatis, sed defensionis.*

FINIS.

INDEX CAPITUM.

CAPUT VII.

De translatione Regnorum & imperii, utrum à Papa facta sit, vel fieri jure potuerit.

SUMMARIA.

1. *Regnum Siciliæ quo jure pertineat ad Ecclesiam.*
2. *Quid juris, quo titulo sibi vendicare possit Pontifex in Angliam.*
3. *Galli potestatem Pontificis in regem nec agnoverunt, nec agnoscunt.*
4. *Childericus Rex non depositus fuit à Papa, sed à proceribus, quibus Papa nō nisi consilium dedit rogatus, & iniquum factum suo consensu stabilivit.*
5. *Iniqua fuit depositio Childerici, quā nullus Papa applausus ratam justamve efficere potuit.*
6. *Quantam potestatem Pontifices sibi sumserint in Imperatores Romanos.*
7. *Temporalem Pontificis in Imperatorē potestatem frustrà conatur Bellarminus probare exemplo Ambrosij, Theodosium a limine Ecclesiæ sequestrantis.*
8. *Multò minus ex eo, quod Gregorius II. scribitur Italos abduxisse ab obedientia Leonis.*
9. *Quinam Imperatorum & Regum, sub specie excommunicationis, regno sint exuti.*
10. *Argumenta & ratiuncula nonnullorum pro potestate Pontificis in Imperium rejiciuntur.*
11. *Imperium non dependere à Papa.*
12. *Liberalitas Pontificum prædicatur, qui dederunt, quod jam meliori jure possidebatur.*
13. *Historia translationis Imperii breviter proponitur.*
14. *Populi consensus in translatione justa, excludi non potuit.*
15. *Demonstratur ex historiis, populi consensum intervenisse, nec solum Pontificem transtulisse Imperium.*
16. *Respondetur argumentis & effugiis Bellarmini.*
17. *Respondetur autoritatibus eorum, qui Pontifici videntur totum translationis negotium afscribere.*
18. *Pontifex nihil attribuit Carolo præter nomen & coronam Imperatoriam.*
19. *Nec quicquam præterea attribuendum habuit.*
20. *Carol. M. Imperiū acquisivit jure belli & spontanea subditorum submissione.*
21. *Ipsi Pontifices fuerunt jurisdictioni Caroli subjecti.*
22. *Ex consecratione & benedictione, seu coronatione malè infertur ad communicationem potestatis.*
23. *Imperator non est æstimandus ex titulo seu nomine, sed potestate.*
24. *Imperator habet plenam potestatem etiam ante coronationem.*
25. *Papa coronatio, quam confirmationem vocant, nihil potest legitimè electo Imperatori addere.*
26. *Imperatorium nomen nihil addit Regi, præter amplitudinem dignitatis.*
27. *Electio successit in locū successionis, & proinde idem operatur, quod successio.*
28. *Imperator statim à primo die Electionis suæ suscipit administrationem Imperii.*
29. *Imperator nullo jure cogitur petere coronationem à Papa.*
30. *De coronatione Imperatoris multa pro diversitate temporum & circumstantiarum, sæpius mutata.*
31. *Ex verbis, quibus Pontifex translationem proponit, deducuntur aliquot absurda & contradictiones.*
32. *Examinatur, an transferri imperiū potuerit simul in personam Magnifici Caroli, & in Germanos.*
33. *Francos quidem & Carolū M. oriundū ex Germanis, sed patriam deseruisse.*
34. *De juramento, quod præstat Imperator Pontifici.*
35. *Iuramentum Imperatoris nō esse fidelitatis, sed defensionis.*

FINIS.